ESEGESI
BIBLICA
160
A
25-26
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
A
25-26
NAPOLI

101
A
40-1.

VA1 152650

VINDICIÆ
VULGATÆ LATINÆ EDITIONIS
BIBLIORUM,

QUA

ECCLESIA ROMANO-CATHOLICA UTITUR,

CONTRA ASSERTAM

HEBRÆI, ET GRÆCI TEXTUS HODIERNI

ABSOLUTAM AUTHENTIAM.

AUTHORE

GEORGIO CZUPPON

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, IN SEMINARIO SABARIENSI CLERICORUM SCRIPTURÆ S. ET LL. ORIENTALIUM PROFESSORE, V. CONSISTORII EPISCOPALIS SABARIENSIS ASSESSORE.

SECTIO I. II. III.

SABARIÆ

TYPIS JOSEPHI ANTONII SIESS.

1798.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. *Jer. VI.* 16.

PRÆFATIO.

Subrepſit cum nuperno Hermeneutices apparatu, ab Heterodoxis derivato, incautis mentibus apud nos falſa opinio, ſic dictos *Fontes* Scripturarum, Hebræum videlicet, & Græcum textum vulgarem, qui impreſſus circumfertur, *abſoluta ubique etiam hodie valere authentia*, ut Vulgatæ editionis Bibliorum, quæ in omnibus ad eos, tamquam ad lapidem Lydium exigi, & reformari debeat, arbitri ſedeant, quorum lectionem, & fidem in dubium revocare ſit nefas.

Quam aliena a mente Eccleſiæ catholicæ, & ſaniori judicio, quamve periculoſa ſit iſta aſſertio, haud difficile eſt demonſtrare; atque hic primarius eſt hujus operis ſcopus, in quo methodo hactenus, quod ſciam, non tentata, temporibus autem noſtris accommodata, *Vulgatæ Editionis*, qua Eccleſia Romano-Catholica utitur, *dignitas, atque Eminentia*, nec non ejusdem, ac 70. viralis verſionis, & Fontium hodiernorum internus ſtatus, hebrææ lingvæ, tam paucis cognitæ, obſcuritates, ex eis natæ verſio-

num

num infinitæ varietates explicantur, non ſubtilitate ſcholaſtica, qua hodie pauci afficiuntur, ſed realibus productis exemplis, quæ virum gravem, & veritatis divinæ ſincere ſtudioſum non poſſunt non movere.

Ut igitur in hac parte Theologiæ minus verſatos lucubrationibus meis ſublevarem, utile, & neceſſarium exiſtimavi, edere librum pro ratione materiæ vaſtioris mole ſua parvum, quo viri Eccleſiaſtici, majoribus præſidiis domi ſuæ deſtituti, in divinarum Scripturarum exemplaribus inter ſe conferendis, & formando de lectionibus Biblicis recto judicio, cumprimis vero in defenſione Vulgatæ, & erroribus hodiernorum Fontium detegendis adjuventur.

Placuit opus in VII. Sectiones partiri: De reliquo in forma, & exquiſitiore ordine parum laboris poſui, contentus naturali quadam ſerie docere, quod aut verum eſt, aut vero vicinius. En ordinem Sectionum!

SECTIO I.

Vulgaris ſententiæ incommoda, Tridentini Concilii pro Vulgata latina editione definitio, multiplex authentici notio, varia ad demonſtrandam ejusdem Vulgatæ præ hebræo,

bræo, & græco textu hodierno integritatem argumenta explanantur. pag. Operis 1.

SECTIO II.

Alexandrinæ verſionis, quæ LXXII. Interpretum dicitur, autoritas declaratur, & illuſtri verſionis hujus exemplo, nec non deductis inde rationibus docetur, hebræum Fontem in Eccleſia Chriſti pro abſoluta lectionis Biblicæ norma habitum nunquam fuiſſe. pag. 212.

SECTIO III.

Vulgatæ Eminentia, ac dignitas aſſeritur, ut labore conficiendæ ex Fontibus verſionis, quæ in locum hujus ſufficiatur, & publico uſui deſtinetur, omnino ſit ſuperſedendum. pag. 386.

SECTIO IV.

Labor novæ verſionis poſterioribus ſeculis ſæpe, & per multos tentatus, judicio graviſſimorum virorum nunquam hactenus ita feliciter ceſſit, ut in locum Vulgatæ editionis publica autoritate ſurrogari mereretur. pag. 577.

SECTIO V.

Labor novæ verſionis V. Tti. neque poteſt ad publicam omnium adprobationem jam hodie feliciter cedere, cum ſoli Fontes pro norma aſſumuntur. pag. 628.

SECTIO VI.

Idem labor parandæ novæ verſionis, cum Fontes hodierni pro norma ſumuntur, ea potiſſimum ex ratione minus feliciter cedit, quod Fontes iſti multis in locis corrupti ſunt. pag. 857.

Diſplicebit hodie quibusdam iſta aſſertio, & ſane critico hoc tempore opus meum ipſe reprehenderem, ſi reprehenſoribus careret, quibus nullum utile opus carere unquam potuit, ne hoc ipſum quidem S. Hieronymi, quod jam appellatione *Vulgatæ* notiſſimum ego defendendum ſuſcepi. Illa prius creta, mox hæc carbone notabunt; ceterum vel authoritate decernent, vel ratione: eligant, quod libuerit, ego quod aſſero, clare demonſtro. Legant prius & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare. (Hier. Præf. in Iſai.)

Qui providentiæ Dei, ex qua pro integritate Fontium argumentum duci ſolet, (pag. Operis 1027.) leges præſtituunt, ut intemeratæ lectionis in ſingulis textibus perpetuo conſervandæ privilegium determinate hebraicis, & græcis exemplaribus conferat, nec eventa præteritorum temporum conſiderant, quæ hebraica aliqua monumenta periviſſe monſtrant, & in eandem, quam commendare volunt, providentiam ſummi Numinis peccare videntur, dum immenſæ bonitatis effectum non agnoſcunt in Evangelii primi lumine hebraice primitus exarato, cujus rutilans fulgor, corrupto jam inde a 1500. annis fonte, demumque penitus amiſſo, in ſola verſione orbi terrarum ſufficienter illuxit ad ſalutem. (pag. 114.)

SECTIO VII.

Utilis tamen eſt ad hebraicos Veteris, & græcos N. Tti. Fontes recurſus, nec damnandum, ſed magno conatu promovendum eſt Sacrarum Lingvarum ſtudium. Quod quibus modis utiliter fieri poſſit, uberius declaratur. pag. 1139.

Præter defenſionem Vulgatæ duplex eſt hujus operis utilitas. *Prior* ſe offert in brevi variorum textuum expoſitione literali,

 quam,

quam, etſi in præſenti non erat neceſſaria, non facile prætermitto, ipſumque textum, ſuo loco avulſum, plerumque ita conor exhibere, ut Lector ſine tædioſa Bibliorum inſpectione ſibi ideam contextus efformare poſſit. Quam hoc eidem Lectori gratum futurum ſit, nemo non videt.

Poſterior in eruditione non vulgari, quam in quæſtionibus circa exemplaria, verſiones, & varios Scripturarum ſenſus ſibi comparaturus eſt, quisquis opus a capite ad calcem, attente, & reflexe evolverit.

Dedi operam, ut tot inter obſcuritates, quæ hoc exercitationis Biblicæ genus circumſiſtunt, ſcribam aliquid gratum Lectoribus, utile Eccleſiæ, dignum poſteris; præſentium quippe judiciis non ſatis moveor, qui in utramque partem aut amore labuntur, aut odio. (Hier. in Daniel. Edit. Vallars. Tom. IX. col. 1364.) Multi tamen etiam ex modernis conatum meum, ut ſpero, probabunt, maxime, quod ad defenſionem illius Editionis eum converto, qua jam ab annis MCC. Eccleſia Occidentalis uti conſvevit, & quam Concilium Tridentinum pro Authentica habendam eſſe, graviſſimis verbis aſſeruit. Quod vero deeſt operi, progrediente tempore ſupplebunt alii me do-

doctiores, & argumentum amplum per ſe, ac magnificum tractatione ipſa ſplendidius, illuſtriusque efficient, ubi bonis literis major aliquando honos habebitur.

Erunt fortaſſe, qui haud boni conſulent, complures a me laudari heterodoxos, ſed qui iſtud mihi vitio vertit, ſcopum operis non attendit. Ita fieri oportuit, ut, dum vulgares eorum Theologi adverſus Vulgatam noſtram tantos motus cient, proprio mucrone confodiantur; neque enim facile deprehendes, quempiam eorum a me adduci, niſi ubi aut rem catholicam adjuvat, aut ſuo nixus judicio aberrat multum, quamvis eminenter doctus, cujus periculo alios æquum eſt doceri. Præterea alia eſt dogmatum, alia Philologiæ ratio.

Non erant honore ſuo privandi viri omnigena eruditione excultiſſimi, qui, licet profeſſione ſua ab inſtitutis noſtris alieni, Vulgatæ tamen Eminentiam, Tridentini decreti æquitatem, argumentorum adverſus ſeptem libros V. Tti. deutero-canonicos a Majoribus ſuis productorum infirmitatem, plerumque confitentur; gratulandum Eccleſiæ catholicæ, quod omnes jam heterodoxi ſeptem libros N. Tti. olim controverſos, & ſententiam de novitia punctorum Biblico-

rum ætate, quæ catholicæ Eccleſiæ oppido conſulit, ex æquo recipiant.

Palam enuntio, in multis non tam mea, quam quæ ſcopo meo aptiora exiſtimaveram, ex aliorum litteratis laboribus collecta me tradere, felices ſumus nos hodie, qui alieno jam theſauro ditamur, quem proſtantem ſi in penum meam non deportaſſem, feciſſem inconſulto; dum ſcribimus, verius deſcribimus. Quantis tamen ſudoribus ſteterit, in quæſtione hucdum ex propoſito non diſcuſſa, diverſorum librorum evolutio, ex iis, quæ lecta ſunt, eorum, quæ præſenti inſtituto deſerviunt, enotatio, & in ordinem ſuum reductio, haud difficulter quisque perſpexerit. Cætera inter ſubſidia Bibliotheca Seminarii noſtri Sabarienſis, Excellentiſſimi Dni. Eppi. munificentiâ ſelectioribus libris inſtructa, non parvo mihi fuit adjumento.

Authores, per quos profecerim, paſſim indico, illud vero odioſum, & aures aggravans, in compendiis obvium, *vide* rarius adhibeo; quia experientia conſtat, hoc modo illuc Lectorem dirigi, quo fere nunquam pertinget. Svadetur, & imperatur *videſis*, ſed nemo videbit. An enim hæc videndi cauſa moleſtius iter emenſuri, Biblio-

bliothecas adibunt? Ut una brevitati in citationibus conſulerem, magis e re futurum putavi, plerumque adjecta editione paginas adnotare, quibus res adductæ continentur.

Quod ad lingvas Orientales, præprimis hebræam, & græcam attinet, quas operi ſuis in locis inſeri res ipſa poſcebat, harum cognitio Curionibus ſacris non eſt neceſſaria: ſufficit quod fuit ab initio, & ſemper erit, aliquos ſupereſſe in Eccleſia, qui ea, quæ a proprietate harum lumen fœnerantur, cæteris pandant, etiam ſic poterunt ſobrium formare judicium de variis textus originalis ſenſibus, quos apud Interpretes deprehendent.

Quia tamen, ut guſtus fert hodie, nemo rivulis contentus eſſe, omnis autem cupit fontes rerum videre, Lectoris commodo hebraicas, & græcas voces latinis literis exhibeo, more jam aliis viris probato, & uſitato: ut quid enim characteres alios, quibus etiam Typographia deſtituitur, adhibeam?, gnaris non eſt neceſſarium, ignaris non eſt proficuum; præſtat latinis uti literis, quam veluti Magicis quibusdam ductibus ſparſim inſerendis Lectorem aut admiratione vana, aut Panico terrore complere.

Por-

Porro literarum hebraicarum ſono latinæ non ſatis apte reſpondent, (pag. operis 457. l. 17. & 1188. l. 27.) itaque *Aleph* otioſam hodie conſonantem poſitis duobus ſupra vocalem punctis hoc ſitu *ä*; *Beth* per *bh*, ſi tali loco cum aſpiratione ut *v* latinum pronunciatur, ad differentiam alterius literæ *Vav*, quod eſt ipſum *v* latinum, deſigno, quamvis prorſus nihil peccet, qui *bh* ſimpliciter, ut *b* latinum, more Veterum protulerit.

Zain exprimo per *z* græco-latinum, ſono, quem apud nos habet in vocibus: *Zelus*, *zona*, *Zoilus*: non autem more germanico velut *tz*. *Chheth* deſigno per *chh*, poſita duplici *h* poſt *c*, ut a *Chaph*, quod valet *ch* ſono latino-græco, ipſa ſcriptione diſtingvatur. *Cheth* vulgo, mere ut *ch*, ſeu *chi* Græcorum pronunciatur, ſed cum intenſiori aſpiratione, & ex imo gutture. Sed non ſunt hæc tam anxie curanda, e gr. panem dicunt *lechhem*, ac ſi ſcriptum eſſet *lekhem*, aliter ſæpe Veteres; (pag. 490. lin. 32.) Univerſim in lingvis mortuis vera ignoratur pronunciatio, ponatur pro vera, quam uſus firmat.

Tet eſt *t* latinum, *Thau*, vel *Thav* eſt *th* græco-latinum, ut *Theologus*, *thema*. *Ain*, ſeu

ſeu *aïn* conſonantem aſperrimi ſpiritus, quam ob difficultatem pronunciationis optimum eſt negligere, (pag. 457. l. 23.) ſola prolata vocali ejus, per *y* ypſilon latinum ob aliquam figuræ ſimilitudinem deſigno; unde in lectione vocum hebraicarum omne *y* pro non adjecto habendum. e. gr. pag. 778. l. 5. 6. 24. ubi de voce *oreb* diſſero, non *jorebo*, *jorbo*, vel *iorbo*, ſed tantum *Orebo*, *orbo*, legendum, quia *y* ſuperfluum eſt, & tantum indicat in hebræo poſitum eſſe *aïn*, quod omni caret apud nos ſono, ſic *Arabes* dicimus, non Harabes, eo minus Iarabes; per *y* ſolum monetur Lector de litera *aïn* in hebræo tali loco cubante. Sic pag. 773. lin. 1. *piyel* lege non *pijel*, ſed *piel*, ibidem lin. penult. *thoaphoth*, non thojaphoth.

Tzade optime exprimitur ſono hungarici *tz*, & germanici *z*, ſeu, ut aliqui ſcribunt, *tz*, vulgo *tzet*, ut germ. *tzank*, ſeu Zank, Zeit, Zollwein, Zollner, cui plene reſpondet in ore noſtro *c* ante *e*, & *i* e. gr. *Cicero cecidit*; ego tale tzade denoto per *tz*, e. gr. *tzebaoth*, exercitus, quod vulgo dicimus Sabaoth. *Phe* eſt *f* noſtrum, *phi* gr. ut in *Phariſæus*. *S* literam ſibilantem hebræi in ſuo Alphabeto habent duplici forma: ea, quæ vocatur *Samech*, valet *s* latinum,

num, & germ. *Sz.* hungaricum; altera forma eſt *Sin*, quaſi hungarice *ſzin*, cujus ſola figura, non vero (ſaltem in ore noſtro) ſonus differt a priore *Samech*; itaque ad indicandam non ſoni, ſed figuræ ſolius differentiam exprimo per *ſc*, ubi *c* in legendo pro non adjecto habendum. Si vero in textu hebræo eſt *Schin*, quod ſolo puncti ſuperpoſiti ſitu internoſcitur, ſonat, ut *s* hungaricum, *ſch* germanicum, *ch* gallicum, e. gr. *ſchalom* pax, *ſchaya* aſpexit, ſono, & ſignificatione germanica; tale *s*, ſeu *Schin* deſigno per *ſch*, ubi *ch* pro non adjecto, & mero ſigno ſoni germ. *ſch* habendum.

Arabicum *Gim*, ſeu *G*, ipſum nempe *Gimel* Hebræorum apud Africanos ſonat, ut *g* gallicum ante *e*, & *i*, ſeu ut *zs* hungaricum in *zſéb*, *zſidó*, *zſir*, quod Hungari per *'s*, vel *z'* ſcribere poſſunt: communiter vero alii Arabes pronunciant, ut plerique Italorum *g* ſuum ante *e*, & *i* e. gr. in vocibus: *Generale*, *Giudice*, *Giovanni*. Hungaris ſonus iſte prolatu facilis reſultat ex molli ſono *gy*, & mox dicto *Zs*, proinde adumbro quatuor literis hungaricis *gyzs*, e. gr. pag. 840. l. 22. *mes-gyzsid*, oratorium (ex quo fors hung. metset) & pag. 851. l. 13. *chbaragyzsa*, lege, quaſi italice eſſet ſcriptum *mesgid*, *chbaragia*.

Tza-

Tzade Arabicum ſi ſupra ſe habeat punctum, valet *d* latinum, moderni Turcæ ut *z* latino-græcum proferunt, e. gr. *kadi* judex, Tur. *kazi*, *Ramadan* h. e. cinerum, ſeu pœnitentiæ menſis, Tur. Ramazan; exprimo tale *tzade*, ſeu *dad* per *dz*, ut Lector pronunciet per alterutrum ſonum, quod proprie per *d* legendum e. gr. pag. 841. l. 1. *yadímethi*.

Vocalem Hebræorum *e* dictam *ſægol*, ad differentiam alterius *e* longioris, quæ vocatur *tzere*, per diphthongum *æ* interdum adumbro, *i* autem longum, quod indicat *Jod* intra textum in puncto homogeneo quieſcens, poſita ſuperne virgula deſigno. In græcis *eta*, ſeu *e* longum, quod, etſi erronee, ex uſu velut *i* efferimus, per virgulam, in ſignum vocalis longæ ſuperne appoſitam, ab *e* brevi, quod eſt epſilon, diſcerno. His præ ſe habitis qui textum Originalem latinis literis expreſſum legerit, idem & cognoſcet, & una debite pronunciabit, quod, ſi lingvarum gnarus eſſet, inſpecto codice originali videret, & pronunciaret.

Atque hæc ſunt, quæ præfanda duxi. Si cui in aſſerenda Vulgatæ authoritate, & deprimenda conſtituta nuper Fontium digni-

gnitate modum exceſſiſſe videor, refelli ſum paratiſſimus. Jis, quorum judicio non ſtare pertinacis eſſet, ſententia mea aut probabitur, & ſalva res eſt: aut diſplicebit, & corrigere pronum, & æquum eſt. Veritatem, & veriſimiliora ſcribere volui, ignoſcet Lector, ubi non potui, neque me propterea quod unus contra multos ſentio, odio habendum putabit; oportet amare utrosque, & eos, quorum opinionem ſequimur, & eos, quorum opinionem refutamus, utrique enim ſtuduerunt ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adjuverunt. (S. Thom. L. IX. ad 11. Met.) Communis meta, ad quam properamus, veritas eſt, hanc ego Coa ſua veſte ſuccinctam ſequor, & colo, utinam aſſequar etiam! adjuro vos Filii Jeruſalem! ſi inveneritis dilectam noſtram, indicate mihi, quia æger amore ejus langveo.

SE-

SECTIO I.

VULGARIS SENTENTIÆ INCOMMODA, TRIDENTINI CONCILII PRO VULGATA LATINA EDITIONE DEFINITIO, MULTIPLEX AUTHENTICI NOTIO, VARIA AD DEMONSTRANDAM EJUSDEM VULGATÆ PRÆ HEBRÆO, ET GRÆCO TEXTU HODIERNO INTEGRITATEM ARGUMENTA EXPLANANTUR.

§. I.

Quæ hodie apud nonnullos obtinet de fontium authoritate Sententia, quo ſenſu vera ſit, explicatur.

I.

Recepta hodie in plerisque ſcholis apud nos Sententia eſt, fontes eſſe incorruptos, atque ideo cunctis verſionibus, etiam Vulgatæ præferendos; quamvis enim fontes, Hebræus videlicet V. & Græcus N. Ti codex a levioribus mendis noſtro jam tempore immunes dici haud poſſint, hæc tamen non tam proprie menda, quam potius labeculas quasdam ſubſtantiali ei integritati, qua fontium dignitas ultra omnem

 ver-

verſionum participatam ſolum authoritatem eminet, nequidquam præjudicare contendunt.

II.

Dici hæc in commendationem fontium, quorum lectio in deſvetudinem longo abhinc tempore abiit, poterant, adferenda enim erant omnia, quibus utilitas lingvarum, majoris claritatis, & confirmationis gratiâ certis caſibus ad Originales textus recurrendi quæpiam neceſſitas ſvadeatur, ſicque Theologi ad ſtudium lingvarum, quibus ſcriptura primitus data eſt, poſtliminio reſtituendum exſtimulentur; rectiſſimè pariter aſſeri potuit, Hebræum, & Græcum textum Authenticos etiamnum eſſe, eo ſenſu, quo jam apud Theologos uſu communi notio *Authentici* ſumitur; Quis enim vel ſomniet, in hiſce codicibus, prout vulgo circumferuntur, ſubſtantialem ineſſe errorem, fidei, rectisque moribus *ex propoſito* adverſantem? quis dogmata, quæ proponunt, toto corde non ſuſcipiat? quis hæc avitæ traditionis ſerie transmiſſa ad nos exemplaria, tamquam præcipua ſacroſanctæ religionis cimelia non veneretur? agendæ ſunt Deo optimo gratiæ, qui non tantum in verſionibus, ſed etiam in ipſis fontibus verbi ſui germanitatem immenſa bonitate nobis quoad eſſentialem, & potiſſimam partem voluit conſervatam; nec parva fit conſolationi noſtræ, quam ex ſcripturis percipimus, acceſſio, dum nos a beatis illis temporibus, tantis poſt tot ſeculorum decurſum intervallis remoti, nihilominus in eadem lingva, quam Deus annunciandæ voluntatis ſuæ inſtrumentum eſſe voluit, hanc ejusdem omnipotentis Dei ad nos transmiſſam epiſtolam, quoad ea, quæ præ-

cipua

cipua ſunt, integram, intemeratamque poſſumus videre. Excitandi ſunt torpeſcentes Theologorum animi, ut ex amore, atque æſtimatione, quam maximam eſſe oporteret, tanti doni, lingvarum ſacrarum ſtudio ſe ſtrenuè dedant, & ſi religio ipſis cordi eſt, quia quidquid Divinum, quidquid uſpiam ſanctum ſcripto datum eſſe cognoſcitur, his fontibus continetur, hos non ignaviter ſcrutentur. Quod tanto diligentius, tantoque ardentius facere ipſos convenit, quod Origenis, Epiphanii, Hieronymi, aliorumque virorum, quos ultima ſectione longo ordine ſum exhibiturus, in Eccleſia celeberrimorum exemplis, atque Pontificum, & conciliorum decretis non parum urgentur.

§. II.

Sed extenſio ejus, ac per hanc quorumdam abuſus rejicitur.

I.

Dum hæc in laudem Originalium textuum ubique perſonant, alia nonnullorum animis ſubrepſit opinio, Fontes hodiernos, Hebræum quidem codicem, prout ex Maſoretharum officina habemus, Græcum vero, qui impreſſus circumfertur, pro certiſſima norma, & lapide Lydio habendos eſſe, & ad hoſce fontes Vulgatam, conformesque huic extantes in orbe chriſtiano verſiones, ſed & alias quaſcunque demum translationes reformari debere: quin eo proceſſit effrenis hæc intemperies, & fontes extollendi immoderata contentio, ut omnes etiam accentus, qui lectionem nativam textuum ſæpe morantur,

atque inexplicabili confuſione perturbant: & quod mirêre magis: ipſa puncta vocalia aut literis coæva, aut hodie quoque tamquam immobilia venerentur, & quæcunque Rabbini de raphandis, aut dageſchandis, ſuperne, vel inferne, aut in medio pungendis literis præcipiunt, cæca credulitate ſuſcipiant.

II.

Lubet rem abſurdam exemplis, dum innumera præſto ſunt, paucioribus, & potiſſimum obviis illuſtrare. In horariis precibus quotidie recitamus. Pſ. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Hac non contenti, ex fonte hodierno nobis iſtam ſubſtituunt lectionem: *populus tuus ſpontaneitatum* (ſeu voluntarius) *in die roboris tui, in decoribus ſanctitatis, ex utero auroræ tibi ros pueritiæ tuæ:* vel: *nativitatis tuæ.* Dumque dicimus Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus:* aut illud Pſ. 131. *memento Domine David, & omnis manſvetudinis ejus:* hoc eis diſplicet urgentibus: *Ego autem conſtitui Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum: ad decretum numerabo:* vel ut divinant alii: *Dei ſtatutum narrabo:* aut: *ſecundum veritatem eloquar, dicam, quod res eſt, verum loquar;* ſumpto nimirum *el* pro *eth* nota accuſativi, ut 2. Paral. 6. 27. Jer. 10. 2. & alibi apud Altingum Gramm. pag. 432. non vero pro nomine Dei. *Memento Domine David, & omnis afflictionis ejus.* Audiunt per nos cani Pſ. 4. *Filii hominum uſque quo gravi corde?*

ut

ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? pariter illud: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine!* Subiraſcuntur, limpidiſſimam enim fontis aquam ad aures Latinorum ſic eſſe effundendam: *Filii viri! quousque gloria mea in ignominiam? diligitis vanitatem, quæritis mendacium: Eleva ſuper nos Lumen vultûs tui Jehova!* Zach. 12. 10. *Aſpicient ad me, quem confixerunt:* invito totius Prophetiæ contextu, & Evangeliſtis de Chriſto exponentibus, ob Hebræos quosdam codices non *ad me* ſed *ad eum* legere malunt: ad quem? ad illum ſcilicet Judam Machabæum, quem hoſtili manu in bello cadentem Jeroſolymis magno ſint luctu proſecuti. 1. Mach. 9. 19. vide Calmetum. Nec illud impune abire ſinunt, quod vulgari ſermone jactare conſvevimus: *ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Pſ. 99. 3. aut iſtud Iſa. 9. 3. *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam;* quod Hebræus textus in his adverſum pariter teneat, dum authoritate Dictatoria in *Keri* ſubmonent legendum eſſe: Ipſe fecit nos, & ipſius ſumus nos: Multiplicaſti gentem, eique lætitiam magnificaſti. Denique illud patientiæ exemplum verè ſingulare, Jobum ſanctiſſimum in ipſo loco, ubi cap. 13. 15. dicens: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo: ſpei in Deum eximium præbet indicium, abjectâ ſpe ſalutis deſperabundum ſiſtunt, namque in textu fontis eſſe, *ſi me occiderit, non ſperabo in eum:* vel: en occidet me! nec ſperabo in eum. Contrario hoc ſenſu non tantum Lutheri, *(a)* & Tigurinam, ſed

 etiam

(*a*) Siehe! er wird mich doch erwürgen, und ich kans nicht erwarten.

etiam Ariæ Montani verſionem, quæ in Polyglottis extat, habere.

Ut propter Biblicarum lectionum minus gnaros pariter ex N. Tto aliqua, ſed interim tantum leviora & valde obvia afferam, ſic habeto: Chriſtum in Bethlehem Juda natum Matth. 2. 5. eique ab Angelis lætos inter concentus adclamatum fuiſſe novimus: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus *bonæ voluntatis*. Luc. 2. 14. quia paſſione ſuâ gaudia, & felicitatem orbi erat allaturus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, *tradebat autem* (Pilato) *judicanti ſe injuſtè*. 1. Petr. 2. 23. Illi e contra efficaciâ, & virtute Græcæ fidei *in Betlehem Judææ*: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, *in hominibus bona voluntas* legi oportere ſerio decernunt, quod hodiernus fons ita habeat. Et dum inſignem bonorum operum utilitatem ex Vulgata duce Apoſtolorum principe 2. Petr. 1. 10. adſtruimus: *quapropter Fratres! magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis:* aut amoris Dei magnitudinem, quod nos non tantum nomine, ſed etiam re, filios ſuos effecerit: *videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus!* 1. Joan. 3. 1. dignis laudum encomiis efferimus: vel demum quando ad commendandam facilis cum Deo reconciliationis gratiam a Salvatore dictum fuiſſe aſſerimus: *cito proferte ſtolam primam!* Luc. 15. 22. aut a Paulo Timotheo laudatam fuiſſe his verbis ſobrietatem: 2. Tim. 4. 5. *Sobrius eſto.* Illico nihil tale cogitantibus nobis, & de lectionis ſinceritate longo ſeculorum uſu ſecuris occurrunt; in illibato,

&

& puriſſimo fonte Græco voces illas, a quibus ſummam rei in allatis textibus pendere putamus, & volumus: per *bona opera:* & *ſimus: cito: Sobrius eſto:* non reperiri; & quidem quod poſtremum attinet, cum Timotheus de ſe ipſo plus æquo Sobrius fuerit, ad hanc virtutem non fuiſſe excitandum; allatarum vocum in Græco defectum indicio eſſe haud obſcuro, in Vulgatam tardius fallaci gloſſemate eas ſubrepſiſſe; Apud Petrum autem 1. 2. 23. loco injuſtè, juſtè legi debere, ut non ad Pilatum, ſed ad Deum Patrem referatur, qui cauſam filii ſui juſtè dijudicet. Neque, ubi dixerimus, has eſſe ſubtiles exceptiones, *quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* 1. Tim. 1. 4. conquieſcunt, quin potius ex hac ipſa lectione contentionis funem adducunt, Græcam enim veritatem vulgo, atque etiam in editione Reineccii Lipſiæ an. 1766. & Patris Herman. Goldhagen Moguntiæ 1753. quæ Catholica, & accuratior cenſetur, quippe ad Bibliorum Reg. Hiſpan. Philippi II. textum expreſſa, non *ædificationem*, ſed *œconomiam* conſtanter habere.

III.

Quidquid in falſæ, & erroneæ hujus opinationis, quâ inducti punctis, aut ſolis Rabbinorum in Biblia notis ſuperſtitioſè adhærent, confirmationem dici potuit, magnus Hebraicæ literaturæ reſtaurator Joannes Buxtorphius dixit; Genevenſes inſuper an. 1679. decreverunt, nullum poſſe eſſe miniſtrum, niſi firmiter teneat, doceatque puncta literis eſſe coæva; Satis diu vulgo Theologorum apud heterodoxos nihil ſolemnius fuit, quam pro hac ſententia, tamquam pro aris, &

 focis

ſocis decertare. Sed hæc omnia conatu prorſus irrito: illud jam vivimus tempus, quo idolum hoc tanto olim erectum molimine, hodie proſtratum pro foribus jacet, nec cuiquam curæ eſt, ut erigatur.

IV.

Adductæ §. II. Nro 11. pag. 4. Fontium lectiones pro certo genuinis, & nativis obtrudi non poſſunt, nec ad verſionem Vulgatam mutandam, aut loco movendam apud eruditos quidquam roboris habere debent. Quod Iſa. C. 9ni verſum 3um, & Pſ. 99. itidem 3um ſpectat, an *Keri*, vel *Chetib (b)* eligas, moror parum, utrumque veluti

(*b*) Ut voces vulgo ignotas, & rem iis deſignatam intelligas: Hebraicum verbum *Kara* præter *vocavit*, & *invocavit*, ut Hung. *Kére*, ſignificat *legit*, in ſpecie textum ſcripturæ, unde *mikra* ponitur pro ipſa S. Scriptura, & *Karaei* vocantur textuales Judæi, qui traditionibus rejectis ſolum id, quod legitur in textu ſcripturæ, recipiunt, *Chathabh* vero *ſcripſit*, unde *Chithábh* pro libro, ſcriptura, & epiſtola vulgare eſt Arabibus, & *Chethubim* pro tertia Claſſe ſacrorum librorum Hebræis. Hinc *Keri*, *Chethibh* ſunt participia paſſiva 1*mæ* conj. formæ Chaldaicæ, & ſignificant *lectum*, *ſcriptum*, nempe *Keri*, quod eſt olim lectum, adeoque etiam hodie legendum: & *Chethibh*, quod eſt olim in textu ſcriptum, adeoque etiam hodie ſcribendum; voci, quæ aliter ſcribitur, quam legi debeat, in textu circellus, ſeu *O* ſuperponitur, inferius vero in margine ponitur *K* litera, indicans *Keri*, ſeu quomodo vox illa legi debeat. Itaque compendioſè, & optimè dicitur, *Keri Chethibh* eſſe notam marginalem, qua binæ variantes lectiones deſignantur, quæ in diverſis exemplaribus fuerint olim obſervatæ; Maſorethæ (Rabbini Bibliorum ſec. 6. digeſtores) lectionem unam, forte quam

veluti lectionem variantem in diverſis exemplaribus olim deprehenſam habeo, ſenſum tamen non neceſſario immutantem, eo quod in vocula *lo* aleph, & vav alternis poni ipſi Rabbini ſæpius notent; reipſa *lo* cum vav non niſi da-

 tivum

quam veram judicarunt, in textu, alteram vero, ex codicum aliorum authoritate, ne periret, extra textum adnotatam, & conſervatam voluêre. Si hanc explicationem ſequaris, textualis lectio ex mente Rabbinorum marginali præferenda veniret. Sed plerique Judæorum mentem hodie ita exponunt; Rabbini malam, vel minus idoneam lectionem in ſuo codice, quem corrigendis Bibliorum exemplaribus fundamenti loco habebant, reverentiâ ducti immutatam reliquerunt, ne autem errandi detur occaſio, alteram, quam veram eſſe ſuppoſuerunt, adjecerunt in margine, appoſito *Keri* monentes ſic eſſe legendum. Si hanc interpretationem recipias, foret marginalis lectio ex mente Judæorum eligenda; hodie pro certo ſumi debet, liberam eſſe optionem, & jam in textu, jam in margine veram lectionem poni, utra præferenda ſit alteri, ex aliis principiis eſſe definiendum. Sæpe tamen *Keri* non circa *orthodoxiam*, ſeu rectitudinem ſensûs, ſed mere circa *orthographiam*, ſive grammaticalem flexionis, aut ſcriptionis diverſitatem verſatur, & anomalam, ac obſoletam in textu poſitam nominis, aut verbi flexionem commutat analoga, regulari, & uſitatiore, ut gen. 8. 17. Pſ. 5. 9. 1. Reg. 30. 25. 4. Reg. 23. 4. Sic Abigail, qui Abugail ſola dialecti varietate, ut ſi latinæ lectioni in textu ſtanti: *fiendus* in margine ſubſtitueres *faciendus*. Sæpe multa alia *Keri* denotat, de quibus adhuc magna caligine merſis conſuli poſſunt Joan. Buxtorfii Commentarius Maſorethicus. Hilleri arcanum *Keri*, *Chethibh* libris duobus. Valtoni prolegomenon 8*vum*. Ludov. Capelli critica. Adnexa editioni Hebraicorum Bibl. Joan. Simonis Halæ. 1767. chethiban, & Karjan analyſis. Franc. Cſepregi diſſ. de authentia ſelectiorum Chethibim.

tivum *ei*, cum aleph autem inficialem particulam *non* deſignat; quod vero jam hodie ſignificationem permutare, & alternis poni credantur, judico ex vitioſa dictata excipientium deſcriptione, aliove ſimili lapſu fuiſſe enatum: Textualisne, aut marginalis lectio præferri debeat, non ex cerebro Rabbinorum, ſed aliis critices regulis definiendum, nec hîc de apicibus, ſed de ſenſu quæſtio inſtituitur: Vulgatæ ſenſus: *non magnificaſti lætitiam:* quadrat ad prima ſecula Chriſtianæ ſocietatis ſub adventum Meſſiæ, de quo ſermo eſt eodem capite: innumerabilis tum fuit populorum converſio, ſed Chriſtianum eſſe, & rapi ad ſuplicia, agi in crucem idem erat, exteriorem Eccleſiæ formam ſi reſpicis, magna non fuit lætitia, niſi tardius, quod ſequenti verſu indicatur. Symmachus, Lutherus, & Pagninus Vulgatæ conſentiunt; textus ſane habet *non* lamed cum Aleph, licet alia lectio marginalis ferat *ei* lamed cum vav.

In Pſ. 99. v. 3um Bellarminus ſic commentatur: „S. Hieronymus vertit: *ipſe fecit nos*, & *ipſius nos* (ſumus) ſed videtur corruptum textum habuiſſe, codices enim noſtri habent *lo* cum Aleph, quod ſignificat *non:* & ſic legerunt 70.„ ſubdit: immerito a recentiori quodam Vulgatam loco iſto reprehendi, Syrum quoque conſentire. Inanem adjectionem putant nonnulli: & *non ipſi nos fecimus:* ſed errant, quod enim hoc ſit per ſe evidens, non obſtat, æque namque clarum, & evidens eſt, nos eſſe oves paſcuæ ejus, quod tamen utiliter inculcatur; dum nempe orbis totus a factore ſuo ad idola converſus eſt, admonendus erat populus, ut adverteret exiſtentiæ ſuæ principium ſe non a ſe habere.

bere. Calmetus ſic loquitur: „Vulgata, & 70. verſio aptior, & Hebræo magis conveniens eſt.„

Ad locum Zachariæ reponi poteſt cum Ludovico Maraccio in prodromo ad refutationem Alcorani pag. 59. „Nonnulli ad hoc teſtimonium, tam clarum, obſcurandum, ſacrum textum corrumpere auſi ſunt, ſcribentes (in Hebræo) pro *aſpicient ad me: aſpicient ad eum.* Hos tamen legitimi textus hebraici, & translatio 70. Interpretum, atque etiam Thargum manifeſtæ fraudis redarguunt.„

Pſ. 2. 6. realis differentia non intercedit. Juxta hodiernam codicum Hebraicorum lectionem: naſachthi malchi *y*al har Kodſchi: unxi, inauguravi, ſeu conſtitui regem meum ſuper montem ſanctitatis meæ, vel ſanctum: regem meum: videlicet Chriſtum, atque ita Deus Pater loquens inducitur, & ſic legerunt Chaldæus, Aquila, Symmachus, quinta, & ſexta editio, ipſe quoque Hieronymus; 70. vero in ſuo codice deprehenderunt non jod, ſed vav,
aum *aum*
non meus, ſed ſuus, nec pronunciandum rati ſunt cum vocali *a* ſub prima litera, ſed cum *i*, niſſachthi malcho yal har Kodſcho: conſtitutus ſum rex ab eo, vel rex ejus, ſuper Sion montem ſanctum ejus: ut filius loqui intelligatur. Bellarminus ſubjicit: „70. meliores codices habuiſſe, proinde Vulgatæ lectionem eſſe vero ſimiliorem;„ ad quod confirmandum poteſt afferri, credibilius eſſe vav nativum in jod ſimile, ſed minutius fuiſſe detritum in exemplaribus poſterioribus, e quibus memoratæ verſiones ſunt enatæ; e contra: ut ex jod fiat vav, haud ita facile contingere. Et Pater, & Filius inducuntur

tur

tur loquentes, cui igitur verſus 6tus tribuatur, refert parum, cum illæſo ſenſu utrique apte conveniat, unde nihil cogit nos relinquere receptam Vulgatæ lectionem.

Pſ. 4. 7. *Signatum eſt* & cet. ſi nüſſa, loco noſas, quaſi à naſas, ſignum, aut vexillum erexit, derives, aut a naſcä, ſeu naſcah, niſſa proferas, *elevatum eſt*, *ſignatum eſt:* paſſivi perfecti notionem oſtendet; gratioſi favoris Dei ſigna in nobis ipſis circumferimus, atque etiam in externis bonis experimur, ut merito cor noſtrum exultet lætitiâ majori, quam ſit illa meſſis, & vindemiæ in textu inſinuata; tale ſignum Divini erga nos favoris, eſſe ipſum lumen rationis, quo ſummæ rationis, quippe Dei imaginem præ nobis ferimus: ſignum iſtud, Dei ideam velut nobis congenitam, cum propriè loquendo ex creaturis effingi, adeoque ad factitias ideas referri vix poſſe videatur, non pauci veterum Patrum interpretantur, quod recentiores mere de naturali Deum cognoſcendi facilitate exponunt, cui expoſitioni 70. viralis lectio occaſionem præbuit, quæ judice Bellarmino vera eſt, quia 70. melius noverant, quomodo legendæ eſſent literæ, quam Rabbini poſteriores, qui puncta addiderunt. Contextui *dediſti* hebr. nathatha: & *multiplicati* ſive aucti ſunt, perfecti *ſignatum eſt* notio videri poteſt jungi convenientius. Propoſitio, ut hodie ſe habet, variorum ſenſuum capax eſt in hebræo. Aquila vertit *eparon*: *Suſtolle eleva.* Chaldæus ipſum neſcä eleva. Arabs ponit *illuxit ſuper nos.* Juxta punctationem Hebræorum hodiernam: *eleva ſuper nos lumen vultûs tui Jehova!* ſenſus eſt: ſereno nos conſpice vultu, tuo nos favore proſeque-

ſequere. Remotis autem punctis Vulgatæ ſenſum habes etiam contextui cohærentem.

Pſ. 131. 1. *yünnotho* omnis afflictionis, humiliationis ejus, ab infinitivo püal, *humiliari, affligi eum.* Si ſupponas puncta alia, *yanvatho* ab yanavá, ſeu yanvah humilitas, miſer ſtatus, afflictio; Vulgarius tamen ab *yanav* manſvetus, *yanavah* manſvetudo, modeſtia: facile creditur yanav & afflictum, & manſvetum ſignificare, & inde in N. Tto promiſcuè ſumitur; afflicti enim non habent, quo ferociant, pauperes, & humilis conditionis homines plerumque manſveti ſunt, dum e contra felices petulciunt, & inſoleſcunt. Verti poteſt *manſvetudinis*, ſeu *modeſtiæ ejus*: David modeſtus, & virtute morali humilis, & quia ærumnis expoſitus, etiam afflictus fuit. Hieronymus transtulit: afflictionis ejus, Chaldæo, qui *ſiggvphe* ſeu afflictionis habet, conſentiente. Ex hebræo etiam poteſt verti: *memento Domine Davidi*, ſeu in favorem Davidis *omnem ejus afflictionem*. Aut David Pſalmum compoſuit, dum Altiſſimo templum conſtruere meditabatur dicens ad Prophetam Nathan: 2. Reg. 7. 2. *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium?* aut ex v. 7. & 9. Salomon in templi dedicatione: quo poſito, quia *yana* Arabicè inter alia ſignificat, laborem, ſtudiumque rei adhibuit, curæ fuit ipſi res, in eam ſerio incubuit: hodie quidam transferunt: memento Domine Davidis, & omnis zeloſæ contentionis ejus, opus hoc, ſeu templum perficiendi; ſequuntur enim in contextu ea, quæ indicant magnam templum Deo dignum parandi ſolicitudinem, juravit nimirum, ſe neque oculis requiem

con-

conceſſurum, donec inveniat locum Domino, & tabernaculum Deo Jacob. Sed cum Hebræus textus etiam hodiernus, ſi puncta alia ſupponas, ſenſum Vulgatæ exhibeat, nihil eſt mutandum.

Pſ. 4. 3. Absque dubitatione tenendum, vulgatæ lectionem rectam eſſe; Hieronymus vertens: *usquequo inclyti mei*: *Chebhude*, ut nos, non *chebhodi*, h. e. gloria mea, uti hodie habetur, pronunciandum cenſuit, incidit tamen, non ſecus, ac alii antiquiſſimi etiam translatores, in codices literarum ſitu, & figurâ jam vitiatos, ſed citra magnam ſenſûs variationem: nativam lectionem fuiſſe dico: *yad mæ chebhude leb? lammah usquequo gravati corde? ut quid* & cet. qui *chebhude* zelo hodiernum fontem defendendi contra genium hebraicæ linguæ putant, & Bellarminum ita explanantem redarguunt, conſenſum noſtrum fruſtra requirunt; beth in chaph, & voces duæ in unam errore ſcribentium migrarunt, ut non jam *leb! lamma*, ſed *lichlima*, hoc eſt: in ignominiam, ſeu calumniam: usquequo (erit apud vos) gloria mea in ignominiam? legeretur.

Apud Jobum, etiam opinione Starckii punctationis de cetero patroni, ſenſus Vulgatæ ſolus verus eſt, qui unum de pulcerrimis ejus dictis heroicam, invictamque ejus ſpem in æternum prædicans adeo potenter in animos legentium, audientiumque jam influxit, ut etiam pro concione in Eccleſiis Chriſti ſoleat perſonare, quem Lutherus non ſemel elegit. Indubiè *lo* cum vav in Archetypo fuerit, his verbis: *hen jikteleni, lo ajachhel*, ecce occidet me, in eum (tamen) ſperabo; vel *hen* ponendo pro ën, ut Jer. 3. 1. forma Chaldaica, & Arab. Jobo uſitatâ *ſi*, ſi

etiam

etiam occiderit me, tamen in eum ſperabo, ut ſvadet verſus ſtatim conſequens; ſpem ſuam Job c. 4. & 6. eodem ipſo verbo *Jachhal* exprimit, ut etiam C. 32. 16. quod vero hodie ſit Aleph in textu, & vav in margine, ſenſum primigenium immutare nequit, reſtat, ut Aleph pro vav retenta ſignificatione poſitum fuiſſe cum Maſorethis aſſeramus, e quorum animadverſionibus habemus unum iſtum eſſe ex 18 locis, in quibus cum legatur Aleph, ſeu negatio: vav ſeu affirmatio Dativi Caſus debeat intelligi. Vulgatæ Chaldæus: ecce ſi occidet me, ante eum orabo. *(c)* Syrus: ſi occidet me, in eum ſperans ſum ego tantum, *(d)* Arabs: etſi ipſe occidet me, tamen in eum ſperabo tantum, *(e)* conſentiunt.

V.

In Pſ. 109. v. 3um, quia pondus veritatis habet, prolixius commentari neceſſe eſt. 1o Dubium eſſe poteſt, an ex manu Davidis prodiverit illud *lecha tal, tibi ros*: vel ut putat Houbigantius, ex vitioſa *jeladticha* h. e. genui te, transpoſitione ſit ſubinde enatum, quod tamen poſt tempora Chriſti jam in exemplaria communiter ſit receptum; nam iſtud *tibi ros* verſiones paſſim habent poſt tempora Chriſti adornatæ. 70. aut *lecha tal* in codice ſuo invenientes omiſerunt, ſenſum reddere, & quidem clarioribus verbis contenti: nam in eorum perſvaſione: *ex utero præ aurora* (a me) *tibi ros nativitatis tuæ*: idem prorſus valebat, ac *ex utero ante Luciferum genui te*; aut ſimpliciter aberat *lecha tal*

(*c*) Ha in jiktelinanni, kodamoj atzalle. (*d*) En nektulani, lehu meſacche-no balchhud. (*e*) Phe in huve kathalani, phe ijjaśu ergyzsu phakat.

tal ab eorum codice, nondum enata hac lectione depravatâ, de qua Duhamel in notis ſuis ita pronunciat: „Hic verſiculus vix ullum in textu hebræo, qualem nunc habemus, admittit ſenſum, ac videtur textus plane corruptus a Judæis, aut ſaltem obſcurus.„

2° Non videtur legendum eſſe in textu hebræo: *yammecha* populus tuus *nedabhoth* ſpontaneitatum, *meræchhæm miſchchhar* ex utero auroræ *lecha tal* tibi ros *jaldüthæcha*, *juventutis*, vel *nativitatis tuæ*, ſed ſolis punctis mutatis: *yimmecha* tecum *nedebhuth* principatus, ut ſit formæ chebheduth a chabhad gravis fuit, gravitas, ita a *nadabh* principem egit, nedebhuth principatus. *Meræchhem* ex utero, dein miſchſchachhar, vel miſchſchechhar, *præ*, *ante* diluculum, ex utero (meo) ante diluculum, *ante auroram* ſeu Luciferum, *jeladthicha genui te.* Unde nullo negotio, ut ipſe Simeon Muis Hebraici textûs defenſor, & explanator egregius oſtendit, idem reſultat ſenſus, qui eſt Vulgatæ, & 70. quod ubi ita eſſe conſtiterit, nulla occurrit idonea ratio, novitiam Rabbinorum punctationem præ hac veterum eligendi. Hieronymus quidem vertit: *populi tui ſpontanei erunt in die fortitudinis tuæ, in montibus ſanctis, quaſi de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ.* Sed verſionem ejus quantum ad pſalmos Eccleſia ſuam non fecit; præferenda igitur, & retinenda eſt 70. viralis lectio, & Hebræum textum crepantibus reſpondendum, ſicut in ſimili lectione Iſa. 53. 8. reſpondit Du Hamel „hoc loco Vulgatam Hieronymi verſionem correxit Eccleſia; nam ex Hebræo textu verterat: *percuſſi eos* (Judæos, ut torquent Rabini) loco *eum* h. e.

Chri-

Chriſtum, Eccleſia vero judicavit textum hebræum inſigniter adulteratum fuiſſe „ Bene iterum Maraccius prodr. pag. 50 „ magis ſtandum eſt interpretationi eorum, qui Spiritu S. afflati erant, quam interpretum modernorum „ & rationes ſunt haud contemnendæ, quia

(a) Lectio hæc eſt clarior, & longe vetuſtior, cui Arabica: in lumine Sanctorum ex utero ante ſtellam matutinam genui te: Syriaca: cum nitoribus ſanctitatis ex utero ab antiquo te filium genui: et veteres quidam Rabbini, ac ſaltem quantum ad *genui te* etiam Mſſ. codices conſentiunt. Unde Houbigantius, & Michaëlis hanc lectionem fonti hodierno præferunt; quia, quod antiquius, id in hoc genere paſſim verius.

(b) Symmachus manifeſte legit cum jod finali, vulgo enim apud ipſum circumfertur *mu*, non *ſu*, & loco miſchchhar legit cheſchachhar, ut & Hieronymus videtur deprehendiſſe *che meræchæm*, cum transferat, *quaſi de vulva orietur*, quaſi *jeſchachhar* legiſſet; putant aliqui Aquilam, & Theodotionem pariter in codice ſuo habuiſſe cum jod finali, ex quo longe convenientius erat inferre, eſſe verbum, quam concipere ſubſtantivum; hodie quidem jod deeſt, ſed hoc non obſtat, quominus ſit verbum, cum jod tale in hujusmodi conſtructione quandoque deſideretur, atque ipſum hoc verbum *jalad* Jer. 2. 7. ſine jod ſcribatur, ubi tamen in 2ª perſona fæm. ante ſuffixa de more apponi debet, ac cum prima perſona penitus coincidit; quod vero Kametz legatur, vix moneri dignum eſt, chhirich eſſe oportere.

(c) *Jalduth* ſecundum communem hujusmodi nominum formam quoties occurrit, eſt ſem-

per cum vav ſchurek, unde & hoc loco, ſi ſubſtantivum eſſet, vav inſertum haberet; nomina ex verbis in *uth* formata vav conſtanter habent.

(d) Vox *miſchchhar* licet prætendatur analoga eſſe E. g. ad *miẓmor*, ut *mem* non præpoſitio ſit, ſed litera nominis formativa, hoc tamen rectiſſime negatur, &, ut concederetur, æternum manet dubium, an ita auroram ſignificet, nam in univerſis Bibliis non eſt hujus exemplum; præſtat mem accipere pro ſervili *præfixo*, nam hoc obvium eſt, ut ſchachhar diluculum, ſeu auroram, tempus, *quod tu nec tenebras, nec poſſis dicere lucem*, proin crepuſculum, & auroram denotet, *mem* autem præpoſitionem *ante, præ, ex*; unde non debet verti: ex utero auroræ: ſed ex utero ante auroram; quod poſt 70 Theodotion vertens: ex utero ab aurora, ſeu â diluculo: magnopere confirmat, punctationemque hodiernam ſuſpectam reddit.

(e) Et vero: textum Hebræum loci iſtius poſt tempora Chriſti magnam variationem ſubiviſſe illa verſionum diverſitas ex variante fontis lectione ſuborta arguit; Symmachi: tamquam juxta diluculum juventutis *meæ*: in Hexaplis 6æ editionis: loco *aurora*: *quærent te* quaſi jeſchaccharu: idem Symmachus cum Hieronymo loco *be hadre* quod valet in ſplendoribus: *beharre* in montibus legit, quam lectionem adoptat Houbigantius, transfigurationi Chriſti in monte Thabor adplicans.

(f) S. Epiphanius vir pentaglottus, poſtquam contra Paulum Samoſatenum hær. 65. L. 2. pag. 295. edit. Baſil. an. 1542. Aquilæ, Symmachi, Theodot. 5am item ac 6am verſionem retuliſſet, ipſaque Hebraica textûs verba adduxiſ-

xiſſet: *mereem meſſaar lach tal jeledethech*: ſic proſequitur: *hoc eſt: clare, & citra ambiguitatem: ex utero ante Luciferum genui te.* Legit ille *tal*, ſed in ſignificatione Hebraica ſui temporis, ſeu Chaldæo-Syriaca *puer* accepit, *m-ſaar* vero, ut veteres efferebant, eſt ipſum miſchſchachhar hodiernum, id eſt: ante auroram, ſeu Luciferum. *Lach* vero per Syriſmum, ut ſæpe alias, pro accuſandi caſu habuit, ut non dubitaverit unquam de rectitudine lectionis *genui te;* quæ ſane eſt de ſtylo Davidis, eum de Meſſia loquitur, ut Pſ. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Illud vero dignum eſt animadverſione, nullo Pſalmo ſolum Meſſiam tam evidenter celebrari, ac iſto: omitto cetera evidentiæ hujus argumenta, id ſolum memoro, eum, qui hoc metro celebratur, ad dextram Jehovæ ſuper Cherubim ſedere: phraſis gentis, quæ de nullo Davidis in throno temporali ſucceſſore ſine piaculo queat enunciari, illi ſoli competit, qui parem Jehovæ Majeſtatem, honorem, ac velut ſuper Cherubim in templo ſedens a populo adorationem habeat.

(g) Non tam de ſpontanea populorum ad Meſſiam acceſſione, quam de ejus perſona, ac principatu agit contextus, ut adeo *tecum principatus* melius legatur, quam *populus ſpontaneus*.

(h) Si ſemel a Lectionis Alexandrinæ ſenſu diſcedatur, in infinitum, ſed ſemper in incertum verſiones multiplicabuntur; nolo diſcordantem novitiarum translationum multiplicitatem huc inſerere, ipſæ voces hebraicæ polyſemæ ſunt; nam *chhajil* an potentiam, vel exercitum militarem, copiam, alacritatem, robur,

 ani-

animi virtutem aut divitias: *nedabhoth* an ſacrificia voluntaria, vel copiam, ſive multitudinem, ut dum dicitur pluvia voluntaria, ſeu copioſa, & liberalis; aut voluntariam promptitudinem, vel aliquid aliud hîc notet, ut verti debeat: populus tuus ſpontanea ſacrificia mactat in die victoriæ: vel ſponte ſua tuæ militiæ adſcribi petet: *Jalduth* an ætatem, vel agmen juvenum, vel ipſam nativitatem, & generationem; *hadre* an virtutum moralium, vel veſtimenti decorem ſignificet, determinari non poterit. Vocem *nedabhoth* Michaëlis legit *nadabhtha*, & in ſignificatione Arabica *congregaſti*, ſeu *congregabis populum tuum in die triumphi tui* ſumit. Houbigantius punctat *niddabhthi: tecum magnifice, ac liberaliter egi* in montibus ſanctitatis. (in glorioſa in Thabor transfiguratione) Adeo nempe incerta ſunt omnia, ſi lectio veterum chriſtianorum uſu probata dimittatur; ad hebraicos codices recurritur, in quibus tum ob incertam ſæpius vocum ſignificationem, tum quia vocalibus afficiuntur, prout libuerit, id eſt: ſenſus ipſis datur, qui placuerit, certum non eſt præſidium.

(i) Nosne PP. omnium explicationes & firmis rationibus nixas, & ſalutares in fumum abire patiemur, qui ſempiternam Salvatoris noſtri divinitatem tamquam a Davide hîc prænunciatam indubitanter aſſerebant? Hebraizantibus nonnullis iſtud hodie diſplicere video, quod Patri generanti uterus tribuatur; generanti uterum negant, quem auroræ concedunt! conſiderare debebant vocabulum hoc ad omne id, a quo aliud velut principio ſuo quaqua ratione naſcitur, & procedit, extendi Job. 38, 29. ideoque æterno

in

in Divinis genitori recte tribui: viro in ſcripturis non infrequenter datur uterus: David Abſolonem filium ſuum de utero ſuo dicit egreſſum 2. Reg. 16. 11. cui Dominus 2. Reg. 7. 12. promittit ſemen, quod de utero ejus ſit egreſſurum; jam Abrahæ dictum eſt Gen. 15. 4. qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem. Job liberos ſuos filios uteri ſui appellat; vide etiam 2. Parall. 21. 51. & 32. 21. Deus ipſe Judæis ſic loquitur Iſa. 46. 3. *qui portamini a meo utero, qvi geſtamini a mea vulva.* Quo loco in Hebræo pro utero eſt *bætæn*, venter, pro vulva ipſum hoc vocabulum, quod Pſ. 109. *ræchhæm*, uterus. Pſalmum quidem ad ſe pertinere Chriſtus eo argumento Judæis oſtendit, quod præter filium Dei naturalem nemo a Deo Dominus Davidis ſit conſtitutus, cum tamen David disertè dicat: *Dixit Dominus* (Jehova Deus Pater) *Domino meo* (La Adoni Chriſto) *ſede a dextris meis.* Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius (tantum) ejus eſt? filium ſuum jure paterno ſibi ſubjectum nemo ſuum vocat dominum. Matth 22. 42. Perinde & Apoſtolus ad Hebr. 1. 13. Chriſti ſuper omnes creaturas dignitatem ex hoc Pſalmo commendat.

(k) Expenſis his omnibus præſtat retinere planam illam, & vetuſtam 70. viralem lectionem, quæ in Eccleſia Chriſti omnium ſeculorum publico uſu probata, atque ab ipſis ſenioribus Judæis derivata interpretatio eſt, juxta quam id ſolum difficultatem habet: dies ille virtutis, ſeu potentiæ Chriſti quis ſit? an reſurrectionis, transfigurationis, aſcenſionis, an Pentecoſtes? an, prout dies ſæpe uſurpatur, tempus totum a reſurrectione, quo regnum Chriſti cœpit, & in militante Eccleſia

perdurat, ipſe quoque dies ſupremi judicii? optime hæc omnia junctim intelliguntur.

Totus Pſalmus de inſigni victoria, & regno, ac dominatu Chriſti agit, qui deſtructo mortis imperio poſt reſurrectionem cœpit, prædicatione Apoſtolorum crevit, & in ultimo judicio ſupremum gradum conſequetur. Quid prius futurum ſit â Chriſti aſcenſione, præmiſit Pſalmiſta, inimicos crucis Chriſto ſubjugatum iri, & poſtquam mediante Apoſtolorum prædicatione ſceptrum poteſtatis ejus emittet Dominus ex Sion, ipſum in militante Eccleſia in medio hoſtium dominaturum. Addit nunc: cum ipſo eſſe principatum, maxime appariturum in die potentiæ ejus orbi declarandæ, illo præcipuè extremi judicii, dum famulantium Sanctorum ſplendore cingetur; conſtabit tunc orbi, dum cæli, & terra movebuntur, & mortui ad judicium evocandi reſurgent, ipſius eſſe regnum, & potentiam. Palam fiet tum (dicit Pater) a me te ex ſubſtantia mea ab æterno genitum, proin naturalem eſſe filium, quem ut ſempiternum lumen de lumine ante luminoſiſſimas ſtellas, & ante omnem creaturam ab omni æternitate generavi. Ita fere Patres apud Bellarm. in h. Pſ.

Vox *Sanctorum* anceps eſt in latina, & 70. virali verſione, neutrone, an maſculino genere intelligatur; ex quo alii vertendum cenſent: in ſplendore Sanctuarii, ſeu templi, vel Eccleſiæ, nam vox *Sancta*, vel *Sancta Sanctorum* ita ſumitur; apparebit tecum eſſe principatum, in ſplendore Eccleſiæ militantis, cui ſuus decor, ringentibus licet hoſtibus, non deerit. Communius ſtatuitur *ſanctorum* maſculino genere accipi, & deſignare perſonas vitæ ſanctimoniâ fulgen-

gentes, in fonte vero To *Kodeſch ſanctitas*, ut quandoque alias, ſumi collectivè, & abſtractum poni pro concreto. Conſtat vulgato hîc loci principium, ut Dan. 11. 41. licet etiam Græcum *arche* ſit ambiguum, principatum ſonare, quia Hebræum *nedebhuth* hoc ſolum valet, & vocem *Lucifer* non Angelum illum apoſtatam, ſed denotare ſtellam matutinam.

VI.

Qui Hebraicam hodiernam lectionem defendunt, animadvertunt ad dominium Chriſti in medio inimicorum, poſtquam ſceptrum poteſtatis ejus exivit ex Sion, pertinuiſſe ſpontaneam populorum ad Chriſtum aggregationem, & optimè legi: populum ſpontaneum Chriſto affore, ut ſic voluntaria recipiendi Evangelii promptitudo inſinuetur. Nec ego negaverim, lectione hac ſenſum bonum offerri, qui verſioni 70. virali nullatenus repugnet, ſed ſenſum illum primigenium eſſe, atque ævo Davidis, & Prophetarum, textum ſic lectum fuiſſe exinde non conficitur.

En completiorem hodierni fontis paraphraſim! In die tuæ potentiæ, vel victoriæ, nempe poſt reſurrectionem tuam, dum deſtructo mortis imperio regnum tuum auſpicaberis, populus, qui a Patre tibi deſtinatus eſt, ſponte tibi adhærebit, voluntaria cordis, & laudis ſacrificia offeret, & die, quo milites conſcribes, & exercitum collecturus es, populi militiæ tuæ ſpontanea promptitudine ſeſe adſcribi petent, lubentiſſimo animo ſub tua ſigna convolabunt, cum vitæ ſanctimonia, in tua Eccleſia, Pſ. 109. 3. præ copia roris matutini, cujus genitrix aurora eſt, tibi ros, ſeu multitudo collectæ juventutis aderit: magna eſt

roris matutini, qui ex utero auroræ prodit, multitudo, innumerabilis guttarum ejus copia, ſed guttis his numeroſius juvenum, ſeu recenter Chriſto naſciturorum ſe tibi ſiſtet agmen. *Præ* indicare comparativum gradum, ut Pſ. 4. 8. & juventutis nomine recenter Chriſto genitos, ſeu eos, qui exordio naſcentis Eccleſiæ eidem primitiæ accedent, intelligi pro certo ponunt. Aut: ſicut ex aurora, velut matris ſuæ utero copioſus ros naſcitur, ita naſcetur tibi copioſum agmen validiorum militum, qui ſponte pugnaturi ſunt contra ſpirituales hoſtes per te debellandos: addunt in contextu Heroem ſiſti, qui confringat in die iræ ſuæ reges, judicii ſupremam in nationibus exerceat poteſtatem, & cadaveribus vaſtiora terrarum compleat ſpatia. Vide Calmetum, Bochartum in diſſert. ſuper h. textum. Arnold. Bootium in animadverſ. ſacris ad h. loc.

VII.

Expendant pauliſper heterodoxi, 1° Quanta contentione apud ipſos defendatur unitas ſenſus literalis! ratum habent, ſcriptorem S. Spiritu Dei afflatum uni, eidemque propoſitioni nonniſi unicum, certum, & determinatum ſenſum affixiſſe. Millerus Geor. Auguſtæ Profeſſor Dogm. „immortaliter (inquit) meritus fuiſſe cenſendus eſt Lutherus noſter, qui exploſo Pontificiorum de pluralitate ſenſûs verbo lubrico, & ſubdolo commento conſtanter unicitatem ſenſûs literalis aſſeruerit„ an igitur unicus ille præſentis textûs ſenſus eſt, quem Lutherus dedit? *(f)*

(f) Nach deinem Sieg wird dir dein Volk williglich opfern in heiligem Schmuck, deine Kinder werden dir gebohren, wie der Thau aus der Morgenröthe.

poſt victoriam tuam offeret tibi populus tuus ſponte in ſancto ornatu: filii tui naſcentur tibi, ſicut ros ex aurora. Si ita: qui hucdum in Eccleſia obtinuit ſenſus, præter mentem Divini Spiritûs eſt, alter reſtat ſubſtituendus, quo perquam bellè tegetur inpoſterum illa Filii ex utero, ſeu ſubſtantia Patris ante omnem creaturam generatio plaudentibus Arianis!

2° An ultimum illud refugium *fontes* ubique locorum illa ſe claritate menti legentium inſinuent, ut illum unicum literalem ſenſum quisque aſſequatur, & ab aliis, quos flexibilis fontis lectio recipere poteſt, diverſis, & a Spiritu Dei non intentis ſufficienter, ac citra errandi periculum diſcernat, ut adeo certus ſit, ſe veritatem verbi Dei tenere?

3° An non practicè, quando ad rem devenitur, & textus actu exponendus eſt, publice, & palam omnibus ſit confitendum, inter tot translationum, & inde natarum ſententiarum diverſitates ab unico illo ſenſu plurimos abeſſe, nec quis eum attingat, cognoſci poſſe?

4° An ſtante hoc, rudi plebeculæ Scripturæ S. claritatem adhuc obtendere, non ſit eidem illudere? poteſtne hanc ſibi gravis, & cordatus quispiam vir hebraicarum obſcuritatum non ignarus perſvadere?

VIII.

Catholicis autem id cogitandum relinquo, an ad hebraicæ, ut vulgo loquuntur, veritatis defenſionem ſufficiat, ubi a recepta Eccleſiæ lectione diſcedit, etiam textum Hebræum verum ſenſum præbere? an inter verum, & a ſcriptore Theopneuſto intentum ſenſum diſcrimen non ſit? an in tali in controverſiam adducto textu omnis

verus ſenſus ſit unâ ſenſus Spiritûs Sancti? Dum hic Spiritus arguit filios hominum, quia ſunt *graves corde*, an hanc per vocabula tamquam arbitraria humani ſermonis ſigna notionem dare velit: Filii nobilium, vos illuſtres viri! vos nati fortium! quouſque gloria mea erit in ignominiam? an non præſtet cum Calmeto dicere? „locus iſte in hebræo hodierno corruptus eſt; id probat D. Fourmont ex rythmo, qui ibi deeſt„ aut ſic cum Bellarmino loqui? „ut ſæpe diximus, credibile eſt, emendatiores codices hebraicos fuiſſe temporibus 70. quam nunc ſint, itaque lectio noſtra Vulgata omnino conſervanda eſt, quippe quæ conformis reperitur lectioni hebraicæ, cum 70. interpretes emendatiorem habuerunt.„

Rurſus: An, dum cum Chriſto eſſe principatum Spiritus S. aſſeruit, utpote qui ex ſubſtantia Patris ab æterno ſit genitus, notionem mentibus humanis voluerit ingeneratam de populo ſpontaneo ad ſacrificia, & militiam promptiſſimo, ac de caterva juvenum inſtar copiæ roris matutini multiplicata?

Ego quidem non tantum duplicem in nonnullis Scripturæ locis literæ ſenſum cum SS. Auguſtino, & Thoma tamquam ad fæcunditatem verbi Dei pertinentem admitto, non tantum anchiſtiam, ſed etiam hyperanchiſtian tueor, voluiſſe Deum talibus polyſemis vocibus uti, ut paucis licet verbis, & hoc, & illud priori non difforme intelligeretur, ita tamen, ut recepti, & approbati in domo Dei ſenſûs ſemper potior, & primaria ratio ſit habenda.

IX.

Quod ſpectat Græcum N. T[ti] textum hodiernum, ubi a Vulgata abire deprehenditur, ab

in-

integritate Protographorum pariter, & frequenter diſceſſiſſe ita clarum eſt antiquas lectiones conſulentibus, ut nullus ſuperſit ambigendi locus. Itaque §. 11. n. II. pag. 6. *Juda* vel Judæ, ut tribus Juda, non Judæa regio intelligatur, nativam eſſe lectionem, locus Prophetæ Mich. 5. 2. ipſe contextus, & ratio clara demonſtrat: Et tu Bethlehem *Juda*, nequaquam minima es in principibus *Juda!* urbi determinandæ additum eſt *Juda*, ut hæc Bethlehem ab altera hujus nominis, quæ non in tribu Juda, ſed in tribu Zabulon eſt, Joſue 19. 15. diſtingvatur, non vero, ut indicetur, Bethlehem Judææ deſignari, ne forte alibi terrarum extra Judæam Bethlehem quæratur. Sed nobis non licet eſſe tam ocioſis, ut diutius his inhæreamus, de quibus uberior fortaſſe ſermo in conſequentibus redibit. Hieronymus jam ſuo tempore comm. in c. 1. Matth, prout etiam in Breviario infra 8^{am} Epiph. legitur, litem diremit „*Judææ*, librariorum hic error eſt; putamus enim ab Evangeliſta primum editum, ſicut in ipſo hebraico legimus, *Judæ* non Judææ. Quæ eſt enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad diſtinctionem ejus hîc Judææ poneretur? Judæ autem idcirco ſcribitur, quia eſt & alia Bethlehem in Galilæa; lege librum Jeſu filii Nave. Denique & in ipſo teſtimonio, quod de Michææ prophetia ſumptum eſt, ita habetur: Et tu Bethlehem terra Juda.„

Luc. 2. 14. lectionem Vulgatæ Theodorus Beza, ut mox videbimus, omnibus Græcis codicibus præponit. Alexandrinus, Cantabrigienſis, Veleſii, codices addito ſigma *eudokias* in genitivo *bonæ voluntatis* legunt, hodie in

om-

omnibus codicibus ſigma dempto *eudokia* benevolentia habetur, ut nominativus ſit. Facile adducor, ut Bellarmino, Maldonato, & Eſtio conſentiam, bonam voluntatem, ſeu beneplacitum *Dei* in homines: non ex adverſo bonam hominum erga Deum voluntatem, aut hominum benevolum in genere affectum intelligi; frequentior enim, & uſitatiſſima eſt iſta Græcæ vocis poteſtas, ut proin gratulentur Angeli hominibus gratioſam, nec meritis, ſed puro beneplacito oblatam Dei cum ipſis reconciliationem. Coloſſ. 1. 19. quæ tamen in hominibus quoque effectrix dein eſt bonæ voluntatis. Neque tamen unica hæc reperitur in N. Tto vocis uſurpatio, cum Apoſtolus ad Rom. 10. 1. eudokiam cordis, ſeu benevolum affectum ſe habere dicat orandi pro fratribus, & bonam illam animi diſpoſitionem, qua verbi Dei prædicatores Chriſtianam fidem dilatare ſtudent, ad Phil. 1. 15. rurſus eudokiam appellet. Calmetus, ubi retuliſſet, multos veterum, & antiquas verſiones pro Græca lectione ſtare, ſed Vulgatam latinam Irenæi, Cyrilli Jeros. Ambroſii, Hieron. Aug. quibus Cyprianum, & omnes poſteriorum temporum Latinos PP. addere poterat: Item codicis Cantabrigienſis Græco-Latini, & Gothicæ verſionis authoritatibus fulciri, ſubdit: „Utra fuerit prima, & germana Lucæ lectio, non liquet, optima eſt utriusque ſententia.„ Sane noſtræ lectioni grave pondus addit Hieronymus, qui, etſi N. Ttum Græcæ fidei redderet, hanc nunquam mutandam cenſuit, nec ullam notavit diverſitatem. Quamvis autem illud *en* & defectus articuli Græcæ lectioni favere videatur, tamen in Vulgatam difficilius, in Græcos codices unius

lite-

literæ ſigma omiſſione facilius error immigrare potuit. Porro *bonæ voluntatis* recte legitur, etſi, quantum ad ſenſum, bona voluntas Dei erga homines intelligatur, hæc enim bona Dei erga homines voluntas in terra pacem, h. e. omnigenam felicitatem efficaciter operata eſt in hominibus illis, qui dona Dei in vacuum non recipientes per gratiam ejus effecti ſunt bonæ voluntatis, quod dum ſic exponitur, etiam verſio Hungarica Káldii, qua utimur, offert ſenſum textui haud incongruum. Cornelius a Lap. ita mentem ſuam exprimit: *Melius Latini omnes, & ex Græcis Origenes* (ſed hujus locus eſt in ambiguo) *S. Chryſoſtomus legunt bonæ voluntatis.* Si ita: manere debet conſtanter iſta lectio, ne ludi magiſtris noſtris legem ſtatuamus textum in cantu hominibus per gratiam Dei bona voluntate affectis jam in poſterum non applicandi.

1. Petr. 2. 23. Quantumvis MSS. & typis editi codices plurimi, veteres latini nonnulli, ac complures criticorum pro græca lectione teſtentur, dum tamen Vulgatæ multa Latinorum exemplaria, & Græci quidam MSS. codices, & SS. Cyprianus L. 3. ad Quir. c. 39. Leo M. Serm. 63. Paullinus epl. 2. ad Sever. conſentiunt, nexus totius periochæ, & obvia illa Pilati, & Caiphæ injuſtě judicantium fidelibus notiſſima veritas, explicationi illi longiſſimè petitæ, quaſi To *judicanti* ad Deum Patrem referri deberet, locum non eſſe, proinde *injuſtè* legi oportere demonſtrat; *a* negativa particula e græco facile excidere potuit.

De lectione 2. Tim. 4. 5. *Sobrius eſto* perinde dici poteſt, aut nativam eſſe de ipſo græco,

prout

prout Veleſii lectio, (quæ non eſt ſemper de Latino, ut quidam volunt, efficta) habet *ſôphronéſon:* vel adminus generali verbo græco comprehendi, idque ex authoritate S. Hieronymi, qui licet frequens locum verſaret, & græcæ fidei redderet, nunquam omittendum dixit, nec ullam latini textûs â græco aberrationem notavit. Neque vanum erat ſobrietatis obſervandæ mentionem facere, quæ etiam poſt commendata maxima negotia inculcari potuit, non tam ipſi Timotheo, ſi is ad hanc virtutem alterius incitamento non eguit, quam in perſona ejus cunctis Epiſcopis, & presbyteris. Lucas Brugenſis cenſet latinum interpretem unius *nèphe: vigila* verbi æquipollentis, & polyſemi duplicem dediſſe verſionem, quia *nèphein* etiam ſignificat *ſobrium eſſe*, quod quemvis græcè gnarum neceſſe eſt confiteri, nam etiam *néphalia* ſacra olim vocabantur, in quibus vini loco aqua libabatur; igitur *vigila* & *ſobrius eſto* quoad ſenſum in verſione bene ponitur, cum *népho* utrumque ex æquo ſignificare non negatur.

2. Petr. 1. 10. Grotius obſervat in MS. ſuo, & aliis multis, & probatiſſimæ fidei græcis codicibus plenius legi. Profecto codices Regii, Alexandrinus, Barberini, Covelli, Veleſii, Colinæi, Syrus, Æthiops, Copticus Vulgatæ conſpirant. Et vero: quo vocatio, & electio *firmetur* (id propriè ſonat græcum) & ſtabilis reddatur, ut non peccaturis introitus in æternum regnum Chriſti abundanter miniſtretur, quid aliud, quam *bona opera*, eſſe poteſt?

1. Joan. 3. 1. *Et ſimus: Kae eſmen*, Regii Roberti Stephani, Barberini, Colbertini, Colinæi, Genev. & alii probæ notæ codices addunt,

con-

contextu quoque favente, qui filios non ſola nuncupatione, ſed bonorum participatione effectos declarat; vocari in Scripturis, & oculis Dei valet eſſe, unde deſcriptor velut in priori contentum, & ſubintellectum prætermiſerit.

Luc. 15. 22. In polyglottis Anglicanis Tom. 6. qui variantes codicum lectiones complectitur, propius finem var. Lect. N. T[ti] pag. 15. adnotatur, Stephani 2. 8. codices habere *tacheós exenenkate, cito efferte:* ibidem Lucas Brugenſis ſic habet: *Exemplaria præponunt adverbium tacheos: cito, ut editio Latina.* Nempe exemplaria Regiorum, Cantabrigienſis, & Veleſii codicum.

1. Tim. 1. 4. *Ædificationem* (in cognitione fidei, & vitæ probitate profectum) legunt Irenæus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Syriaca verſio, Codd. Claromontanus, Bornerianus, & alii; imo etiam græcus Eraſmi, quo utor edit. 1700. in 8 m. Francof. ad Mœn. & ex Ariæ Montani editione paratus Joan. Leusdenii Berolin. & Lips. 1761. in 12. M. ceterum exigua in verbo; nulla in ſenſu eſt variatio.

§. III.

Oſtenditur hanc Sententiam, neque prout hodie a ſuis defenſoribus explicatur, habere faventia catholicæ Eccleſiæ conſectaria.

I.

Sed parte ea, qua fontibus Hebraicis absque illo Maſoretharum apparatu, quem recentior manus Bibliis intulit, conſideratis ſua integritas aſſeritur, ita hodiedum viget hæc Sententia, ut una doceatur, fontes præciſis vocalibus, interpun-

punctionibus, aliisque diacriticis notis, verſionibus ſemper eſſe præferendos, utpote ad quos has tamquam ad amuſſim, vel, ut amant loqui, tamquam ad Lydium lapidem probari, ſicque demum acceptari, vel rejici oporteat, prout conformes, aut difformes eſſe ex mutua inter ſe collatione apparuerit: quo ſemel præſtabilito authentia Vulgatæ, & verſionum innumerarum, quæ ſunt ex ipſa, id eſt: omnium, quibus Eccleſiæ occidentales per mille, & quod excurrit, annorum ſpatium utuntur, a lectione fontium hodiernorum ſuſpenſa, horum authoritate ſtat, aut cadit.

II.

De Vulgata equidem expreſſam habemus Eccleſiæ declarationem: Trid. SS. 4. *Inſuper ſacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum Librorum, quænam pro Authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus pro Authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

Decretum hoc ſaluberrimum eſſe, quippe etiam prudentiæ Eccleſiaſticæ legibus ſubnixum nemo, etiam ſi a ſacris noſtris alienus, jure negare poteſt. Sane ipſi Proteſtantum moderatiores evidentia veritatis convicti fatentur, unam aliquam in Eccleſia verſionem eſſe opotere, qua in publicis conventibus, & officio Divino omnes utan-

utantur, ne ipſa verſionum diverſitate, & multitudine fideles perturbentur; quod quidem ſi aſſereret nemo, Sana mens poſtularet ita fieri oportere. Hinc in Anglia coacta an. 1604. ab Aſſeclis Calvini Synodo Rex pronunciavit „ edendam eſſe aliquam uniformen Bibliorum translationem, quod Anglicam hactenus bonam vidiſſet nullam, omnium vero peſſimam eſſe Genevenſem; ejusque notas ad marginem adjectas eſſe falſas, ſeditioſas, pernicioſiſſimas „ Hinc conſilium Tridentinorum PP. Vulgatæ auctoritatem decreto ſuo aſſerentium laudat Druſius ad loca difficilia Pentateuchi apud Calmetum diſſert. in Vulgatam libro Ezræ præfixa, quod ſcilicet recentiores verſiones priſcam illam non ſuperent, & majoribus fortaſſe mendis ſcateant. Et Beza magnus Calvini hyperaſpiſtes præf. N. Tti edit. an. 1588. ad Reginam Angliæ ſic loquitur: „ Regum, ac Principum eſſet (meliori jure ergo Pontificis, & Epiſcoporum) ut primo quoque tempore doctiſſimos, ac religioſiſſimos undique cogerent, ex quorum judicio, & authoritate utriusque Tti interpretatio quæpiam ſemel ederetur, cujus, quoad ejus fieri poſſet, ſacra, & inviolata eſſet authoritas „ Chemnicius ait: ſe vulgatam nec rejicere, ne damnare, (licet alibi damnet) quod ſua laus ei debeatur, & utile ſit extare certam aliquam verſionem. quæ in citationibus allegetur. Tigurini Miniſtri in præf. edit. Bibliorum ſuorum: „Vetus Vulgata (inquiunt) manet per nos omnino integra, atque intacta, quippe quam nos hac noſtra neque damnamus, neque mutamus: legatur illa in Theologorum ſcholis, canatur publice in templis, citetur ſola in concionibus ſacris.„

III.

Et vero: ſi unam quampiam tranſlationem acceptari expediens eſt, quam niſi veterem Vulgatam eligi oportebat? cum qua Oxonienſes quoque in editione Verſionis Alexandrinæ an. 1578. fatentur nullam aliam verſionem comparari poſſe, de qua Hugo Grotius turbulento illo tempore in voto pro pace Eccleſiæ hoc fert judicium. „tutiſſima omnium iis, qui nec Hebraice, nec Græce didicêre (proin vulgo omnibus) eſt Vulgata verſio, quæ nullum habet malum dogma, ſicut tot ſeculorum, & gentium conſenſus iudicavit„ Et Conradus Pelicanus, Zvinglii aſſecla præf. in V. T. „placeat (inquit) venerandæ auctoritatis habere translationem Vulgarem in populo Chriſtiano, & noſtram, hanc ei conferri„ Quid vero de Latina hac Pſalmorum editione, quam multi heterodoxorum in modum adeo miſerandum lacerant, in præf. Pſ. judicet, auſculta! „Tanta dexteritate, eruditione, & fide Hebraico quoad ſenſum concordare deprehendimus Vulgatam editionem Pſalterii, ut eruditiſſimum, pariterque piiſſimum, & verè Prophetali Spiritu præditum fuiſſe interpretem Græcum, & Latinum non dubitem; quamquam alicubi diſſentiat a punctis Hebraicis, quibus nunc Judæi utuntur, quæ olim non fuiſſe ſimilia ambigere cogor, & quarundam literarum mutationem factam, ſuſpicio fit conferentibus ſingula diligenter„ Hinc etiam Andreas Oſiander Academiæ Tübingenſis Doctor maluit Vulgatam adjectis, ubi ab Originali deflectere videbatur, notis ita a corruptelis (ut putavit) vindicatam edere, ac publico uſui deſtinare, quam novam ſimpliciter moliri verſionem. Et hæc doctiſſimorum heterodoxorum

rum

rum de Vulgata judicia ad Tridentinæ Conſtitutionis orthodoxiam Oſtendendam interim ſufficiant.

IV.

Authentiam ad res fidei, & morum, quas hæretici in hac editione in quæſtionem vocaverunt, præcipue refert Synodus, dum ſacros hos libros, prout in Vulgata editione habentur, *fontem* appellat *omnis & ſalutaris veritatis*, & *morum diſciplinæ*, dum cunctis innoteſcere vult, *quibus potiſſimum teſtimoniis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit uſura*. Nempe: ratio, ſcopusque decreti nihil ultra poſcebat. Fontibus de authoritate, qua tum pollebant, nihil fuiſſe detractum, non eſt, quod adductis eorum, qui concilio intererant, præſtantiſſimorum Theologorum Andreæ Vega, Salmeronis, Hier. Oleaſtri, Didaci Payva, aliorumque: Pallavicini item, & Bellarmini teſtimoniis Adverſarii probent, quod magno conatu ipſos facere video; verba enim decreti adeo clara ſunt, ut nullius explicationis egeant, ſolum ad verſiones, easque Latinas exſerte reſtringuntur.

V.

Haud tamen eſt difficile oſtendere, Patres judicaſſe, Hebræum, Græcumve textum, ut pote mendis ſuis vitiatos, abſolutam Vulgatæ normam eſſe non poſſe, quo ſemel conceſſo ruit omne contrariæ ſententiæ fundamentum; huc enim tamquam ad baſim omnis hæc revocanda eſt inter me, & Adverſarios mota quæſtio: An fontes hodierni juxta mentem Patrum Tridentinorum ſint immobilis, & certiſſima Archetypi re-

præſentatio, atque abſoluta Vulgatæ norma? non eſſe evincunt.

10 Ipſa decreti verba clariſſima, dum enim in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus ita pro Authentica declaratur, *ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat. Nullo prætextu* ſi penitius inſpicias, eos deſignat prætextus, quos formabant hæretici, inter quos præcipuus fuit, Vulgatam multiplici vitiorum genere adeo eſſe deformatam., ut exemplar repræſentando puro Dei ve bo idoneum cenſeri haud poſſit. Prætextui iſti alter præſtabiliebatur: fontibus hodiernis ſuam adhuc ſtare primigeniam integritatem, quos lapidis Lydii loco haberi oporeat, ex quibus illud recta ſequebatur, Vulgatam prætextu diſcrepantiæ ipſius ab hodiernis fontibus rejici omnino debere; conſtat hæc dixiſſe hæreticos, conſtat verba decreti illorum dictis, & ſententiis condemnandis aptata, & oppoſita fuiſſe. Hæc graviſſimis verbis concepta declaratio aut nihil, aut hoc quoque complectitur, quo in controverſiis religionis nec prætextu fontis aliter habentis appellatio concedatur. Notio *Authentici* non admittit, inſtrumentum, quod publica authoritate Authenticum declaratur, fidei non eſſe certæ; ſupponit declaratio hæc, verſionem eſſe ex Authentico exemplari factam fide, & ſcientia integra, ut in omnibus iis, quæ fidei, & morum doctriam, quaqua ratione reſpiciunt, & in contentionem veniunt, ſit omnino fidelis, originali ſuo conformis, ejusque repræſentativa, cujus integritas jam nequeat ex hodiernis Hebraicis, Græcisque exemplaribus æſtimari, aut ſuſpendi, ſecus hoc prætextu rejici poſſet, cum hodie fontium inter, & Vulgatæ lectio-

ctionem non infrequens ſit diverſitas: eſſet tunc Authentica ut ponitur, & non eſſet, quia an conformis ſit Originali, dubitare foret integrum, ejusque fides alterius comparatione probari, aut rejici poſſet, adeoque certam ex ſe fidem non faceret, & eo minus eſſet authoritatis in genere ſuo ſupremæ. Vulgatæ Eccleſia Authentiam tribuit poſitivè, ſeu expreſſo decreto, ſpectatæ, prout in Eccleſia Catholica legi conſvevit, & longo tot ſeculorum uſu probata eſt; ergo tribuit independenter a fontibus hodiernis, quibus eam Patres Concilii Tridentini nec comparant, nec comparandam præcipiunt; conditionem: *ſi Vulgata fontibus veris conſentit:* non ponunt, ſed ſupponunt conditionis veritatem. Neque enim ſolent definitiones Eccleſiæ conditionibus illigari, puta: Eccleſia infallibilis eſt, ſi inhæret verbo Dei: vel hoc dogma, hic articulus, hæc propoſitio veritate nititur, ſi Scripturæ conſentit; e contra abſolutè poſita definitio certos nos reddit, conditionem eſſe, ut vulgo dicitur, purificatam. Conformitatem Vulgatæ, & textûs Originalis Patres Tridentini, non ex nova cum exemplaribus Hebraicis, & Græcis, quæ tunc haberi poterant, collatione repetunt, nullum quippe ad fontes ſui temporis indicant reſpectum, quorum ne meminerunt quidem, directè, & abſolutè Authenticam declarant, via adeo tuta, firmoque pede ſe hoc in negotio procedere rati, ut crederent, etſi nullum tunc ſuperfuiſſet fontium exemplar, de Authentia tamen Vulgatæ omni cum certitudine poſſe decerni, prout actu, quoad eos libros, aut partes librorum, quorum fons non amplius extat, ita decreverunt. Quid igitur illi? modo longum tot ſæculorum in Eccleſia Ca-

 tho-

tholica uſum adducunt; non quod uſus ille intrinſecam Scripturæ Authenticæ rationem Vulgatæ contulerit, ſed quod eam, ut talem repererit. Unde hoc, niſi ex accurata cum fontibus conformitate? igitur veris fontibus in origine ſua conformis extitit; neque enim ſecus Eccleſia Chriſti, quæ in veritate ſemel fundata ejusdem Chriſti Spiritu perpetuo gubernatur, Vulgatam, ut ſcripturam Authenticam, in uſum univerſalem recipere potuiſſet: ſicut autem hoc, ita illud verum, certumque eſſe debet, eandem Vulgatam penes hunc Catholicæ Eccleſiæ uſum perpetuum rationem Scripturæ Authenticæ, quam ſemel habuerit, amittere nunquam potuiſſe; quam verè iſtud dicatur, intelligit, quisquis quid vera, & Catholica ſit Eccleſia, & quam veritas, & indefectibilitas uſitatarum ſcripturarum cum veritate, ac indefectibilitate Eccleſiæ neceſſitudinem habeat, clarè cognoſcit. Uſus itaque ille Vulgatam noſtram, & in origine ſua fontibus adhuc nitidis conformen, & quoad momentoſa in duratione ſua incorruptam fuiſſe conſervatam infallibili documento teſtatur, etſi fontes interea turbati fuiſſent, prout ita eveniſſe viri Catholici, graviſſimi, ut minimum, graviter ſuſpicantur, puſillorum proinde fuerit, ubi non eſt timor, trepidare, etſi enim fontes ex parte vitiatos fuiſſe confitemur, nihilominus quod Patres Tridentinos ſecuros præſtitit, idem orthodoxum omnem ſecurum præſtabit.

Nec valet ratio in contrarium adduci ſolita, qua uſus fuerit etiam Bellarminus in diſſ. ms. *Hebraicam, & Græcam editionem, cum ſint fontes, perſe eſſe Authenticos, nec egere Concilii approbatione, qua Latina, ut verſio, in-*

di-

diguerit, *ut nempe innoteſcat*, *quænam Authentica habenda ſint ex tot Latinis*. Eſt enim perſe manifeſtum, etiam Hebraicam, & Græcam editionem, cum non ſint proprie fontes, ſed mera eorum exemplaria, deſcriptione, vel injuria temporum potuiſſe vitiari, ex quo infallibili egent declaratione, qua conſtet nobis de eorum cum Archetypo conformitate in Origine, & duratione eorum; publica hujus generis teſſera omne aliunde translatum exemplar, etiam ſi in eadem lingua fuerit, ut certam fidem faciat, præditum eſſe oportet; nec tamen neceſſarium eſt poſitivum extare decretum, uſus, & tacita Eccleſiæ adprobatio, quæ Hebræis exemplaribus, quæ Hieronymus nactus eſt, & Vulgatæ ante Conc. Tridentinum fidem aſſeruit, ſufficere jure merito creditur. Authentiam *poſitivam* concilium omnibus illis exemplaribus hodiernis ademit, ſive illa Hebraica V. ſive Græcâ N. T[ti] fuerint, in quibus libri, vel eorum partes defecerint, quos integros cum omnibus ſuis partibus ſuſcipiendos ſub anathemate decernit; certos enim nos reddit, ea, quæ ad verbi Dei integritatem pertinuerunt, ex Hebræis, Græcisque codicibus progreſſu temporis extrita fuiſſe; ab ea autem quæſtione, num Vulgata in iis locis, qui fidei, ac morum doctrinæ illuſtrandæ deſerviunt, *hodiernis fontibus* ſit conformis: ſive, quod idem eſt: an in locis illis fontes iſti vitioſa ſcriptione, aut alio fato turbati non ſint, præſcindit, quod ex eo etiam ſvadetur, quia in momentoſis ad fontes recurri ſolum permittit, ut Vulgata confirmetur, nullatenus vero, ut emendetur.

2o Literæ Cardinalis Cervini Concilii præſidis ad Maffejum 4a, & Legatorum ad Farne-

ſium Cardinalem 26. Apr. 1546. datæ apud Pallavic. L. 6. C. 17. pag. 233. edit. Auguſt. Vind. an. 1775. ex quibus evidenter apparet, PP. unanimi Conſilio cenſuiſſe Vulgatam tutiſſimam eſſe, quippe cui *tam diuturno tempore nunquam hæreſeos nota fuit inuſta, tametſi in aliquo loco videatur ab hebraica locutione diſcrepare, humilique ſerpat ſtylo, nec extra barbarismum aliquem, aut ſolœcismum, cum enim ſatis liqueat, ab Hebræis, atque Hæreticis multa fuiſſe loca in ſacris paginis depravata, haud apparet, quo tutius confugiendum ſit, quam ad obſervationem illius Eccleſiæ, quæ præterquam quod caput eſt Chriſtianæ Reipublicæ, peculiari Dei privilegio, ac beneficio ſemper perſtitit absque hæreſeos labe, cum perpetua, atque nunquam interrupta ſucceſſione Pontificum.*

Vides PP. judicio in dubiis ad traditionem Rom. Eccleſiæ, & ad meliores Vulgatæ Codices in Eccleſiæ Sinu conſervatos ſecurius recurri, quam ad fontes, eo quod ſatis eſſet manifeſtum, hos eſſe ab Hebræis, & hæreticis multis in locis depravatos!

3° Clara Pallavicini L. Citt. Contra Sarpium verba, loquentis ad mentem PP. qui decreti auctores fuêre. pag. 233. initio „*Quæ dein temeritas eſt, tam confidenter affirmare, verſionem a Concilio Comprobatam ab Autographo diſcordare? ubi gentium exiſtit hoc Autographum incorruptum? num forte innoteſcit Suavi, quod per tot ſecula ignoravit Eccleſia?*„ Negat vir doctus ex mente Patrum extare jam hodie fontes prorſus ſinceros, & incorruptos, utpote quos tot ſeculis Eccleſia ignoraverit.

Plu-

Pluribus hîc in rem meam diſputat, & Pag. 229. dicit „*evitari non potuiſſe, quin ſcribarum imperitia, & incuria exemplaria Hebraica edita ſint multis mendis corrupta ſententiam vitiantibus. Quod vero ſpectat ad N. Teſtamentum* (ſic continuat) *Græca exemplaria, quæ noſtra ætate ſuperſunt, mendorum non levium multis in locis revincuntur ex iis, quæ afferunt SS. Patres, deſumpta jam ab iis libris, dum magis incorrupti extabant adhuc in exemplaribus minus remotis, minusque diſcrepantibus a legitimis Autographis. Quare nunc illa Græca exemplaria haud idonei teſtes ſunt ad redarguendam verſionem tam diuturno tempore ab Eccleſia receptam.*„ Pag. 230. ad textum, qui objici poterat, corpori juris Canonici inſertum, quo verſionum fides ad fontes exigenda dicitur, reſpondet, eum pertinuiſſe ad tempus, conſumatum Hieronymi laborem prægreſſum, quo non aderat certa quæpiam, & uniformis translatio tot ſeculorum uſu probata, & authoritatem conſecuta; ipſum quoque Hieronymum poſt modum in ſecundo Bibliorum prologo aliter locutum fuiſſe, quod aptè notat gloſſa in laudato Canone: *ut veterum.* Hæc ille.

4° Declaratio Congregationis Interpretum Conc. Trid. an. 1576. 12ª jan. „Congregatio Generalis cenſuit nihil poſſe aſſeverari, quod repugnet Vulgatæ editioni, etiam ſi eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum, ſive vox, ſive dictio ſola, vel ſyllaba; jotave unum.„ Hanc affero, non ut aſſerto meo efficax ex ipſa naſcatur argumentum, ſed ut innoteſcat, qualis tunc fuerit Vulgatæ aſſerta firmitudo, & authoritas, ab illis ipſis, quorum erat officium

 men-

mentem Concilii interpretari. Nolo interim ſeu de veritate, ſeu de authoritate hujus declarationis non paucis ſuſpectæ lites ſerere, eo ſaltem loco haberi poterit, quo virorum doctorum opiniones conſiſtunt.

5° Præſentiſſima Eccleſiæ praxis, dum, quæ humanâ induſtriâ haberi poterat, hujus Vulgatæ quam emendatiſſima procurata eſt editio: an fontes pro abſoluta norma aſſumpti, ut editio hæc quam emendatiſſima prodeat? legatur tantum præfatio Vulgatæ præfixa, hæc, aliaque huc ſpectantia monumenta docebunt: 1° Fuiſſe Codices Vulgatæ MSS. complures, & vetuſtiores, qui in Urbem undique advecti ſunt, conſultos. 2° Inſpectos quoque Hebraicos, & Græcos fontes. 3° Adhibitos SS. Patrum Commentarios. 4° Quædam, licet ſpectatis hodiernis fontibus mutanda viderentur, *conſulto immutatâ relicta, quod facile fieri poſſe credendum eſt, ut Majores noſtri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quam ſint ii, qui poſt illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortaſſe tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri, atque integri evaſerunt.* An qui ſic procedunt, ſicque loquuntur, fontes hodiernos incorruptos ſupponunt? an eosdem pro abſoluta Vulgatæ norma habent? profecto minime gentium. 5° Additur: ſacræ congregationi ampliſſimorum Cardinalium, aliisque eruditiſſimis viris ad hoc opus à ſede Apoſtolica delectis nec quidem fuiſſe propoſitum, ex fontibus novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare, ſed tantum Vul-

ga-

gatam editionem a mendis veterum librariorum repurgatam, priſtinæ ſuæ puritati, & integritati reſtituere: judicante videlicet Eccleſia hoc prorſus ſufficere, neque nova jam hodie ex fontibus minus puris verſione opus eſſe. Hic hic erat Eccleſiæ labor maximus, Vulgatam primigeniæ ſuæ integritati, prout e manibus S. Hieronymi prodivit, redhibere, non vero ad hodiernorum fontium normam exigere; Interpretem Latinum non ad Hebraicum exemplar revocatum fuiſſe, ſed ad vetuſtos ejusdem interpretationis Codices, atque tum ſolum Correctores ad Hebraicam fidem appellaſſe, cum Latinus interpres in ſenſis verborum fluctuabat, verè dicit Richardus Simonius; ſic namque in Bulla editioni Vulg. an. 1589. & ſeq. adornatæ præfixa Sixtus V. declarat „In his tandem, quæ neque Codicum, neque Doctorum magna conſenſione ſatis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur.„

Sed & Auctores novæ editionis Græcæ N. Tti Sub Urbano VIII. an. 1673. practicè ſuo facto oſtenderunt, uſualem Græcum textum, utpote vitiatum, Verſionum correctorem illimitatum eſſe non poſſe, ipſummet ſæpe correctrice manu egere. Elegerunt nempe Græcum textum Bibliorum Regiorum Philippi 2i Regis Hiſpan. in quo ſignabant loca, quæ 22. MSS. codicum collatione reparanda erant: decem iſtorum Evangelia continebant, octo acta Apoſtolorum, & Epiſtolas omnes: quatuor vero Apocalypſim. In hunc autem modum textum reſtituerunt. 1o Quoties major MSS. Græcorum pars cum Vulgata congruebat, emendabant textum Græcum Re-

Regiorum Bibliorum ex editione Vulgatæ. 2° Quoties omnia Græca â Vulgatæ textu diſcrepabant, textus Græcus his manuſcriptis inſtaurabatur, rejectâ ad calcem capitum veteri lectione. 3° Quoties pleraque MSS. textui eidem non concinebant, eaque varietas ad Vulgatam haud pertinebat, negotium ex majori MSS. numero dirimebatur, appoſito in extremis capitibus, quem mutaverant, loco. 4° Quoties unum duntaxat MS. Vulgatæ lectioni ſavebat, id in annotationibus ad capitis finem non omittebant. Præf. Coll. Context. Græc. Cum MSS. XXII. Codd. Romæ. an. 1673.

Nempe exploratum, perſpectumque habebant, de ipſo Græco N. Tti, vel Hebraico V. Tti codice uſuali rectè quæri, an omni ex parte ſit integer, atque ubi deficit, vel abundat, MSS. antiquorum, aut verſionum fidelium authoritate reſtituendum venire. Nec tum de fonte, ſed de variantium interſe Hebraicorum, aut Græcorum Codicum bonitate quæſtio inſtituitur. *Fons ſemper præferendus eſt rivulis verſionum* de reali fonte, ſeu Archetypo æterna veritas eſt, de exemplaribus hodiernis novitium commentum.

6° Eorum, qui Concilio præſentes erant, vel proximo mox tempore ſcripſerunt, manifeſta ſententia, ex quibus præter laudatum jam Pallavicinum, Melchiorem Canum diſertiſſimum, & doctum, inſuper linguarum ſacrarum, ut inter elogia ejus notatur, cognitione præditum Epiſcopum hîc nominare ſufficiat, qui & fontes corruptos eſſe aſſerit, & non eſſe ad eos recurrendum pluribus urget L. 2. c. 15. de locis. Nec obeſt, Canum ipſum fateri, *pleroſque* contrarium

rium tenere L. 2. fine capitis 12i , namquæ per *pleroſque* multos intelligit, & quidem eos, qui errores negant malitia judæorum multiplicatos, cæterum ibi Nro 30. addit tales *novarum rerum* eſſe *ſtudioſos*, quo indicat homines ejusmodi, quales non decet eſſe Catholicos. Doctiſſimum, & â prolegomenis in Scripturam, commentariisque potiſſimum in epiſtolam ad ad Rom. celebrem Salmeronem, doctiſſimum pariter, & celeberrimum Card. Bellarminum, linguarum Hebrææ, & Græcæ intelligentia conſpicuos, quos dum adverſarii pro ſe adducunt, imperitè faciunt, clariſſima enim horum eſt ſententia operibus ipſorum publicis inſerta, pluribusque argumentis defenſa, Hebræos, & Græcos fontes non paucis in locis eſſe corruptos, quorum ſi ipſi authoritate utuntur, in me, quod expreſſam eorum ſententiam tueor, cur reprehendunt? profiteor ego cum Bellarmino, L. 2. de V. D. C. 10. Calvini mendacium eſſe, Vulgatam â Concilio ipſis veris fontibus præferri, aut decreto Concilii ademptam fuiſſe Theologis facultatem certis caſibus ad fontes recurrendi; fateantur, & ipſi cum eodem, Tom. 1. Contr. L. 2. C. 11. „negari non poſſe, quin ſint fontes ſcripturarum anteponendi rivulis verſionum, quando conſtat fontes non eſſe turbatos, nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere jam ante Oſtendimus. Et certè vix dubitari, poteſt quin ſicut Latina Eccleſia conſtantior fuit in fide retinenda, quam Græca; ita etiam vigilantior fuerit in ſuis codicibus â Corruptione defendendis; quod enim olim Hieronymus ſcripſit ad Damaſum in epl. de nomine hypoſtaſis, nunc maxime locum habet, videlicet profligato a Græcis patrimonio,

apud

apud Latinos tantum incorruptam Patrum hæreditatem ſervari „ Quatvor locos de Meſſia, & adjunctis eum ſpectantibus, quos in Hebræo fonte corruptos eſſe dicit, vide apud ipſum L. 2. C. 2. de V. D. negat quidem a Judæis ſcripturas ſtudioſè depravatas, zelo hæreticis fontes a Concilio repudiatos fuiſſe clamitantibus plenius reſpondendi, corruptiones aliis de cauſis ortas fuiſſe ſtatuit, quas tamen & aſſerit, & demonſtrat; addit verò gravem, & periculi plenum errorem eſſe, Vulgatam ad fontes ubique velle Corrigere, quo ipſo contrarium ſentientes ſatis refellit. Profiteor ego cum Salmerone proleg. 3. *licere nobis ſalva Concilii authoritate tam ex Hebraicis, quam ex Græciſ exemplaribus ſumere efficax argumentum, tamquam ex textu Scripturæ ſanctæ*„ ſed hac obſervatâ, quam ibi adnectit, ſanioris critices regula: *Si quando contingeret, ut aliud legamus in Vulgata, & latina editione, aliud vero in Hebraicis, aut Græcis codicibus.* 1º *Si non contradicunt, ſed tantum ſunt diverſa, utraque lectio eſt explicanda in Catholico ſenſu.* 2º *Si vero contradicant ſibi invicem, ſicut affirmatio, & negatio. quod perrarum eſſe ſolet, adhibenda eſt diligentia, & omnis opera ponenda, ſi qua ratione poſſimus oſtendere, illa in ſpeciem tantum, & non reipſa ſibi adverſari.* 3º *Ubi vero nulla poſſet oriri concordia, illi lectioni magis ſtandum, quæ magis cum præcedentibus, & ſequentibus conſonaret, aut quæ magis conveniret cum Apoſtolicis, & Evangelicis literis; aut quæ antiquiora, & probatiora exemplaria haberet pro ſe, aut quæ a pluribus Patribus agnita, & probata, ſive ſit Hebræa, ſive Græca, ſive Latina.* Pa-

Fateantur & illi, teneantque ſententiam ejus in prolegomenis edit. Coloniæ Agrippinæ an. 1612. proleg. III. pag. 24. Hæreticorum Conſilium fuiſſe, ut ſi hanc (Vulgatam) veterem editionem falſitatis convincere poſſent, confeſtim nobis opponerent, veterem Eccleſiam, quæ ſine veris, & ſinceris ſcripturis fuit, Eccleſiam Dei veram minime fuiſſe, & a ſe ipſis, & ſua ætate veram Eccleſiam ortam fuiſſe. Qui proleg. IV. ait *veritatem ſeu lectionem Hebræam non eſſe ſine plerisque vitiis, & corruptionibus, ut non ſit illi per omnia temeré fides adhibenda.* Primo quidem judæos 70 editionem vitiaſſe, quod vero neque ſacris Hebræis fontibus pepercerint, multis poſſe modis demonſtrari. Alia inter porro ſic arguit: Si Hebraica lectio non eſt vitiata, tunc 70. & Vulgata falſa dicenda erit & depravata; mox adfert illud Jer. 8. 8. *veré mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum.* Speciatim docet vocem *ſchilo* gen. 49. eſſe nullius ſenſûs, ut adeo Pagninus ſine interpretatione prætermiſerit. In Lectione Pſ. 21. 17. *ſicut Leo* loco *foderunt* Pagninum excogitaſſe ridiculum commentum, Davide per abrupta fugiente inſtar quadrupedis manus ejus, & pedes perforatos fuiſſe, melius loqui Munſterum, recurri debere ad antiqua exemplaria. Univerſim non ſine multiplicibus aliunde petitis argumentis loca undecim corrupta producit, inter quæ eſt Pſalmo 95. *regnavit a ligno Deus:* To *a ligno* olim in textu Hebræo adfuiſſe, etiam contextu favente: *tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum.* Caſſiodorum dicere: *Aliqui quidem non habent translatores,*

ſed

ſed nobis ſufficit, quod 70. interpretum authoritate nobis firmatum eſt. Hæc Salmeron.

7° Imo vero aſſertio hæc de aliqua non ſolum verba, ſed ipſas etiam ſententias reſpiciente corruptione fontium communis Doctorum fuit in Eccleſia usque ad tempora noviſſimi ſyſtematis, univerſim non tantum aſſerebant Catholici fontes Vulgatæ normam Conſtitui non poſſe, inſuper conſtanter docuêre, fontes in locis compluribus fluere corruptos, ſententiarum autem diverſitas ſolum ſpectabat modum corruptionis: nempe docebant alii cum Jacobo Chriſtopolitano, Guilielmo Lindano L. 1. de opt. gen. interpr. C. 2. & in præf. Jacobo Gordono L. 1. de verbo Dei c 9. & 10. qui ſeptem locos adducit a judæis ad obſcurandam Hebræi textûs veritem Chriſtianis apertiſſime faventem, malitiosè corruptos, Melchiore Cano, Salmerone, Bonfrerio, Morino, textum Hebræum de induſtria eſſe mutatum, & corruptum poſt tempora Hieronymi.

Alii cum Bellarmino, Gregorio de Valentia L. 8. Analyſ. C. 5. Tannero de verbo Dei Theſi 46. Stapletone Contr. 5. 9. 3. ar 1. Sandero L. 7. de viſibili Monarchia ad an. 1542. Scribarum Oſcitantiæ, viciſſitudini temporum, aliisque hujusmodi cauſis vitia deputaverunt.

Atque hæc Vittackerus, & ceteri Heterodoxi, nec diffitente Valtono aſſerunt apud Pontificios doceri, neque in hoc falluntur, qui dum oppoſuiſſent, *ex omnibus Pontificiis Doctoribus vix unum repertum, qui aſſereret Hebræum Codicem eſſe normam, & judicem controverſiarum dijudicandarum* „reponit Jacobus Gretzerus in defenſione operum Bellarmini edit.

Ra-

Ratisbonæ 1736. Tom. 8. pag. 1025. hæreticam eſſe ſententiam, ſi quis pro judice controverſiarum Hebræum textum cum novatoribus agnoſcat; ubi Vulgatæ conſentit, normam eſſe, quia ſcitur ex authoritate Eccleſiæ ibi veris fontibus conformem decurrere, ſed ſenſu novatorum normam eſſe non poſſe, ut quod aliter eſt, aut ſimpliciter non eſt in Hebræo, ad Hebræum textum debeat revocari. Pariter Græcos N. T^ti^ codices non eſſe generaliter corruptos, nec tamen eſſe fontes puriſſimos, ut neceſſario corrigendum ſit, quidquid ab eis diſſentit. *Nemo orthodoxorum* (proſequitur Gretzerus) *adeo inſanit, ut tam inſanam aſſertionem tueatur.*

In præf. Editionis Polyglottorum Card. Ximenii an. 1545. longe plus dicitur: videlicet pro fonte haberi debere Vulgatam, non Hebræum textum hodiernum, ſicut enim Chriſtus, & Apoſtoli 70. viralem verſionem vigente Eccleſia veteri ſecuti ſunt, quod Eccleſia eàdem uteretur, ita & hodie eam Scripturam eſſe pro norma habendam, quam Eccleſia uſu ſuo probat. Joan. Morinus L. 1. Exerc. 6. C. 12. n. 11. decernit, Vulgatam verſionem ipſis fontibus, id eſt: Codicibus ipſa Prophetarum, & Apoſtolorum manu deſcriptis longe ſimiliorem, & conformiorem eſſe, quam ſint jam hodie ipſi textus originarii. In Præfat. Bibl. polyglottis Paris. præfixâ. Mich. le jay ita mentem ſuam declarat „Quod vero Hebræo, aliiſquè contextibus minus, quam Vulgatæ verſioni ducimus deferendum, nemo equidem nos erroris redarguat, niſi Evangeliſtas etiam ipſos, Apoſtolos, & priſcos omnes naſcentis Eccleſiæ Patres ſimul audeat reprehendere, qui propalaturi per orbem Evangelium, cæleſtemque

 do-

doctrinam ſparſuri, ex 70. potius interpretum verſione, quos tum Eccleſia ſequebatur, quam ex Hebræo fonte, licet ſtante adhuc veteri Synagoga, teſtimonia ſua, & ſacrarum auctoritatum monumenta repetierunt. Chriſtus ipſe Dominus nihil ſcriptum reliquit, neque ullum ſcribendi præceptum Apoſtolis impoſuit, ut ſuam Eccleſiæ vocem relinqueret, ſignificaretque in primis, nihil ſe quidquam a ſumma ejus auctoritate velle decerptum„ Præfationis in editione polyglotta variarum tranſlationum juxta Exemplar Antverpiæ impreſſum an. 1616. in 4. M. Venet. an. 1747. hæc verba lego „Scripturam V. T^ti Hebraicam judæorum perverſitate nunquam quidem in Univerſum depravatam, ſed tamen poſt annum incarnati verbi 500um non uno in loco malitioſe fuiſſe corruptam, cum prius pauciſſimos errores vel librariorum incuria, vel literarum ſimilitudine, vel ignorantia eorum, qui Characteribus puncta diſtinctiva adjecerunt, contineret„

8° Non me latet, adduci poſſe, qui cum Andrea Vega doceant Authentiam Vulgatæ à Concilio aſſertam eo pertinere, *ut certum omnibus eſſet, nullo eam defædatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide, & moribus colligi poſſet, atque ideo adjectum fuiſſe: ne quis eam quovis prætextu rejicere auderet*, recte de cætero ad fontes recurſum fieri, nec voluiſſe Concilium Vulgatam tamquam Cælo delapſam adorari. Sed qui temporum illorum æqualis, probatus in Eccleſia author ſtatuiſſet, fontes ſuæ ætatis pro abſoluta Vulgatæ norma ubique habendos eſſe, niſi me fallunt omnia, nullus erit. Econtrario Gretzerum, ubi dixiſſet, Vulgatam veris fontibus prælatam non eſſe, ſed ſummum

mum

mum æquatam, veluti fideliſſimam tranſlationem, quoad infallibilitatem in iis, quæ fidei, ac morum doctrinam complectuntur, invenio dicentem Tom. 8. pag. 298. appellationem a Vulgata ad fontes expeditam eſſe viam ad fidem evertendam,, & inducendum Atheiſmum..

Simeon de Muis Hebrææ linguæ Pariſiis Profeſſor Regius, gravis Hebraicæ veritatis vindex, literali in Pſalmos Commentatione laudem adeptus ſingularem, ſolum dicit Judæos ea exemplaria, quæ erant in Chriſtianorum Bibliothecis, ſtudioſe adulterare non potuiſſe: ſed quid iſtud ad præſens inſtitutum? ſi quid uberius loquitur, alibi expoſituri ſumus.

Qui vero opponi vulgo ſolet, & a Juliano Monſperger Inſt. Herm. part. 2. pag. 13. in contrarium adducitur, Joan. Mariana Soc. Jeſu præſtans in Scripturam Scholiaſtes Tract. de Vulgata Lat. C. 9. abſurdum cenſet, ſcripturas, dum in Latina verſione integrè conſervantur, in fontibus depravari: ſed addit: *in univerſum: vel in re majoris momenti:* item *Scripturas* in fonte *penitus amiſſas, aut depravatas fuiſſe.* Aliquas partes Scripturarum, quin & integros libros Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, primigenia, qua editi ſunt, lingua non amplius extare, ſed in ſolis ſupereſſe verſionibus res ipſa clamat, & Mariana confitetur. Ex quo conſequens eſt, hos quoque duos Authores ab adverſa parte minus aptè laudari, cum neuter per ſua dicta fontes abſolutam ubique normam eſſe decernat, quorum aſſertio ſtante etiam tali, qualem adſtruo, fontium corruptione locum habet, & ab iis quoque admittitur, qui hos eſſe multis in locis depravatos ex profeſſo defendunt; namque ſicut per Ad-

verſarios Vulgata ex eo, quod Authentica eſt, fontium correctrix eſſe non debet, ita fontes abſoluta hujus norma eſſe nequeunt, licet quoad ſubſtantiam incorrupti, & authentici eſſe ponantur.

Age! rem ex ipſo, qui objectus eſt, Mariana definiamus! in eodem Tract. de Vulg. Tom. 3. apud Menochium edit. Baſſani 1771. Capitis 6ti titulus habet: *Codices Hebraicos eſſe vitiatos.* Pag. 72. porro ſic idem Author loquitur: *Proximo ſpatio a Chriſti ortu usque ad congregationem Tyberiadis Divinas Scripturas a Judæis fuiſſe vitiatas, & quidem aliquando ex invidia, atque odio Chriſtiani nominis, iniquo animo, multis teſtimoniis Confirmare poſſem.* Laudat vero in rem ſuam præter Tertull. Origenem L. 1. contra Celſum aſſerentem, Judæos multas de Chriſto manifeſtas Prophetias reſecuiſſe, ac e medio ſuſtuliſſe; verſat Origines locum Michææ 5. Et tu Bethlehem domus Ephrata: tum addit: ut agnoſcas plane illorum germanos, qui militibus monumenti cuſtodibus, & reſurrectionis conſciis ſvaſerunt dicere: diſcipuli ejus nobis dormientibus noctu furati ſunt eum. Quod autem apud Hieronymum illo Iſaiæ 7. & *dixi vade*: Origenes in Contrarium argumentatus fuiſſe dicitur, Mariana eatenus verum eſſe arbitratur, ut *non omnibus locis*, quæ in N. Tto citantur, de quibus Origenes hoc loco diſputat, depravatos fuiſſe Hebræorum Codices credere debeamus. Auguſtinum equidem eſſe contrarium, ſed ipſi alios Patres opponi numero plures, authoritate hoc in genere, non minores. Origenem demum, & Hieronymum variè locutos, hunc, quidquid de fide judæorum junior judicaverit, ætate provectiorem Hebræorum fraudes

des cæpiſſe odorari. En ex eodem Authore, in quo præſidium habere ferebatur, profligatam penitus adverſariorum ſententiam! Mariana eodem loco Capite 13°, cujus titulus eſt: *ſeptuaginta interpretes Prophetarum Officio functos*, docet ipſos 70. præſentia Divini numinis ductos neqne fallere potuiſſe, neque falli, ſi ita: niſi ſibi contrarium ponas, ſentire non potuit, omnem, adeoque & hanc verſionem ad Hebræum textum eſſe reformandam, ſi enim Divini Numinis authoritatem habet, ac infallibilis eſt, alterius normam non exigit.

Cajetani Card. intemperanter judaizantis judicium in quæſtionibus circa ſcripturam palam repudio, quem in V. Tto hebraizare, in Novo Eraſmizare in proverbium, & vituperium ejus ceſſit; vir erat ingenio, & Scholaſticarum quæſtionum pertractatione inſignis, in formando de ſcripturis recto judicio minus dexter, lingvarum ignarus, Vulgatæ lectione neglectâ totum'ſe Rabbinis credere coactus, ſine ratione audax. Non puto me nimium dixiſſe. 1° Cajetanus Deutero-Canonicos libros ad claſſem illam commentitiam librorum retrudit, quam Patres Tridentini rejecerunt, quaſi ſolum valerent ad ædificationem morum, non vero ad confirmationem dogmatum; qua diſtinctione librorum modo memoratorum authoritas in dubium vocatur, ſed quæ dubitatio vero ſimiliter Judice Cervino Cardinale apud Pallavicinum L. 6. c. 11. pag. 220. n. 5. *Hauſta eſt ex hæreſeos cloacis ſedulo ſtudentis tamquam falſa calumniari legitima teſtimonia, quibus falſitatem ſuam redargui ſentit.* Certe Wittackerus edit Herbornæ, an. 1590. pag. 60a Lutherum libros Deutero-Canonicos ex Ca-

none expungentem defendit exemplo Cajetani, qui ex Canone N. T^ti epiſtolas Jacobi, 2^am Petri, 2^am & 3^am Joannis, Judæ, Pauli ad Hebræos, & partes controverſas, uti hiſtoriam adulteræ, & alia quæpiam ſuſtulerit, de quibus nunquam Luthero venerit in mentem dubitare. 2° Pallavicinus L. cit. pag. 229. dicit, Cajetani commentarios nec ab hæreticis, nec a catholicis retuliſſe plauſum, mentem ejus cætera præcelſam, quantum ad ſcripturas, jacere ingloriam, eum, qui ipſum ex commentationibus Biblicis æſtimat, idem facere metienti pulcritudinem pavonis non ex pennarum nitore, ſed ex ſquallore pedum. 3° Melchior Canus, etſi Cajetanum Ordinis ſui columen vocet, ad ejus tamen commenta de libris ſacris ſe pudore ſuffundi non diffitetur, qui dum Eraſmi novitates ſequutus eſt, propriam gloriam maculaverit. L. 2. c. 11. reſp. ad 6.

9° Nec illud me præterit, Canonem Sacrorum librorum & adlatum ſuperius pro Vulgatæ authentia decretum, velut præcipiti conſilio in re tanti momenti, nonniſi a Congregatione quinque Cardinalium, & quadraginta octo Epiſcoporum, qui exiguis Diæceſibus præerant, nec magni fûere Theologi, latum a Paullo Sarpio pariter reprehendi, adverſus quod inſuper etiam Romæ vehementer ſit obmurmuratum.

Sed quam habebimus fidem Fratri huic in his accuſationibus hæreticis colludenti, a Paulo V. Vaticano fulmine percuſſo, poſtquam dignior fide alter ejusdem Concilii hiſtoricus, antea laudatus errores facti 360 in ejus hiſtoria detegit? quemve loco Cit. etiam quoad hosce cavillos abunde refellit? mihi, qui Concilii hiſtoricum non

ago;

ago, ſufficit, decretum hoc non a purpuratis tantum Patribus, ſed ab univerſa Synodo, totaque demum Eccleſia Catholica probatum, receptumque fuiſſe; neque ferebat temporum conditio, ut initio plures adeſſent, ſub finem Concilii convenerunt, & decreta omnia denuo ſanxerunt, 6. Cardinales, 4. Legati, 3. Patriarchæ, Archi-Epiſcopi 32. Epiſcopi 228. Abbates 5. Generales ordinum miniſtri 7. Epiſcoporum procuratores plurimi: accedit inde a tempore Concilii acceptatio omnium Eccleſiarum, & uſus Catholicus. Quod vero Sarpius, Wittackerus item, & alii hæretici refragentur, cauſa non latet, qui refragaturi fuiſſent, etiamſi decies centena millia Epiſcoporum congregata hoc tuliſſent decretum. Dicam paucis, quod dixit vaſtorum auctor voluminum, magni nominis etiam apud Proteſtantes criticus, Pariſienſis Theologus, Launojus Op. Tom. V. qui, poſtquam Sarpium Pſeudo-Monachum appellaſſet, & Antonio de Dominis Schiſmatico, aliisque hujus ſimilibus comparaſſet, *qui Dei, qui Eccleſiæ, qui ſublimioris poteſtatis perduelles, ſynodum inſidioſo machinatu lacerarunt; non eſt* (inquit) *unius hominis ſacrilega temeritas Eccleſiæ Chriſti præponenda, niſi quis ſe immemorem nominis, religionis, profeſſionis exhibere voluerit. Verum! non eſt cur immorer in detrahenda hiſtoriæ auctoritate, cui nullam unquam viri boni dederunt, quam ſoli novatores concinnarunt, quam ſoli ſchismatici, & rerum novarum ſtudioſi magni pendunt. Gomorrhæi pomi fuligo eſt, quæ vel levi preſſa tactu fumum Calviniſticum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem Lutheranorum.* Tomi V. par. 2. pag. 779. edit. coloniæ Allobrogum an. 1731.

10° Cæterum vel Sarpius ipſe, qui Petrus Suavis Polanus aliter dici voluit, L. 2. Concil. Trid. aſſerit Vulgatæ a Concilio præcellentem, & merito fuiſſe attributam authoritatem, ſolum addens, eam non eſſe intelligendam cum rejectione, aut excluſione fontium, quaſi ad hos aditus omnis fuiſſet decreto Concilii præcluſus; ubi enim narraſſet, quomodo variantibus inter Patres Concilii ſententiis Andreas Vega Salmanticenſis Ord. S. Franc. Magiſter mediam aperuerit viam, qua & Vulgatæ ſua aſſeratur authentia, & tamen fontium, ac aliarum verſionum non negetur utilitas, proſequitur. „Cum his opinionibus non pugnare, quod dicitur, Eccleſiam habere editionem Latinam Vulgatam, in ea verſione nullum eſſe errorem fidei, aut morum, non autem intelligendum de ſingulis apicibus, & propriis verborum enunciationibus, quod fieri non poſſit, ut omnes unius linguæ voces migrent in aliam absque ſignificati cum reſtrictione, tum extenſione, & ſine metaphora, aliisque figuris: editionem certè Vulgatam ſpatio M. annorum, ac ſupra ab univerſa Eccleſia examinatam eo tempore compertum, nullum inibi aut in fide, aut moribus eſſe errorem, hoc loco, & numero in priſcis illis Conciliis habitam, & receptam, eodem pretio hoc ſeculo habendam, approbandamque, poſſe quidem eam dici, declararique authenticam hac mente, ut cuivis fas ſit eam legere ſine periculo: non ut diligentiores quique per eam vetentur, e fontibus Hebraicis, & Græcis ſitim ſuam explere: ſed ut tot integræ translationes, quæ confuſionem in Eccleſia pariunt, arceantur„ Conſentit igitur quoad ſummam rei Pallavicino affirmanti, authentiam Vulgatæ eo usque

que *certo* fuiſſe extenſam, ut conſtet „ipſi errores non ineſſe ad fidem, moresque pertinentes; ac propterea in eadem nec fraudem, nec apertam diſcrepantiam, ne minimam quidem a Divina ſcriptione, nec ullam ſecum ipſa repugnantiam contineri, in quibus illa ſi deficeret, nec authentica eſſet, nec digna, quæ ab Eccleſia reciperetur„ L. 6. C. 17, pag. 231. n. 9. nempe *ex neceſſaria verborum* in decreto ſynodi contentorum *vi* plus non conſequi, atque ideo eos, qui ex definitione Concilii Vulgatæ plus tribuunt, certam Theologorum Vulgato interpreti inerrantiæ donum attribuentium claſſem conſtituere, a qua alii etiam præſtantiſſimi Theologi in interpretando decreti ſenſu diſcedant. Sed hi ipſi Theologi ab opinione modo dicta abeuntes ſolum dicunt contra hæreticos definitionem Concilii cavillantes, non eum eſſe decreti ſenſum quaſi Vulgata exemplar eſſet numeris omnibus tam abſolutum, ut nihil in eo e fontibus in ullo genere emendari, aut clarius elucidari poſſit, ex quo tamen ſiniſtrè infertur, permitti a Concilio, & ſtante decreto fieri poſſe, ut Vulgatæ lectio univerſim ad fontes hodiernos tamquam ad lapidem lydium reformetur, & in rebus præſertim momenti majoris ex Hebræis, & Græcis exemplaribus indiſcriminatim corrigatur. Iſtud dum non permittitur, cauſa quæritur quæ alia eſſe nequit, quam quod in fontes corruptionem invectam fuiſſe non dubitatur; ſi enim fontes a primæva integritate prorſus non diſceſſiſſent, ita fieri debere æquitatis omnis ratio poſtularet. Ubi Vega, ubi Bellarminus, ubi alter quiſpiam Catholicus dixit unquam, authentiam Vulgatæ per Concilium attributam ex ipſius ad fontes hodier-

diernos reſpectu, & habitudine eſſe metiendam? quidquid ad circumſcribendam Vulgatæ authoritatem proferunt, ad hæreticorum cavillos retundendos, & fontium aliquam utilitatem agnitam dirigitur, non vero, ut fontibus Vulgata penitus ſubjiciatur. En tibi verba Bellarmini! „ Alterum ejusdem (Calvini) mendacium eſt, decreviſſe Patres Tridentinos, minime eſſe audiendos, qui ex fonte ipſo purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falſum coarguunt. Hoc ideo mendacium voco, quia nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam fecerunt mentionem, ſed ſolum ex tot Latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam ceteris anteponerent, & quod Eccleſiæ gravitatem, & Conſtantiam decebat, antiquam novis, probatam longo uſu, recentibus adhuc, ac ut ſic loquar, crudis, denique unam multis, inter ſe diſſidentibus, & pugnantibus„ L. 2. de verbo Dei C. 9. ſi quis purum liquorem ex nativo fonte proferret, certo cognitam ut falſam, Vulgatæ lectionem emendaturus, mendacium vocat, eum decreto Concilii ab hoc faciendo arceri, verſionibus ſolum prælatam dicit, non puris fontibus; negat interim, 1° fontes extare omnino puros, 2° Vulgatam ex fontibus his eſſe æſtimandam. Vulgata fontibus puris non eſt prælata, quod fuiſſet enorme ſcelus, & vehementer abſurdum; ergo Vulgata hodiernis fontibus eſt ſubjecta, veluti quæ ab his tota pendeat: peſſima conſecutio eſt, quam moderni quidam incircumſpectè formant; quaſi nullum interſit inter iſta duo medium, imo quia Vulgatam fontibus puris convenit eſſe conformem, a turbidis, quales hodie circumferri ſupponebant, ſuſpenſam dicere non potuerunt.

110 Plerique poſt Concilii definitionem vel ea de cauſa fontes adire, ut Vulgata in minutioribus emendetur, religioni ſibi ducebant, indicio gravi, omnes judicaſſe, aliquid plus a Concilio Vulgatæ tributum fuiſſe, quam ut ad hodiernorum fontium habitum tota formetur. Andreas Vega, qui, etſi non Epiſcopus, tamen a Concilio magna cum opinione Sapientiæ audiri meruit, adverſus Calvinum aſſerit, Patres ſolum firmaſſe, dogmatico, & pernicioſo errore verſionem iſtam carere; eſto: hoc firmatum eſt, quia ad præſens inſtitutum ſufficiebat. Ergo Vulgatæ plus authoritatis ineſſe Patres non ſupponebant. Quæ rurſus illatio? nonne Concilia paſſim unam, eamque certam definiunt veritatem, ſed ex qua ob arctiorem, intimumque nexum aliam nobis Theologice licet ſtatuere? His ob oculos poſitis nego ex mente citati authoris rectè conſtitui, a Synodo libertatem fuiſſe relictam, Vulgatam fontibus hodiernis ſubjiciendi, quapropter verba ejus L. 15. de Juſtif. C. 9. per extenſum refero. „ Sed ne erres (Calvine!) ut facis, circa approbationem Vulgatæ editionis, factam in ſeſſione IV. nec fruſtra labores in oſtendendis vitiis Vulgatæ editionis, audi obiter hæc pauca, quæ & Philippo (Melanchthoni) dicta velim, qui & ante te graviter de hoc accuſat Patres. Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti, & in ſacris literis mediocriter verſati in ea deprehendunt; Approbavit duntaxat Vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio ſcriptorum, vel chalcographorum in ea obrepſerunt: nec eam tamquam e cælo delapſam adorari voluit, interpretem illius, quisquis ille fuerit, ſciebat non fuiſſe

fuiſſe Prophetam, nec nos meruiſſe hactenus quemquam, qui eodem in omnibus Spiritu ſacras literas a propria, & nativa lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit ſtudioſorum linguarum induſtriam, qui aliquando docent, *melius* potuiſſe aliqua verti, & uno, eodemque verbo plures nobis ſuggeſſiſſe Spiritum S. ſenſus, vel certe alios commodiores, quam e Vulgata editione poſſent haberi: ſed in honorem vetuſtatis, & honoris, quem ei jam a multis annis detulerant Concilia Latina, quæ ſunt ea uſa, & ut certo ſcirent fideles, quod & veriſſimum eſt, nullum inde haberi poſſe pernicioſum errorem, & tuto illam, & citra periculum legi poſſe, ad Coercendam etiam confuſionem, quam affert multitudo translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi ſemper novas translationes, ſapienter ſtatuit, ut iſta uteremur in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus: atque eatenus voluit eam haberi authenticam, ut certum omnibus eſſet, nullo eam defædatam errore, exquo pernicioſum aliquod dogma in fide, & moribus Colligi poſſet, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. Et hanc fuiſſe mentem Synodi, nec quidquam amplius ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis, & ex aliis conſvetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, veriſſime poſſum tibi allegare pro his ampliſſimum, & obſervantiſſimum Dominum S. Crucis Cardinalem de pietate, de literis, & ſtudioſis omnibus optime meritum, qui illi ſeſſioni, & aliis præfuit, ac pridie quidem, quam illud decretum firmaretur, & poſtea, non opinor ſemel,

mel, mihi teſtatus eſt, nihil amplius Patres voluiſſe firmare. Itaque nec tu, nec quiſquam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quo minus ubi hæſitaverit, ad fontes recurrat, & in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo juventur, & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui Spiritus S. & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea, aſſequatur.„ Quis hæc non admittat, etiam ſi Vulgata excellentiori quodam gradu ponatur authentica, & fontes in frequentioribus, & momentoſis locis corrupti? quis Morinus, aut. Houbigantius Maſoretharum codicibus infenſior his dictis ſe opponat? Porro Vega incidenter, & ex occaſione hæc protulit Loco Citt. pag. 691. edit. Coloniæ an. 1572. in fol. cum enim dogma Eccleſiæ de neceſſitate proficiendi in accepta juſtitia, ſeu de augmento juſtitiæ usque vitæ finem ſolicitè curando a Concilio Seſſ. 6. C. 10. ex Scripturæ textibus rectè ſtatutum fuiſſe probaret, Calvinus arguebat, locum Eccleſiaſtici 18. 22. *non impediaris orare ſemper*, &c. *ne verearis* aut juxta alios codices: *ne veteris*, h. e. impediaris *usque ad mortem juſtificari*, in Græco, qui amiſſo textu Hebraico fontis loco haberi cæpit, ſolum eſſe: *ne differas*, *ne expectes*, quod realiter diverſum eſt, atque ita Patribus debile hoc fundamentum Vulgatæ lectionem fucum feciſſe. Vega adducto Græco textu oſtendit, illud *mè meinès* quippe dupplicis ſignificationis utrumque valere, ſpectata autem SS. PP. expoſitione, & contextûs efficacia ſenſum Vulgatæ multo germaniorem eſſe, qui etiam Græco textui convenienter tribui poſſit: *ne maneas*, ſiſtas, *ceſſes*, deſinas usque ad mor-

mortem juſtificari. Ex occaſſione hac Cavillos repreſſurus aſſerit Patres Concilii fontes non ita rejeciſſe, quaſi dogmata ſua corruptæ Vulgatæ editioni velut unico fundamento inniti voluerint. Videant, qui Vegam pro ſe adducunt, ne ſi ejus verbis ſuum ſenſum affingant, Vulgatam etiam verſionibus, qualis eſt illa Eccleſiaſtici, inferiorem efficiant!

§. IV.

Ad plenius intelligendam Concilii Trid. definitionem multiplex Authentici notio evolvitur.

I.

Multiplex eſt Authentici apud Theologos uſurpata notio, quæ ut intelligatur, hæc, quæ ſequuntur, oportet prænotare.

(a) Exemplar illud, quod ex manibus ſacri ſcriptoris prodivit, vocatur *Archetypon*, vel *Autographum*, ſeu primigenium Originale, *primigenium* dico: nam communi ſermone dicimus textum Originalem, ſeu fontem etiam illud exemplar, quod in eadem lingva ex Archetypo eſt tranſſcriptum, & vulgo copia nominatur: uti dum Archetypon non amplius extat, ſed tantum exemplar ex illo deſcriptum, & idonea authoritate munitum, qua conſtet Archetypo ſuo eſſe conforme. Hoc tantum ſenſu ſolet vocari hic, aut ille textus ſcripturæ *Originalis*, nempe in quantum non eſt verſio, ſed exemplar in eadem lingva nulla facta mutatione deſcriptum; Si certis documentis conſtet tale exemplar archetypo ſuo in omnibus eſſe con-

forme, tunc eſt, & rectè vocatur Authenticum. Quodſi propria authoris manu eſt ſcriptum, *idiochiron*, *idiographon*, vel etiam *holographon* appellatur. Hinc mentio holographorum, & membranarum holographarum apud veteres ſæpius occurrit, ut dum ipſum exemplar, teſtamentum, aut epiſtola manu notariorum, ſubſcriptiones vero *aliâ*, vel, ut mos erat loquendi, *Divinâ manu* h. e. ipſius principalis agentis exarantur. Hieron. in Rufinum. Aug. epl. 45. ad Armentarium & Riparium. & plur. Biblioth. PP. edit. Gallandi Venet. 1788. Tom. X. pag. 547.

(b) Porro non eſt dubium, nullibi in orbe terrarum ſupereſſe amplius cujuscunque demum Libri ſeu V. ſeu N. T[ti] archetypon, quod ſacer ſcriptor aut ſua manu ſcripſiſſet, aut ſuo dictaſſet amanuenſi; quæ res conſiderationem meretur. Extant itaque mera *Ectypa*, ſeu *apographa*, autographis jam pridem deperditis, & quidem licet antiquiſſimum quodpiam V. aut N. T[ti] exemplar in medium proferretur, plura millia apographorum illud præceſſiſſe non ambigitur.

(c) Apographa hæc eandem omnino fidem faciunt, ac Archetypon, ſed tantum conditionatè, ſi accuratè, nulla facta mutatione, h. e. nec addendo, nec demendo, nec aliter immutando, aut tranſponendo ſint deſcripta, adeo, ut ſi præſens apographum non primum ſit, ſed forte milleſimum, neceſſe ſit, in nullius apographi deſcriptione, aut perduratione mutationem contigiſſe, ſi enim ſecus evenit, apographum archetypo jam non eſt conforme. Conſideratio iſta facit, ut apographa illa, ex quibus 70. viralis, Hieronymiana, & aliæ antiquiſſimæ verſio-

nes

nes' paratæ ſunt, modernis integriora, & archetypis ſuis magis conformia cum Eccleſia Catholica judicemus.

(d) Hæc autem conformitas duplex non male concipitur; prior propriè dicta, ſeu *interna*, dum ſecundum ſe, & a parte rei tale exemplar eſt conforme archetypo, non tamen conſtat nobis de hac conformitate, quia certis argumentis, quibus eam adſtruamus, deſtituimur; poſterior *externa*, ſeu relativa quoad nos, dum non tantum quoad ſe eſt conforme, ſed inſuper nos quoque indiciis minime ambiguis de eo ipſo certi reddimur; patet internam conformitatem ſine externa, & relativa quoad nos in ſenſu præſentis quæſtionis authentiæ non ſufficere. Dum quodpiam inſtrumentum verbi Dei non minus externe, & quoad nos, quam interne, & quoad ſe primigenio ſuo exemplari conforme eſſe dignoſcitur, propriè nominatur *Authenticum.*

(e) Vocabulum *Authenticus* juxta etymon vocis venit ab *avtos*, ipſe, & *heis entos*, quod eſt participium ab *heìmè* mitto, quaſi: Ipſe ſua authoritate mittens, ſeu ad nos veritatem transmittens: vel ſecundum alios: ab *heis* unus, quod hic ipſe unus authoritatem præbeat, nec opus ſit alio. Vel ab *autos*, & *entea* arma, quod ipſe ſufficientia habeat arma ad defenſionem. Inde *Authentès* eſt, qui agit authoritate ſua, ut non indigeat alio, a quo eam mutuetur: & verbum *authenteo*, authoritatem perme, meoque jure exerceo; occurrit etiam in Bibliis 1. Tim: 2. 12. ubi Paulus mulieri non permittit docere in Eccleſia, neque, *authentein andros*, authoritatem viri exercere, in virum dominari, independenter a viro ſua authoritate agere.

(f)

(f) Vox cæpit primum apud juris conſultos uſurpari, a quibus ſecundum Juliani definitionem tract. de fid. inſtrum. Authenticum dicitur, *ſcriptum aliquod, quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæſtionem vocari queat.* Unde Authenticum dicitur, quod perfectam demonſtrationem, & convictionem præſtat, ut id, quod, & in quantum teſtatur, debeat ab omnibus admitti. Vulgari uſu Authentici nomine venit, quidquid non eſt adulterinum, ſed genuinum; Iſta termini acceptione fontes, & omnes verſiones, quæ fide genuina ex archetypis deromptæ ſunt, & a viris idoneis, a fraudis ſuſpicione remotis elaboratæ, per ſeſe authenticæ ſunt, tamquam exempla acti alicujus, quod ex ſe authenticum eſt. Ita pronunciat Rich. Simonius celeber in ſcript. S. Criticus. Itaque authenticum eſt idem, atque *exemplar fidele, & germanum, quod interpolatum non eſt.*

(g) Hac tamen acceptione vocis Tridentino decreto robur omne adimitur, ſi quis ad mentem Simonii interpretetur; nimirum judice ipſo Hebraica exemplaria graviſſimis mendis ſcatent, & corruptiſſima ſunt inde ab annis ante Chriſtum plus minus trecentis, ut exemplaria pura neque 70. viri nacti fuerint. Ergo juxta definitionem ipſi Simonio probatam Hebraica exemplaria authentica non ſunt. Rurſus: Si ipſum audimus: nullæ ſuperſunt verſiones, ſive veteres, ſive recentiores puræ, ſed ſolum in multis vitiatæ, ex corruptis, & mendoſiſſimis apographis tranſlatæ. Ergo nullæ ſuperſunt verſiones authenticæ. Ita ſe ipſas conficiunt regulæ

Simonii, niſi omnino ſobrie intelligantur, alioquin practicè impoſſibiles, & deductivæ ad deſtructionem, & everſionem Bibliorum, quas tamen ad æthera extolli videas. De Vulgata ſic idem pronunciat: „quamquam aliis Bibliorum verſionibus non acceſſerit publica, & firma veritatis auctoritas, non deſinunt tamen per ſe hujuſmodi eſſe. —— hoc uno differunt Vulgata, aliæque verſiones, quod nos ſcilicet devincti ſumus ad Vulgatam in authenticis numerandam, quippe ita de illa, non vero de aliis definitum eſt.„ Quaſi dicat: Definitio Eccleſiæ de authentia Vulgatæ nihilo majorem ejus ponit ſinceritatem, & conformitatem cum archetypo, quam habeant aliæ verſiones, *pacis ſtudio* ipſam præ aliis retinendam: decretum conc. Trid. eo tantum ſpectare, ut rectum ſervet ordinem, atque univerſa diſſidia ſubmoveat, Vulgatam interpretes nonnullos in errorem induxiſſe, &c.

Falſa eſt hæc interpretatio Simonii, dum enim Vulgatam omnibus cæteris anteferendam Concilium ſtatuit, ut ex omnibus quænam pro authentica habeatur, innoteſcat, editis hactenus verſionibus Latinis fideliorem, & archetypo conformiorem non obſcurè innuit.

(h) Nos ita explicamus: Authenticum exemplar eſſe, ſeu ſit apographum, ſeu in aliam linguam translatio, quod archetypon fideliter exprimit; quia vero archetypon iſtud totum quoddam eſt, multis conſtans partibus, ſi totum fideliter exprimit, ex toto, ſi tantum partem, ex parte erit authenticum, in ſe quidem illico: quoad nos autem, dum certis indiciis de hac ex toto, vel ex parte fideli expreſſione conſtiterit. Rurſus: pars, qua exemplar a fideli expreſſione di-

diſcedit, vel ſolum ad minuta, & ad rei momentum nihil facientia, vel ad ſubſtantialia pertinet: abſolutè loquendo *in minutis* nec requiritur, nec certo innoteſcit ſeu apographorum, ſeu verſionum cum archetypo conformitas, quia hæc nec directe, nec indirectè ſunt neceſſaria, nec Eccleſia definitione ſua in hæc videtur intendiſſe, quamvis etiam in his probatæ per eam verſionis fidelitas cæteris paribus prælationem omnem mereatur. *Subſtantialia* vel reſtricto, vel latiori ſenſu intelliguntur, reſtricto: dum id unum ſpectatur, ut in textu nihil ſit contra fidem, & bonos mores, lectio talis exemplaris propoſitionem dogmatibus, & regulis morum adverſantem non contineat. Hac extenſione omne apographum, omniſque verſio authentica eſt, quis enim perverſiſſimus verbum Dei ita deformet in ſua verſione, ut dogmata falſa, morumque depravationem directè offerat? nemo Orthodoxorum uſque adeo impius eſt; ſed authentia hujuſmodi nequaquam ſufficit, inſuper requiritur, ut apographum, aut verſio ſubſtantialia *poſitivè* exhibeat conformiter archetypo, & de hoc nobis conſtet; ſi enim non quidem oppugnat veram lectionem, nec ponit ejus contrarium, ſupprimit tamen, & occultat ſubſtantialia, non jam integrum, neque fidele erit exemplar. Sunt autem *ſubſtantialia*, quibus exprimitur res momentoſa, quæ ſpectat ad dogma, vel doctrinam morum, aut demum ad hiſtoriam, ſed in ea notabile aliquid, & ad commendationem religionis, aut virtutis cujuſpiam reductivè pertinens complectitur. Talia ſunt in Libro Eſther 7. poſteriora capita, & fragmenta Danielis. Item ſi tale exemplar exhibeat totum corpus Biblicum,

ut ponitur, & tamen prætermittat libros aliquos certo Divinos, adeoque ad numerum librorum ſacrorum referendos, quippe in tali lingua deperditos; demum ſubſtantialibus adnumerandi ſunt illi textus, quos in Eccleſia adhibemus firmandis dogmatibus noſtræ religionis, Meſſiæ attributis explicandis, aut morum doctrinæ illuſtrandæ. Hujusmodi textus eſt Pſ. 21. *foderunt manus meas & pedes meos.* &c. Spectandus quippe, ut eſt antecedentibus, & conſequentibus ſtipatus, & Chriſti patientis circumſtantias complectitur, veritatem futuris N. Legis ætatibus ſervituram; ſane non rem parvi momenti tunc Spiritus S. per Davidem Propheticè docuit, ſed inſignem redemptionis noſtræ circumſtantiam, quam ubi impreſſus hodiernus Hebræorum textus alio transfert, aut abolet, hanc ſive temerariam, ſive fortuitam depravationem in ſubſtantialibus numeramus. In N. T^to^ illud 1. Joan. 5. 7. *tres ſunt* &c. Si qui Codices Græci non habent, ut revera non habent plurimi, eos hoc loco ſubſtantiale vitium ferre, ſeu defectum graviſſimum habere aſſeveramus. His, & affinibus textibus aut prætermiſſis, aut aliorſum deflexis religio utique non peribit, nec dogma quodpiam evertetur, ſicut nec everteretur ſi E. gr. Liber Eſtheris, Tobiæ, aut quædam Apoſtolorum epiſtola aliquo caſu tota periret; nihilominus omittere, aut aliorſum declinare pericopas iſtas eſſet grande ſcelus committere in ſubſtantialibus, nam quod vere Authenticum eſt, non tantam non debet falſum docere, ſed etiam non debet in rebus alicujus momenti verum omittere, vel, in aliud convertere. Ne autem omnis iſta de ſubſtantialibus contentio in logomachiam abeat, hanc propoſitionem: *Fons Hebræus*

in

in ſubſtantialibus integer eſt: eo ſolum duplici ſenſu cenſeo poſſe ſuſtineri; 1° Quod in his errores comparative deprehendantur pauciores, dum ex adverſo in minutioribus occurrunt complures. 2° Quod fontes nuſpiam contineant ſententiam aliquam dogmatibus fidei, & regulis morum certo Conſilio, & ex propoſito adverſantem; proprio autem, & obvio ſenſu judico propoſitionem eſſe falſam, & ſubſtantialia Complura in fontibus hodie vitioſe legi, ac proin corrupta, & in deterius mutata eſſe palam enuncio, nam omnia loca de Meſſia Claſſica ſubſtantialibus ſunt adnumeranda, quia aut nihil, aut hoc quoque omne Corporis Biblici V. T^ti ſubſtantiam efficit, quo Meſſiæ attributa revelantur; atqui demonſtraturum me confido, horum per multa aliter hodie, quam olim lecta fuerint, in Hebraicis exemplaribus circumferri.

(i) Si itaque placet denominationem ſumere a parte majori, Hebræus, & Græcus textus authenticus dici meretur, quia archetypon plerumque fideliter repræſentat, aut, dum quoſpiam offert errores, potiſſimum ſunt exigui momenti, neque ſummam rei afficiunt, qui ſi authentiæ præjudicarent, jam nihil in orbe, quod vetuſtum eſt, foret authenticum; Loquendo tamen propriè, non videtur hæc appellatio attribuenda eſſe, niſi exemplari, quod in ſubſtantialibus ſenſu mox expoſito acceptis integrum eſt, & in momentoſis omnino fidele, neque enim in hujusmodi inſtrumentis procedimus, ſicut in denominandis civitatibus, & ſocietatibus, quas opulentas, & eruditas ſolemus vocare, quod major, aut potior pars talis eſſe noſcatur. Scriptura S. Teſtamentum Dei Patris eſt, & vocatur, in quo

 illud

illud obtinet: *bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet* (ſubſtantiali) *defectu;* in quantum eſt defectuoſum, & luxatum, in tantum utique non eſt authenticum; teſtis ex integro fidelis titulo dignus non eſt, qui in ſubſtantialibus, & momentoſis aliquoties teſtimonium perhibet falſitati.

Hac ratione dum contra *abſolutam* Originalis Hebræi, & Græci textûs authentiam multa diſputo, dicere volo, non eſſe abſolute authenticum exemplar, quod a ſuo Originali in multis deficit, & non paucas in alienum ſenſum deflexas propoſitiones, & vitiatas etiam in momentoſis offert quandoque lectiones; namque per *abſolutam* authentiam eum authentiæ gradum intelligo, qui fontes hodiernos ad parem archetypo ſuo dignitatem evehit, veluti qui ſupremæ ſint, & irreformabilis authoritatis, non tantum in rebus fidei, & morum, ſed inſuper in iis omnibus, quæ ad hiſtoriam, aut qualemcunque ſententiarum veritatem pertinent, ut adeo ad habendam plenariam archetypi fidem ſoli ſufficiant, nec ullus pro ſcripto Dei verbo ex integro fideliter repræſentando ad antiquas verſiones reſpectus ſit neceſſarius. Nimirum, etſi noſtri fateantur fontes in minutioribus eſſe pluribus locis vitiatos, negant tamen ſphalmata hujusmodi factorum, aut quarumcunque demum ſententiarum veritati adverſari, atque hinc colligunt, fontes ex verſionibus nunquam eſſe emendandos, cum fontibus, ſeu textui Originario ſemper plus ſit deferendum, quam verſionibus. Quæ ſunt verba Cl. Monſperger par. 2. pag. 165.

Ego ex adverſo aſſevero, veram archetypi lectionem nonnunquam in ſolis verſionibus eſſe

ſe qrærendam, atque ex iis reſtituendam, fontes hodiernos non ſolum in minutiſſimis, & exiguæ conſiderationis lectionibus, ſed etiam in notabilioribus, quæ attentionem omnino merentur, eſſe quandoque corruptos, proin ad habendam primævam lectionem neque in iis, quæ ad veritatem factorum, & ſenſum propoſitionum primigenium referuntur, plene, & in omnibus ſufficere. Jam vero: abſolute authenticum non eſt illud exemplar, quod ad repræſentandum archetypon in multis, iisque momentoſis fidem aliorum exemplarium poſtulat; illi ſolum apographo nomen iſtud tribuo, quod perſe, & ſine reſpectu ad exemplaria alterius generis ad repræſentandum in omnibus ſententiis, & veritatibus archetypon ſufficit, ſeu: cujus integritas non indiget ſubſidio alterius, a quo emendetur, & perficiatur; ad negandam fontibus abſolutam authentiam non eſt neceſſe oſtendere occurrere in iis lectiones, quæ fidei, & morum regulis directe adverſentur, ſed ſatis eſt evincere, adeſſe errores tales, qui ſenſum circa propoſitiones momentoſas a fide archetypi deviantem ſubinferant, ſive addendo, ſubtrahendo, ſive in aliud convertendo, quia præter res fidei, & morum plurima in Bibliis comprehenduntur, quæ notatu digniora ſunt, & momentoſa, quæ illibate, atque incommutabiliter in apographiis conſervari, ad factorum, & ſententiarum veritatem plurimum intereſt.

Quod ſi reponas: neque Vulgatam eſſe expoſito ſenſu authenticam. Reſpondeo, quantum ad fidelem Biblicarum ſententiarum expreſſionem & cum archetypo conformitatem magnum inter utrumque exemplar diſcrimen intercedere, & Vulgatam fontibus hodiernis multum præſtare.

Præterea ſciendum. 1° In *authentiæ* vocabulo verſioni concedendo nos poſſe eſſe faciliores, etſi hæc a ſenſu archetypi quandoque etiam longius diſcedere videatur, quod ſæpe nequeat tam perfecte, atque integre in aliena lingua ſenſus ille proponi; & hoc maxime verum eſt in lingua Hebraica. Ex adverſo: ſi apographa abſolutè ſunt authentica, ſaltem in notabilibus nullo modo deberent a ſenſu, & reali expreſſione archetypi deviare. 2° Verſionibus neque ſolet tribui *abſoluta* authentia, ſi cum veris fontibus comparentur, licet ſi antiquiſſimæ, & ab Eccleſia probatæ fuerint, hoc reſpectu *abſolute* authenticæ dici poſſint, quod ad conſtituendam earum authentiam hodierni fontes abſolute neceſſarii non ſint, & ipſæ independenter ab his ſubſiſtant. Non inquam verſionibus *abſoluta* tribui authentia ſolet, quia ex re nata intelligitur, ipſas ſolum eſſe authenticas, quatenus fontibus conſentiunt, ſed animadvertendum erat, id ipſum intelligi de apographis, ea ſolum authentica eſſe, quatenus archetypis conſentiunt. 3° Quoad rem iſtud quæritur: Vulgata ne, vel Hebræus, & Græcus fons hodiernus ab integritate, & veritate archetypi magis diſtet, fontem hodiernum magis diſtare, proin minus authentiæ habere propugno; qui integritati, & fidelitati Vulgatæ obtrectant, oſtendant in ea integra capita, & libros deficere, lectiones veras interdum ſupprimi, aut aliorſum detorqueri, quod de fonte Hebraico, ſaltem prout ex Maſoretharum promptuario habemus, a doctiſſimis viris conceditur; liceat ergo liberè eloqui, Vulgatam exemplar eſſe Vulgaribus hodiernis apographiis in nonnullis integrius, & fidelius.

Præ-

Inſuper diſtinguendi ſunt Codices MSS. aut etiam editi ab uſualibus; per uſualem Codicem Hebræum intelligimus, Biblia Hebraica typis impreſſa, qualia vulgo circumferuntur, & uſu quotidiano teruntur, puta Reineccii, Simonis, &c. quæ ſæpe a MSS. Codicibus, & aliis antiquioribus in hujus, aut illius lectione textus recedunt. Per uſualem textum Græcum N. T^{ti} intelligimus apographa N. T^{ti}, quibus impreſſis vulgo utimur, quæ plerumque vel editioni Complutenſi an. 1514. per Card. Ximenium evulgatæ, vel editioni Pariſinæ an. 1550. per Robertum Stephanum procuratæ, ſeu verſioni Ariæ Montani reſpondent, aut verſioni Lutheri, vel Eraſmi, qui verum, & uſualem fontium textum ſe expreſſiſſe gloriati ſunt. De tali Hebræo, & Græco textu quæritur, an conceptus authentici illi præ Vulgata conveniat, aut potius præ ipſo Vulgata ſit frequenter archetypo conformis, & authentica.

(k) His præmiſſis quærimus, (a) quid ſibi velint fontium laudatores, quando ſtatuunt Hebræum, & Græcum textum eſſe authenticum? an quod contra fidem, & bonos mores aperte nihil habeat, nec ullam falſam doctrinam diſertè proponat? ſi ita: etiam verſiones paſſim authenticæ dicendæ, quod tamen heterodoxi negant, imo & Catholici de aliis translationibus excepta Vulgata. (b) An ex hoc, quod Hebræus, & Græcus codex tali vaga expreſſione authenticus ſit, inferant eſſe Lydium lapidem omnium verſionum, etiam Vulgatæ? Quodſi detur, etiam in locis illis, ubi dogma, morum doctrinam, aut quamcunque aliam veritatem obſcurat, declinat, aut aliorſum deflectit, aut prætermitit, Vulgata

reformari, & ei aptari debet; hoc vero grande eſt inconveniens. Si in Hebræo, & Græco iſtud evenire, aut deprehendi negant, noſtra argumenta expendant, quæ, licet probabilitatis ſolidæ finibus non eggrederentur, adhuc valerent ad detrahendam fontibus certam, atque abſolutam authentiam.

Totius diſceptationis uſus huc convertitur: an ſi in verſione Vulgata aliquid ſit, quod non eſt in fonte, vel adeſt in fonte, quod abeſt a verſione, aut aliter eſt, illico verſio emendari, & ad textum fontis formari debeat, vel non? Nos reſpondemus: ſiquidem Tridentini Concilii definitio ſalva manere debet, nequaquam; ſed aliis opus eſſe critices, & ſanioris judicii principiis; alia inter ſerio circumſpiciendum, an adverſus fontem, quod progreſſu temporis ex aliquo incidenti tali loco mutationem ſubiverit, gravis, & fundata ſuſpicio non ſit, ſubire enim facillime potuiſſe clarum adeo eſt, ut non ſubiviſſe in miraculo poneretur. Valde proclive, & velut naturale eſt cogitare, exemplaria illa, quibus uſi ſunt verſores antiqui, emendatiora, & archetypo magis conformia fuiſſe, e quibus paratæ verſiones pariter tales fuerint, & perennarint, hodiernum autem Hebræum, & Græcum textum demutaſſe, ut potius e converſo errores fontium in locis non paucis neceſſe ſit ex verſionibus emendari.

II.

Jam Authentici ſignificationes, quæ ſpeciatim ad explicandam Trid. Concilii definitionem afferri ſolent, expendamus!

Pri-

Primo.

Alii Authenticum pro eo accipiunt, quod *Thèopnevſton* eſt, & infallibilis authoritatis, titulum hunc ſolis proin fontibus convenire contendunt, quibus jam Pallavicinus in reſponſione ad objectionem Cajetani ſatisfecit, obſervando, ſimili argumentatione effici poſſe, nec fontes, qui hodie ſuperſunt, eſſe authenticos, quia eorum in integritate ſua perduratio, & ſincera ad nos transmiſſio pendet ab induſtria hominum errori obnoxiorum, quæ deficere poteſt; ſi verſio ideo authentica non eſt, quia verſor errare potuit, etiam exemplar fontium, quodcunque aſſumas, incertæ erit fidei, quia deſcriptor falli, vel fallere potuit; latior igitur notio vocabulo authentiæ tribuenda eſt, ut etiam apographis archetypon fideliter exprimentibus, quin & verſionibus ex ſinceris apographis debitè adornatis conveniat. Neque tamen Vulgata qualitercunque eſt declarata authentica, ſed ita, ut in diſputationibus, & expoſitionibus nemo eam ullo prætextu rejicere audeat; quod quomodo cum vaga, & laxiore illa multorum Theologorum explicatione, in quantum videlicet nullum malum dogma habet, nec ex propoſito corrupta eſt, cohæreat, ipſi viderint; hac ratione etiam Eraſmi, Caſtalionis, aut Tigurinorum, & vernaculæ noſtræ verſiones authenticæ dici poſſent: ſi nihil plus dixit Concilium, parum dixit, nec magnam nobis præſtitit ſecuritatem, quam tamen præſtare voluit, & intendit; igitur ſine ullo verborum circuitu fatendum, Vulgatæ a Concilio in rebus, quæ de fide, & morum doctrina in contentionem adducuntur, certam, & infallibilem authoritatem aſſeri, ſecus *Authentici* ſignificationem valde im-

impropriè uſurpaſſet. Vulgata *quoad veritates ſcripto Dei verbo contentas* non deſinit eſſe theopnevſtos ex eo, quod ſit verſio, neque enim hæ verborum cortice, ſed ſenſu continentur, eſtque quoad authentica, etiam infallibilis, nempe in momentoſis, nec requiritur infinitè, & ſine limitatione talem eſſe, alioquin nec fontes eſſent authentici, cum mendis ſuis æquè non careant.

Secundo.

Placet aliis declaratione authentiæ notari, liti dirimendæ eſſe idoneam, nec iſtud ſatis: in controverſiis religionis non eſt idonea *quomodocunque*, ſed complete, ſeu eſt ſufficiens perſe ſine fontium hodiernorum adminiculo, ſecus in libris deutero canonicis fonte jam deperdito Vulgatæ ſua non conſtaret integritas. *Si urgeas:* Originalibus i. e. fontibus a Concilio non præferri, dico: de proprie dictis Originalibus nec quæſtionem poſſe moveri, tum quod univerſim jam inde a mille, & amplius annis illorum nec vola, nec veſtigium, tum vero quod fonti ſuo verſionem præferri repugnet; quod vero exemplaria Hebraica illius temporis, quo Concilium eſt habitum, attinet, quæ ſeculo undecimo, aut duodecimo antiquiora non erant: & Græca, quæ Hieronymi ætatem vetuſtate ſua contigiſſe certo oſtendi nequit, nequidem in examen, tanto minus in Comparationem ſunt aſſumpta, unde Vulgata iis directe nec prælata eſt, nec ſubordinata, indirectè tamen, & illativè ſequitur, præhabitam fuiſſe quod integritatem verbi Divini, cum Vulgata ſuſcipienda præcipitur, ut verſio verbi Divini fidelis, etiam, ubi fon-

tes

tes periverunt; cum firma ſtare decernitur, ut nullo prætextu rejici poſſit, cujus contrarium de fonte ſtatuunt Theologi illius temporis, ut ſi utraque lectio in eundem ſenſum cogi non poſſet, aut Vulgata quæpiam haberet momenti majoris, quibus fons hodiernus careat, Vulgatæ ſit adhærendum; Et cum ex iis, quæ Doctores Catholici poſt tempora Concilii ediſſerunt, innoteſcat, Originalem V. ac N. Tti textum, velut in non paucis corruptum habitum fuiſſe, innoteſcit una in non paucis Vulgatam ei præferri; id una liquidiſſimè patet, Vulgatam declaratam fuiſſe authenticam, non quod hodiernis fontibus ſit conformis, quibus poſtea in multis difformis eſt inventa, nec tamen corrigenda judicata, ſed quod antiquis fontibus adhuc puris primum congruiſſe, & poſtmodum talem perſeveraſſe, ex ipſo Eccleſiæ uſu, atque approbatione ſit ritè concluſum. In aliis, quæ ex proprietate linguæ Originalis pendent, impoſſibile fuerit æquare fonti verſionem, cum ſatis evidenter pateat, verſioni quantumcunque elaboratæ non ineſſe omnem vim, omnesque alludendi concinitates, quæ inſunt archetypo, cum ſingula idiomata ſuis propriis dicendi rationibus & excellant invicem, & deficiant, unde in multarum dilucida explicatione rerum alterum alteri reſpondere non valet, inquit Pallavicinus L. 6. C. 17. pag. 230. Sed hujusmodi omnia minutiora ſunt, quam ut propterea magnopere contendamus, libenterque in iis primatum ſuum fonti largimur.

Tertio.

Sunt, qui verba: *nemo illam quovis prætextu rejicere audeat*: a fontibus prorſus removent,

vent, ut ſtatuere poſſint, liberum eſſe Vulgatam prætextu eo, quod in fontibus aliter legatur, rejicere, & ad ſola menda, ac vitia ſcribarum, quæ Sixtus V. & Clemens VIII. Corrigi curarunt, referenda cenſent, ut intelligatur, Vulgatam, licet a vitiis hujus generis immunis non ſit, rejici tamen minime poſſe.

In hanc commentationem ſequentia animadverto. 1º Absque dubio Synodum decreto ſuo indicare voluiſſe, Vulgatam prætextu vitiorum, quæ ex accidenti tum ſerebat, repudiari non debere; ſed exiguus magis iſte limes eſt, quam ut eo graviſſimi decreti vim conſtringi, arctarique patiamur. 2º Hæreticos longe plus in præjudicium Vulgatæ protuliſſe, nimirum ipſam *in Capitibus fidei*, in textibus, qui dogmata, vel morum doctrinam proponunt, aut ſtabiliunt, corruptam circumferri, atque in his correctricem manum, & e fontibus emendationem poſtulare, hoc præcipuum eſt, quod decreto Synodi fieri non permittitur, ergo in controverſiis religionis Vulgata nequidem prætextu fontium aliter habentium poteſt repudiari, ut adeo definitio *authentici*, quantum ad res fidei & morum ei propriè, & plenariè conveniat, ne dicere cogamur, Concilium in re ſummi momenti impropriè, & vage fuiſſe locutum. Si qui ſecus interpretantur, in decretum ipſum peccare videntur, habentque ſibi adverſantes omnes eos, qui in rebus fidei, & morum fontes Vulgatæ conſentire affirmant, qui explicationem hanc malo ſuppoſito laborare contendunt. 3º Si autem ſermo ſit de lectionibus haud momentoſis, eas prætextu fontis aliter habentis rejicere per Concilium liberum eſſe admitto, ſemper tuto fieri nego; namque

que in minutis fons ab archetypo ſæpe diſcedit, & hoc confeſſione omnium, diſcedit & Vulgata verſio, igitur ulteriori indagine opus erit, ut citra errandi periculum definias, utra lectio ſit alteri præferenda; proinde nec in his certa ſemper eſt fontis prærogativa. Quæ dum penitius expendo, nihil reale occurrit, quo *quantum ad ſententiarum veritatem* fontes generaliter præferendi ſint Vulgatæ: Erratis namque Theologicis, Dogmatico, aut morali Vulgatam quoque carere fontium laudatores volunt, quod ego extendendum arbitror usque adeo, ut nec ullum hujus generis textum ſupprimat, vel deflectat a propoſito per Spiritum Dei intento, ſed eo ſenſu omnes repræſentet, quo in veris ſuis fontibus legebantur, errata proin Theologica extra quæſtionem ſunt; Chronologica, hiſtorica, ſed a quibus factorum veritas non admodum pendet, topographica, aut numerica æque fontes gravant.

Quarto.

Hæc enunciatio: *Vulgata eſt authentica in rebus fidei, & morum:* eſt anceps, & multipliciter æquivoca, ut declaratione indigeat. Quod ſi innuere velis, nullum textum in eo eſſe, quo ſententia fidei, aut rectis moribus adverſa proponatur, verum utique, nec tamen quod ad authentiæ propriè dictæ rationem ſufficiat, attuliſti: infinitis namque modis ab archetypi lectione diſcedere verſio poteſt in rebus etiam maximi momenti, quin dogmati, aut principiis morum adverſetur, ut, ſi Concipias harum veritatum loco alias ſuffici in verſione, aut ſcriptas in archetypo ita immutari, ut toto cælo diverſum, nec tamen falſum ſenſum exprimant, tum enim

vero

vero fidelis minime erit translatio, proin nec authentica, licet dogmatibus, & morum doctrinæ contrarium nihil exhibeat; hoc igitur enunciatio iſta ſignificet neceſſe eſt, textus, quibus in archetypo dogma aliquod, aut moralis veritas eſt expreſſa, fideliter, & accuratè, atque ad percipiendum ſufficienter proponi, locos illos, quibus Deus dogmata noſtra, & morum doctrinam illuſtrari voluit, etſi fortaſſe minus clare, integrè tamen, & absque depravatione, aut ſuppreſſione ſemper exhiberi, verborum archetypi ſenſum nunquam ita mutari, ut ſi ibidem textus ad res fidei, & morum neutiquam pertinebat, in verſione iſta præter intentionem Spiritûs S. iſthuc trahatur; hoc enim alterum erat accuſationis caput, quo heterodoxi Vulgatæ authoritati detractum ibant. Demum etiam extra veritates cum rebus fidei, & morum arctius copulatas aliqua ſunt momentoſa, puta: quæ ad veritatem factorum referuntur, & gravius quidpiam inſinuant, ad fidelem, & authenticam verſionem pertinet in his quoque non deficere; igitur in his omnibus Vulgatam archetypo conformem cenſeo, ut plenitudinem fontis genuini, & purioris contineat. Profecto Scriptura ſacra non tantum dogmatibus, & morum regulis conſtat, multa præterea continet, quæ populi electi hiſtoriam, infantiam Eccleſiæ Chriſti, & varia eventa exhibent, quæ dum refert, verbum Dei eſſe non deſinit in ſe, igitur nec in codice Eccleſiæ; etiam inadæquata eſt Vulgaris illa Scripturæ S. definitio: eſt verbum Dei ab hominibus a Deo inſpiratis ſcripto conſignatum, continens regulam fidei, & morum, authoritate Eccleſiæ ut tale declaratum & propoſitum: addi enim debet:

bet: *res item hiſtoricas ad religionem ſpectantes:* niſi quatuor libros Regum, duos paralipponenon, Ezræ, aliosque hiſtoricos libros, & ſingulorum decumanas partes verbi Dei prærogativâ exueris.

Quinto.

Malunt quidam, Eccleſiæ prohibitionem de privata authoritate interpretari, quâ nihil liceat addere, vel detrahere, aut quacunque ratione immutare, ſed ſi quidpiam mutandum videatur indicari quidem poſſe, quemadmodum Lucas Brugenſis præf. in annot. in N. T. ultra 400. loca indicavit, quæ in Vulgaribus, jamque emendatis Clementis VIII. Bibliis ulteriorem correctionem depoſcerent, Bellarmino hanc induſtriam laudante, qui inſuper datis ad hunc Lucam literis ſignificarit, Vulgatam a ſe, & aliis, cum quibus correctioni Clementis VIII. an. 1592. præfuit, non eſſe accuratiſſimè caſtigatam, quod multa de induſtria juſtis ex cauſis pertranſiverint; volunt iſti de reliquo rem Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum judicio eſſe ſubmittendam, prout rurſus tali caſu ſe facturum Bellarminus ad Lucam ſcripſerat. Ita illam quoque (pag. 41.) Congregationis Cardin. 1576. 12a Jan. factam declarationem de nulla dictione, aut ſyllaba admittendâ, quæ Vulgatæ repugnet, explicant, aut vero tunc ſolum declarationi locum tribuunt, quando dictio, aut ſyllaba ad res fidei, & morum pertinere cognoſcitur; vel denique ad ſubſequentium editionum fidelitatem procurandam referri dicunt, ut, dum Clemens VIII. in bulla ne minimam quidem particulam de textu mutari permittit, in impreſſione videlicet,

quam approbatæ nunc, & a mendis caſtigatæ editioni exactiſſime conformem eſſe debere decernit, ne in poſterum eadem, quæ modo exciſa eſt, variantium lectionum ſylva editionum difformitate ſoboleſcat.

Sed iſta expoſitio, prætermiſſis, quæ minus ad rem faciunt, qua parte indiſcriminatim prætextus admittit Vulgatam rejiciendi, modo rejectio talis non fiat privata authoritate, vim graviſſimi decreti enervat, neque ullam huic editioni vindicat authoritatem, quam tamen præ ceteris Latinis illius temporis verſionibus ei ineſſe Synodus declarat, quæ non ſolum ſanxit, privata authoritate nihil addi, demive poſſe, inſuper certos nos reddidit, hoc eſſe Scripturæ Divinæ ſincerum, integrum, fide, & dignitate ſumma præditum inſtrumentum, cujus lectioni, dum de dogmatis, & regulis morum quæſtio inciderit, ſit acquieſcendum, veluti quod de longo tot ſeculorum uſu parem jam cum fontibus habeat authoritatem, certam quippe, & indeclinabilem. Quidquid de Vulgata protuleris, quod aliis quoque uſu Catholicæ Eccleſiæ non probatis translationibus aptari queat, juſto minus dixiſti: Conceſſerim, quod Bellarminus in epl. ante allata affirmat, *præciſè* ex uſu longævo conſtitui non poſſe, Vulgatam fontibus græcis, & hebraicis anteponi debere, nego tamen ex iis, quæ uſum hunc, ac definitionem Concilii comitantur, adjunctis, item iis, quæ orthodoxi Theologi de interno fontium ſtatu ſub, & poſt tempora Concilii publice docuerunt, inferri non poſſe Vulgatæ præ hodiernis Græcis, & Hebraicis exemplaribus dignitatem, & eminentiam, dum omnes fatentur, editionem Latinam ſupremæ eſſe autho-

thoritatis, infallibilem regulam in præcipuis, eo quod ex decreto Synodi conſtet eſſe authenticam; de fontium integritate hæc non adeſt aſſeverandi conſtantia, & firmitudo, quia, etſi puri forent, atque integerrimi, nobis tamen hæc puritas, atque integritas hactenus non innotuit, quam viri multijugæ eruditionis, inde a Synodo non pauci ſalva fide negandam eſſe putaverunt. In minutioribus autem luce meridiana clarius fit, Vulgatæ lectiones in locis compluribus, textibus hodiernorum fontium eſſe præhabendas, quia juxta communem ſenſum omnium, fontes iſti, ſeu malitia, ſeu potius oſcitantia judæorum, & injuria temporum contigerit, in levioribus, mendis omnino multis ſcatent, & judicio plerorumque pluribus, gravioribusque, quam ſint illa, quæ Vulgatæ noſtræ probatiores Codices, ſeu Concilii tempore, ſeu poſterius ferebant. Nulla demum ætate judicavit Eccleſia Vulgatam poſt ætatem Hieronymi ex fontibus eſſe emendandam, tamquam ex norma ejusdem abſoluta, licet utiliter eos adiri ſuppoſuerit, ſvaſeritque; ex adverſo literatiſſimi quique viri affirmarunt, affirmantque, Vulgatum, & alios veteres interpretes melioribus, & magis caſtigatis Codicibus uſos fuiſſe. Ex his vero generatim expenſis quid aliud ſequitur, niſi Vulgatam longo tot ſeculorum uſu probatam novitiis fontibus eſſe præferendam *ſaltem* dum collidunt, *in plerisque:* dico: in plerisque: cum enim levioribus erratis, maxime tempore Concilii, Vulgatæ, & fontium exemplaria peræque fuerint onuſta, & Vulgata quidem ab his magno fuerit ſtudio repurgata, nec tamen vel hodie careat omnibus, conſtet vero exemplar hoc libris pluribus, ſententiis, ac dictionibus conſe-

 queu-

quenter valde copioſis, & multiplicibus, nec neceſſe, nec ſecurum eſt adſeverare, ſemper a Vulgata ſtare germanam lectionem, iſtud tamen nulli eſt impedimento, quo minus Vulgata fontibus hodiernis fidelitate, & integritate ſua multum præcedat.

Hinc ſi non rejiciendum, valde arcto tamen limite circumſcribendum venit, quod Cl. Monſperger part. 1. pag. 27. adſtruit „Sive polemicam, ſive homileticam, ſeu dogmaticam conſideres, tuto nuſpiam tramite incedes, niſi textum Originarium probe noris; imo in ſcopulum impinges, ſi cum adverſario congreſſurus ibi aſylum pares, unde opportunè alter inte telum promit.„ adducit pro exemplo Gen. 3. 15. *ipſa conteret caput tuum:* Theologus inquit polemicus oſtendet non eſſe de muliere intelligendum. „Omnibus notum eſt Contritionem ſerpentis ad Chriſtum pertinere, ut mater contritura dicatur per filium, ſed non æque ab omnibus conceditur, rejiciendam eſſe graviſſimi hujus loci lectionem mille annis in Eccleſia probatam. Proſequitur: idiomatis Biblici gnarus oſtendet, haudquaquam cum D. Hieronymo legi, ac verti poſſe Gen. 49. v. 10. *qui mittendus eſt:* cum *ſchilo*, non *ſchiloachh* ſit in Hebræo.„ Vide, ne iſtud eo valeat: Vulgatam in textibus ad confirmanda dogmata pertinentibus non eſſe bene primitus converſam, vel ſaltem non legi rectè, ſed emendationis indigam nobis ſupereſſe: allati enim textus nimisquam clarè dogma, & quidem V. T[ti] præcipuum tradere cenſentur, ut prior quidem Proto-Evangelii titulo a Theologis paſſim condecoretur, poſterior vero adventum Meſſiæ certa temporis definitione ſignare credatur. Præte-

terea mirum videri poteſt, quomodo alterum hoc vocabulum *ſchiloh* tam diſertè ſit *pacificator*, eo, quod apud Arabes *ſala* liquando defæcare, tranquillare ſignificet, ſi *in triginta circiter locis codicis ſacri diverſiſſima cum ſignificatione deprehenditur*, pag. 64. quomodo Pagninus idiomatis Biblici gnarus ſine interpretatione vocem ipſam in Latino retinere maluerit, ſi tam evidenter notat tranquillatorem, quomodo Rabbinis nationis judaicæ hæc nunquam originatio in mentem venerit, ſed longe diverſa a *ſchilja* ſecundinæ, ſeu juxta alios *ſchil*, ut ponatur metonymicè pro *beno*, & *he* ultimum loco *vav* ſit pronominis ſuffixum, non autem tertia radicalis verbi? quomodo ex parte Catholicorum Corn. a Lap. ex parte heterodoxorum Grotius, quorum uterque idiomatis Biblici peritum ſe profitetur, lectionem *ſchiloachh*, ſeu ad formam Meſchiachh *ſcheliachh*, vulgo *ſchaluachh* præferendam doceant, ſi Hieronymum erraſſe linguam hebræam edocto tam eſt compertum? quomodo Eccleſia Hieronymi verſionem authenticam eſſe ſanxit, ſi in locis tam momentoſis, jam illico in primo ſcripturarum libro deerravit? taceo Concilia, & Theologos annis plus quam mille tuto tramite progreſſos, neque in ſcopulum impegiſſe, dum contra hæreticos ex ſola Vulgata dogmata fidei ſtabiliverunt.

Sexto.

Recentiores aliqui in eum ſenſum verba Concilii redigunt, ut, dum Vulgata nullo prætextu rejici permittitur, ſolum intelligatur declarari idonea, ut ſit in citationibus Biblicis regula publica, ſicut apud Proteſtantes Germanos illa Lu-

theri, aut apud noſtrates Hungarica Károlii; Hæc interpretatio Vulgatam omni exuit authoritate, & authentiam, quam verbo ei concedit, facto eripit; ſi enim ea tantum pollet authentia, quâ Lutheri, aut Károlii verſio, quia etiam Proteſtantium confeſſione harum neutra eſt authentica, (hanc enim prærogativam nulli verſioni concedunt) nec Vulgatæ titulus iſte jure tribuetur. Igitur ex mente Concilii ita dicenda eſt Vulgata noſtra authentica, ut ad res fidei, & morum verbo Dei ſcripto contentas, fidelibus exhibendas per ſe ſufficiat, ut quoad has fontium hodiernorum *vera*, & *abſoluta* non ſit neceſſitas, quamvis aliquando emergat *relativa* propter pervicaciam, & importunitatem hæreticorum, qui ſolis fontibus deferunt.

Dicant, quibus quod diſplicet, placet calumniari, indoctiſſimorum opinionem eſſe, quâ Vulgata ſupra ipſa Originalia effertur; brevis eſt jam pag. 76. data reſponſio: ſupra Originalia *vera* h. e. Archetypa nemo tam deſipit, ut efferat; hodiernis fontium ectypis, ubi hæc depravata eſſe, Vulgatæ autem lectionem rectè habere conſtat, quisquis non prætulerit, errorem ille amplexabitur contempta Divini eloquii veritate. Anteceſſores ſuos, a quorum inſigni ſcripturiſtica cognitione diſtant quam maxime, indoctiſſimos fortaſſe dicent novitii quidam homines, qui nuper ſcripturis tractandis manus admoverunt, hodiernis tamen Hermeneutis doctrinæ laudem non eripient, quos ad exemplum Majorum ſuorum video abſolutam in rebus religionis ad fontes recurrendi neceſſitatem non obſcure inficiari. Damianus Czerny in præclaris ſuis Inſtit. Hermen. Brunæ an. 1780. par. 2a pag. 52. ſic habet:

Tex-

Textus Vulgatæ in rebus ad ædificationem Eccleſiæ pertinentibus ejuſdem cum textu fontium eſt roboris, & auctoritatis. Unde tam efficax argumentum evadit, quod ex Vulgata petis, quam illud, quod ex fonte alter derivat. Imo pag. 58. aſſerit, ſive ad confirmandas receptas lectiones, ſive ad meliores reperiundas *hodierna Græca* N. T[ti] exemplaria, quippe inter ſe ut plurimum diſcrepantia, ipſis pervetuſtis verſionibus, qualis utique eſt etiam Vulgata, minus eſſe idonea. Cl. Monſperger Inſt. Herm. par. 1. pag. 77. Vulgatam in rebus ad fidei, morumque doctrinam pertinentibus noſtram normam eſſe debere pronunciat, hoc eſt, ni fallor, in his eſſe infallibiliter veracem, & fidelem. Rmus. D. Adamus Kaſzaniczki S. T. D. Inſig. Colleg. Eccl. Poſon. Canonicus in autumnali Diſſer. Grammaticæ ſuæ Hebraicæ ſubnexâ edit. Vien. 1791. pag. 220[a] enunciat: *Ad probanda fidei, morumque dogmata textum originarium* (Hebraicum) *conſulendi inevitabilem neceſſitatem probari haud poſſe.* Rmus D. Adamus Viſer S. T. D. Abbas B. M. V. de Kompolt Cathed. Eccl. Quinq. Canonicus Herm. N. T[ti] par. 3. pag. 81. Vulgatam probat eſſe maximæ auctoritatis in rebus fidei, & morum: pag. 95. vocat certam & infallibilem fidei, & morum regulam. Utriusque Hermeneuticis inſtitutionibus me profeciſſe, utrique me perenni gratitudine obſtrictum teneri lubens agnoſco, & prædico.

Lubet addere verba P. Hieronymi Bezange Or. S. Ben. Scr. S. Profeſſoris, & ſi ætate remotioris; qui introductione in V. T. Critico-Hermeneutico-Hiſtoricâ Styræ an. 1765. 4. M. pag. 160. hanc ponit regulam: *Siquando contin-*

geret in rebus fidei, & morum, in aliis ſeu Latinis verſionibus, aut Hebraicis etiam, vel Græcis exemplaribus aliter quid legi, quam in Vulgata continetur, iis omnibus poſthabitis Vulgatæ inſiſtendum erit. Subjicit Eccleſiam nuſpiam minus falli potuiſſe, quam in determinando, quam Bibliorum verſionem tutò ſequi liceat; quum ſalutis humanæ interſit quam maxime ſincerum exhiberi, & genuinum Scripturæ textum. *Quidquid igitur* (ſic continuat,) *in aliis editionibus, ſive verſionibus, in rebus nempe fidem, vel mores ſpectantibus aliter vel verſum, vel ſcriptum videro, ac Vulgata hodierna habet, ſine ulla hæſitatione, vel ignorantia, aut incuria, aut malitia denique depravatum dicam.* Hæc de momentoſis.

In ceteris extra res fidei, & morum, minuta quædam ex fontibus etiam in Vulgata rectè, ſi Eccleſiæ accedat authoritas, emendari poſſunt, nec tamen iſtud e ſolis fontibus fieri debet; fontes enim ad omnia menda verſionum ſine errandi periculo tollenda hodie non ſufficiunt, ſed aliis ſanioris critices, & Eccleſiaſticæ obſervationis adminiculis opus erit. Ex adverſo: plures fontium errores ex Vulgata, aliisque antiquis verſionibus emendari, & emaculari debent, ut proinde Vulgata, & ceteræ illuſtriores in orbe verſiones in multis norma ſint fontium Hebraicorum, & Græcorum: *Integrum cuique eſt, vel Vulgatam ad fontes recenſere, vel tandem fontes ipſos ad Vulgatam reformare, cum correctior illa, & defæcatior apparet, quod non raro contingere norunt omnes, qui majorem ſedulitatem, & ſcientiam ad ſacræ Scripturæ ſtudium contulerunt.* Inquit

Cal-

Calmetus in ſine Diſſ. in Vulgatam Libro Esdræ præfixæ.

Non ſolum Catholici, hæretici quoque non pauci, nec hoc tantum poſterius, ſed primo jam reformationis tempore fontium errores a ſe agnitos e Vulgata judicarunt eſſe emendandos, & hujus lectionem fontanæ præferendam; omnium inſtar ſit Theodorus Beza pag. 27. & 33. citatus, qui Eraſmum ad fontes omnia reformare volentem graviter reprehendit, quod Vulgatum interpretem N. T[ti] lapſum putaverit, quoties eum Græcis ſuæ ætatis codicibus non congruere advertit. *Vetus interpres* (ait Beza) *videtur ſumma religione ſacros libros interpretatus: Eraſmus immerito eum multis reprehendit tamquam a Græcis diſſentientem; diſſentiebat fateor ab his exemplaribus, quæ ille nactus erat: ſed non uno loco comperimus, aliorum codicum, & quidem vetuſtiſſimorum authoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit; quin etiam aliquot locis animadvertimus veteris interpretis lectionem, quamvis cum noſtris Græcis exemplaribus interdum ei non conveniat, tamen ipſis rebus multo melius quadrare; nempe quod ille, quisquis fuit, emendatius aliquod exemplar nactus eſſet.* Præf. N. T[ti] ad Regin. Angl. Invenias apud eundem: *Mendoſa eſt editio Græca duplici errore.* Act. 4. 14. rurſus: *Quamvis in omnibus exemplaribus legerim: benevolentiæ* Luc. 2. 14. *tamen Veteris interpretis auctoritatem ſecutus non recuſo legere: bonæ voluntatis.* Item: Vulgata habet: non longe: Matth. 8. 30. *repugnante quidem fide omnium Græcorum exemplarium, ſed tamen rectius nî fallor.*

lor. Nec non: *Ita in omnibus Græcis exemplaribus noſtris ſcribitur, nec tamen poſſum aliter ſtatuere, quam ex margine irrepſiſſe in contextum* Hebr. 2. 37. *Duorum Vetuſtorum codicum noſtrorum mirificus eſt cum Vulgata editione conſenſus.* Cum Luc. 3. 36. Græcus quoque textus Cainanem offerat in genealogia Chriſti, corruptum eſſe Græcum fontem aſſerit: *fieri potuit; ut ipſis Evangeliſtarum temporibus Judæi genealogiam iſtam depravaverint, quaſi fidem ceteris de Chriſto narrationibus abrogaturi, quæ fraus a plerisque non animadverſa facile obtinuerit.*

Semlerus recentiori tempore in noviſſimo Bibliothecæ ſuæ Latinæ programmate 17. Apr. an. 1765. Halæ Magd. oſtenſum it codices Græcos, qui ſuperſunt, minus intemeratos eſſe, imo in excuſo hodie textu Græco fædè non raro utramque recenſionem (Græcam veterem, & Lucianeam juniorem) conjunctam legi; ad quam labem abſtergendam Latinam N. T[ti] Bibliothecam inſtruit, in qua ex Vulgata Latina, & aliis vetuſtis recenſionibus Latinis malo mederi cogitat. Sed recentiorum heterodoxorum ſententiam de corruptione fontium a plerisque jam receptam ſuo loco poſterius referemus.

Manet igitur verum, quomodocunque verba Concilii torqueant multi, Vulgatam eo gradu authentiæ valere, ut, quamvis leviores, & ad momenta rerum non pertinentes nævos habeat, fontibus tamen hodiernis, ubi ab ipſa diſcordant, paſſim mereatur præferri, veluti quæ præ illis multipliciter mutatis, & vitiatis Archetypo ſit conformis, & publicum, ac ſolemne teſtimonium ſinceritatis ſuæ ab ipſa Eccleſia ha-

habeat. Manet verum orthodoxos Theologos a pietate, & eruditione maxime commendatos poſt tempora Concilii communiter ita ſenſiſſe, & declarationem de Authentia Vulgatæ ſic fuiſſe interpretatos. pag. 44. & ſeqq.

III.

Enodantur difficultates, quibus Vulgatæ authentia illa, quæ abſolutam fontium hodiernorum neceſſitatem excludit, impugnatur.

Primo: Vulgatam ante Conc. Tridentinum authenticam non fuiſſe objiciunt heterodoxi, cum Lyranus, Burgenſis, Driedo, Hieronymus ab oleaſtro, *Iſidorus Clarius*, aliique tantam errorum farraginem in ea deprehenderint, Sixto Senenſi L. 8. Bibl. necquidquam diffitente. Ego ſi hujus editionis errores omnes perſequi vellem, inquit Whitakerus pag. 156. edit. Herborn. an. 1590. finem non facerem, veſtrasque aures inamæna quadam prolixitate obtunderem. Decretum Concilii ſuperveniens internum Vulgatæ ſtatum non immutavit, novam ei non indidit authoritatem; hoc enim Eccleſiæ excedit poteſtatem. Ergo nec poſt Concilium poteſt haberi pro Authentica.

Dico, indubie authenticam fuiſſe etiam ante Tridentinum omni tempore, atque in accepta primitus integritate ſua ſubſtantiali conſtanter perſeveraſſe ſub vigilantia Paſtorum, uſuque fidelium non interrupto; cum enim Eccleſia nullo alio codice uteretur per tot ſecula, fideli autem, & authentico verbi Dei inſtrumento deſtitui non potuerit, conſequitur Vulgatam in ſubſtantialibus deficere non potuiſſe, quæ ſpectato tot ſeculorum uſu recte declarata eſt authentica. Porro er-

errores ejus, quibus ante correctionem ſcatebat, non erant omnibus exemplaribus communes, præterea in minutis cenſentur, & ſine cauſa in tantum multiplicantur, hodie quoque ubi non ſunt quæruntur ſæpius, & oſtentantur, ut apud defenſores hujus editionis videre licet, & nos ipſi ſubinde demonſtraturi ſumus. Decretum authentiam *quoad nos* extrinſecus firmat, etſi non efficit, ineſſe tamen declarat; quod ſane ad poteſtatem pertinet Eccleſiæ, ac proinde dirigendis fidelibus utiliter eſt editum. Sciebatur quidem ab omnibus, Eccleſiæ codicem inſigniter vitiari non potuiſſe, aut in iis, quibus ſumma rerum comprehenditur, depravari; cum tamen tot mendorum inſimularetur, & verſiones ex fontibus identidem inter ſe diſcordantes ſubnaſcerentur, aliis hanc, aliis illam præferentibus, & hæreticis continuo fontes crepantibus, quædam perturbatio in populo Chriſtiano eſt exorta, fere ſicut ante tempora Hieronymi: ut igitur olim hæc demum una progrediente tempore aliis antiquatis prævaluit, ita poſterius ſalubriter a Concilio Trid. eſt decretum, ut hæc ab omnibus pro authentica ſuſciperetur; quod ſtatuendo non aliud fecit Concilium, quam facere Eccleſia conſvevit, dum librum quempiam, cujus Divina authoritas aut abſolute negatur, aut in dubium revocatur, declarat eſſe Canonicum, & tamqnam verbum Dei recipiendum, dubium tollit, internam authoritatem, quæ nos hactenus latuit, quoad nos certam reddit.

Quia vero talis certitudo non adeſt de interna hodiernorum fontium authoritate, quos interdum etiam in locis momentoſis fluere vitiatos poſt Concilium Catholici paſſim & confeſſi ſunt,

&

& productis corruptionis teſtimoniis demonſtrarunt, (pag. 46. & 47.) ſequitur, Vulgatæ majorem eſſe quoad nos authoritatem, & firmiorem ſtare pro interna ejus rectitudine præſumptionem.

Secundo: Concilium Vulgatam declaravit authenticam, antequam curâ Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. menda tollerentur. Sixtina emendatio non niſi poſt 40. annos eſt ſubſecuta, ex quo ſic poteſt argui. Vel declaravit Concilium authenticam editionem Vulgatam, qualis tunc extitit, ſi ita: erroribus multis ſcatentem declaravit eſſe authenticam; vel declaravit authenticam, qualis extitura erat poſtmodum; ſi iſtud: declaravit authenticam, quæ non extitit, & tunc, quando nondum extitit, & quam an recta, & ab erratis eximia futura ſit, prævidere non potuit. Peſſime fieret, ſi infans, antequam naſcatur, baptizaretur, & declararetur Chriſtianus; ergo etiam peſſime fecit Concilium, Vulgatam, priusquam in primam ſuam integritatem renaſcatur, authenticam declarando. Nempe ſicut nativitas ſpiritualis ſupponit naturalem, ita etiam declaratio authentiæ ſupponit rectitudinem, &, ſi præceſſit error, ejus ſublationem, ne quod eſt erroneum, pronuncietur authenticum.

Reſpondeo: Concilium declaraſſe Vulgatam authenticam, conſideratam, ut eſt verſio ex fontibus antiquis melioribus ſingulari ſcientiâ, integra fide adornata, tot ſeculorum uſu probata, in ſubſtantialibus nunquam labem perpeſſa, & ſic fuit revera omni tempore authentica; errata poſterius immiſſa, quæ non erant niſi leviora, nec uſus perennis probavit, nec declaratio

in

incluſit, quæ potius ut tollantur; diſcretè præcavit. Nimirum etiam non repurgata ſuffecit *confirmandis dogmatibus*, & *inſtaurandis in Eccleſia moribus*, etiam non repurgata, *fons* erat *omnis* & *ſalutaris veritatis*, & *morum diſciplinæ*.

Authentica declarata eſt præſens, qualis tunc adfuit ſpectata *denominative*, non tamen quoad illapſos errores, ſeu *formaliter*, & *reduplicative*, cum errores ex conceptu ſuo neceſſario excludantur ab authentia; nec igitur Concilium eos decreto ſuo complecti voluit. Quis unquam librariorum, & typographorum menda in documentorum authentiam intulit? atque hæc ipſa eſt cæteras inter una non poſtrema ratio, quare Synodus emaculationem hanc expectandam minime cenſuerit, cum adventitios hujusmodi errores excludi ſanus quisque per ſe intelligat. Eſt commune hoc fatum ſcripto omni vaſtioris molis documento, ut ex accidenti progredienti tempore in minoribus vitium trahat, quod tamen manente etiam tali vitio authenticum eſt, & qua tale poteſt declarari, cum vitium ſubſtantiam non afficit.

Jam vero declaratio Concilii, prout ab omnibus neceſſario eſt ſuſcipienda, ad minima quævis, extra res fidei, & morum ſita, non extenditur, ſed continetur ſubſtantialibus, quorum reſpectu Vulgatam erroris expertem ſemper fuiſſe, talemque tempore Concilii extitiſſe, non eſt dubitandum. Unde authentica definiri poterat fontibus inconſultis, aut etiam in hypotheſi fontium penitus amiſſorum; hanc niſi admittas explicationem, negabo pariter fontes declarari potuiſſe authenticos, quia erroribus multis fœdatos

tem-

tempore Concilii defluxiſſe extra omnem Controverſiam eſt poſitum.

Quod ſpectat exemplum infantis, diſparitas, ſeu potius nulla omnino eſt paritas, quia infans, antequam naſcatur, habetur pro non exiſtente, quia nondum venit in mundum, nec poteſt taugi, & ablui. Econtra Vulgata (1o) Ante emendationem extitit, & quidem quoad ſummam rei, ut authentica, quod ex mendorum ſublatione patet, talia enim fuêre, quæ ad materiam religionis, aut factorum veritatem neutiquam pertinebant. (2o) Eccleſiæ declaratio non tendebat in menda, cum ea tolli potius eodem diſponente Concilio juberentur, & Vulgata quam emendatiſſime imprimi: Hæc verſio in ſe omnino authentica, fidelis, & fontium verorum repræſentativa eſt, licet ſubortis ex multiplici deſcriptione, aliisque extrinſecus illatis levioribus mendis non careat, quæ ſufferri debent, ut quam accuratiſſima prodeat, atque etiam interea authentica declaratur, ut in ſe Originarie ſemper fuit, eſtque etiam hodie: quid amabo in conceptu hoc eſſe poteſt abſurdi? non ne & infantem, antequam perfectè naſcatur, & doctrina fidei plenè imbuatur, ſacro lavacro tingimus, & Chriſtianum eſſe declaramus? nonne natum cum defectibus corporis, oculis, vel pede carentem baptizamus, quod membris his præditum eſſe ad eſſentiam hominis non pertinet? atqui abſentia omnis erroris æque non pertinet ad rationem authentiæ, qualem Synodus Vulgatæ tribuit; nam de ulteriori authentiæ extenſione licet per Synodum, prout quis rationibus convictus fuerit, in utramque partem ſentire, prout jam ex Pallavicino (pag. 57.) adnotatum eſt;

ad-

admittant hæretici Vulgatam velut uſualem Biblicum Eccleſiæ Catholicæ codicem *in capitibus fidei, & morum doctrina* nullum errorem continere, fontibus veris quoad hæc omnia concordare, ceſſent neceſſitatem ad fontes recurrendi ex prætenſà Vulgatæ inſufficientia tam importune urgere, agnoſcant omnes Tridentinæ definitionis æquitatem, & ſalva ſunt omnia; nam cetera, quæ ex definitione Eccleſiæ, & communi vetuſtiorum Theologorum ſenſu, arguendo inferimus, ſalva unitate contra eos diriguntur, qui in gremio Eccleſiæ Catholicæ eminentiam, & dignitatem Vulgatæ explicatione ſua nimis coarctare nobis videntur, dum hodiernos fontes velut totidem prototypa reſpiciunt, ex his Eccleſiæ codicem emendandum decernunt, & ex depravatis recta, atque emendata male corrigunt.

His I*ſidorus Clarius* Brixianus montis Caſſini Ord. Ben. Abbas, & Ep. Fulginas Trid. Concilio præſens linguarum SS. gnarus viam infeliciter præivit, dum Vulgato, quem *ſquallidum, & innumeris pene erroribus ſcatentem* vocat, octo millia mendarum a ſe, ut gloriatur, deprehenſa objicit, & novam ſuam ex Hebræo, & Græco verſionem editam circa an. 1540. recuſam Venetiis an. 1564. in Vulgatæ quaſi emendationem, reapſe autem reprehenſionem, Münſterum ſecutus adornavit, propterea & ipſe a Catholicis ſui temporis, nominatim a Melch. Cano L. 2. de loc. C. 13. reprehenſus, tamquam novator non ferendus, cujus verſio Vulgatæ noſtræ ſit accuſatio, quem Rich. Simonius ineptum, & ad tantum opus perficiendum etiam ab Hebrææ linguæ peritia minus paratum fuiſſe dicit, de quo in Regul. 3. Indicis Conc. Trid. lego: *In Bibliis*

bliis Iſidori Clarii Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur, ejus vero textum nemo Vulgatæ editionis eſſe exiſtimet.

Tertio: Videtur eſſe contra rerum ordinem, ut fontis lectio corrigatur e verſionibus; ergo ſi Vulgata â fonte diſcrepat, & conciliatio fieri debet, oportet ipſam ad normam fontis, velut Originalis ſui redigi; quod Valtonus illuſtrat a pari: nempe abſurdum eſt dicere, motum ſolis dirigendum eſſe ad motum horologii ſolaris, aut ex horologio depravato emendandum eſſe ſciatericon, ut loquitur Monſperger Herm. par. II. pag. 165. ergo etiam abſurdum eſt dicere, lectionem fontis corrigendam eſſe ex verſione. P. C. ſicut motus horologii ſolaris ideo eſt rectus, quia originarie motus ſui regulam accepit a motu ſolis, tamquam menſura temporis, eique primum conformatus, conformis eſſe perſeverat: Ita lectio verſionis E. g. Vulgatæ ideo recta eſt, quia originarie a fonte velut norma ſuâ deſumpta ei conformis eſſe non deſinit; ergo ſi primum abſurdum eſt dicere, etiam abſurdum eſt ſecundum.

Reponitur: rerum ordini non adverſari, ſed congruere potius, ut exemplar, etſi Originali lingua ſcriptum, ſed dein vitiatum, antiquioris, & incorruptæ verſionis fide emendetur, ſi enim verſionis lectio archetypon refert, exemplar, quod ab ipſa deviat, fucata fontis ſpecie fallit, niſi ei conformetur; quoad allatum exemplum: diſparem eſſe rationem, nec ex aſſignata præciſe cauſa primum eſſe inconveniens, ſed ideo præcipue, quia motus ſolis Divina ordinatione, independenter ab omni humano concurſu in ſui conſervatione immobiliter, & immutabiliter per-

ſeverat, neque ullis inferiorum cauſarum viciſſitudinibus ſubjacet, contrarium placuit Deo omnipotenti de ſcripturarum archetypis, & ectypis, quorum conſervationem hominum induſtriæ commiſit, diſponere. Quod de horologio depravato additur, præter rem eſt, nec enim verſio depravata correctrix ponitur, ſed dum fontis lectio vitiata currit, verſionis ex meliori exemplari apparatæ fidei redditur, ſeu clarius loquendo: achetypo conformatur.

Et hoc prudenter, ſanoque fieri conſilio inde concluditur, quia ſatis conſtat, fontium, ut hodie ſint comparati, authoritatem apud Doctores Catholicos in quæſtionem omni tempore fuiſſe adductam, & a multis in concurſu Vulgatæ omnino repudiatam Eccleſiâ permittente, id in Vulgatam, ſaltem ea cum extenſione haud concedi: unde etiamſi neutrum horum inſtrumentorum eſt alterius abſolutè normativum ſed potius mutuo ſuos farciunt defectus, Vulgatæ tamen quoad nos, qui Spiritu Eccleſiæ regimur, auctoritas certior eſt. Profecto inconveniens videtur, dum unius exemplaris ſaltem in rebus majoris momenti rata, & irrefragabilis eſt auctoritas, alterius vero controverſa, poſteriori huic adhærere: rationi longe magis congruit, ex controverſa fontium, & indubitata Vulgatæ authoritate educere, & firmare regulam: ceteris paribus Vulgatæ potius eſſe deferendum, quam fontibus hodie extantibus, quoties lectiones ſententiæ ejusdem, prorſus diverſæ in eundem ſenſum cogi nequeunt, tanto magis, ſi contrariæ fuerint, maxime in momentoſis, nec eſſe tutum hodie, Vulgatam noſtram ex Hebræo, & Græco textu corrigere, eſto utiliter ſæpe valeat explica-

ca-

cari. Concedendum mihi iſtud videtur, donec de fontium integritate utramque in partem ſentire in Eccleſia erit integrum.

Nimirum etſi nihil ſit in fontibus *expreſſe* poſitum, quod fidei, morumque regulis adverſetur, an tamen non ſit aliquid omiſſum, aut quocunque caſu deletum, aut mutatum, quod ad has fidei, morumque regulas propius ſpectabat, non penitus conſtat; etſi quis hodie aſſerat, Hebræum, & Græcum textum non eſſe amplius authenticos, contra Eccleſiam nihil dicet, ſi ſtatuat hos fontes per ſe ad repræſentandum plenarie Dei verbum non eſſe ſufficientes, inſuper verum dicet, ut ex ſequentibus uberius eluceſcet.

Tune ergo fontes authenticos negabis? dicet aliquis: ego vero ut ambiguitas tollatur, jure poſtulo. Si authenticum eſſe dicis, quod paſſim, & majori parte integrum eſt, & archetypo ſuo conforme, nec aliquid offert, ex quo error pernicioſus hauriatur, fontes authenticos tecum confitebor; quia tamen heterodoxi vocabulo iſto omnimodam, & abſolutam fontium puritatem prædicant, quaſi Hebraicus, & Græcus Vulgaris codex in omnibus ipſoſmet Prophetatarum, & Apoſtolorum textus referat, atque inde plerique eorum concludunt, id omne, quod in Latinis verſionibus a codicibus illis diſcrepat, reformari debere, quod judicante Bellarmino *apertiſſime falſum* eſt, nego reprehendendos eos qui in oppoſitione ad illos, fontes hodiernos negant eſſe authenticos, inter quos Franc. Silvius a Du-hamelio pag. 29. citatus L. 1. controv. Q. 2. ar. 4. ſpeciatim de textu Hebræo ſic loquitur: *Textus Hebræus Bibliorum, qui nunc extat, non*

eſt Canonicus, neque ejus autoritas irrefragabilis, partim quia continet defectus quoſdam, & errores etiam notabiles; partim quia Eccleſia non tribuit ei authoritatem Canonicam, neque vel uſu, vel decreto aliquo eum approbavit ut authenticum. Ipſe autem Du-hamelius addit, ex Pſalmis apparere textum Hebræum variatum fuiſſe *etiam in rebus magni momenti.*

Quid verba multiplicamus? fontes in quibus locis corrupti fluunt, in iis authentici non ſunt; ſi in locis omnino multis ita ſe habent, in locis omnino multis authentici non ſunt; ſi quandoque etiam in momentoſis, etiam ibi authentici non ſunt; cenſeo fontes hos archetypi habitum adhuc maximam partem referre, (pag. 69.) non tamen, ubi a Vulgata, & antiquiſſimis verſionibus, præſertim in rebus alicujus momenti diſcedunt, iſtud ſine præjudicio, & periculo dici poſſe. Vocentur ergo authentici, quia paſſim ſunt integri, hanc appellationem, & venerationem pretioſiſſima iſta religionis monumenta a me quoque emerentur, in quibus Dei loquentis vocem ſonare qui non agnoſcit, næ ille impius eſt, & deteſtandus; ſed pariter ille, qui exemplaribus Originali lingua ſcriptis, qualia hodie ſuperſunt, Vulgati, Chaldæi paraphraſtæ, 70. ſeniorum, Samaritani Codicis, aliarum item antiquiſſimarum translationum fide contemptâ, ut polypus ſaxo, pertinaciter adhæret, errat, & non tam Dei voluntatem in ſcripturis quærere, quam proprii judicii ductum ſequi videtur.

Quis enim credat puritatem verbi Dei etiam tunc in ſolis Hebræorum voluminibus ſupereſſe, dum omnium aliarum gentium exemplaria ex vetuſtis apographiis translata diverſam ab illis

ex-

exhibent lectionem? quis Catholicorum ſibi perſvadeat, non eſſe tam fidele, tam integrum, ac genuinum exemplar, quod ſolum alio prætermiſſo a mille annis, & ultra Eccleſia Catholica quotidiana lectione frequentat, cuſtodit, & ſervat? imo quis ſpectato Eccleſiæ in ſcripturis dijudicandis indeficiente judicio ceteris paribus Vulgatæ plus non deferat?

Nimirum cum duo habeamus præ manibus verbi Divini inſtrumenta, fontes hodiernos, & Vulgatam quorum utrumque partibus adverſis concedentibus & authenticum eſt, (ſenſu latiori, ut mox dictum) & erroribus ſuis reſperſum, in rebus extra fidei, morumque doctrinam vagantibus: ubi ſenſum diverſum exhibent, aut prorſus e diametro oppoſitum, ei ſecurius adhærebimus, cujus plenior eſt authentia; & Vulgata quidem pro ſe poſitivum decretum habet, infallibili Eccleſiæ authoritate munitum, quo ſaltem dubium eſſe poteſt, an non abſoluta, & a fontibus hodiernis independens authoritas ei tribuatur, dum *nullo prætextu rejici poſſe* declaratur; hocce dubium non parum augetur.

(a) Ex communi illa opinione, qua Vulgatam ſe ſola ſufficientem eſſe ad repræſentandum ſcriptum Dei verbum omni tempore apud Catholicos eſt judicatum.

(b) Ex ipſius Synodi verbis, dum in publicis diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, & expoſitionibus, in quibus de levioribus pariter tractari ſolet, hæc ipſa vetus Vulgata ſine poteſtate quidpiam rejiciendi adhibenda proponitur.

(c) Ex timida, ambigua, & verſatili loquendi ratione eorum, qui, cum ſint Catholici,

Vulgatam nihilominus fontibus hodiernis poſtponendam ſtatuunt, namqne dicere formidant, in Vulgata etiam extra res fidei manifeſtam aliquam falſitatem, aut errorem, ut loquuntur, perniciofum contineri; at ſi vera ſunt, quæ tanta contentione ipſi diſputant, & plures centuriæ falſitatum ſunt in Vulgata, & erratorum longior illa ſerias, quam producunt, ut nunquam ad minus indirecte (ſi errata forent) ſit perniciofa, haud facile perſvadebunt.

(d) Quod non videatur credibile, a Synodo verbis tam claris authentiam Vulgatæ aſſerendam fuiſſe, ſi in propoſitionibus, textibus, & voculis extra res fidei, & morum conſtitutis a lectione hodiernorum fontium penderet, quia ſic maxima ſui parte infirma, & minus certa ſtaret.

(e) Auctoritas hæc jam hodie per ſe ſubſiſtens ſecundum omnes in rebus fidei, & morum, aliisque momentoſis eidem Vulgatæ vindicatur, in his vel adverſum tenet fons, vel non: ſi primum: poſthaberi eum, rejicique neceſſe eſt. Si ſecundum: inanis eſt quoad hæc de alterutrius prælatione altercatio, niſi fortaſſe quantum ad clariorem expreſſionem, quæ ſit in fonte; verum conceſſo etiam eo, quod tamen ægre probabis, quoad res fidei, & morum in fontibus clariorem ſemper offerri expreſſionem, ſubſtantia, & veritas fidei noſtræ a claritate, quæ ſolum modum afficit, non pendet.

(f) Hæc demum in ſubſtantialibus abſoluta, & rigida ad fontes recurrendi neceſſitas nec definitioni Eccleſiæ de authentia Vulgatæ cohæret, nec doceri ullo argumento, nec aliquo textu oſtendi poteſt; eſt igitur aliquid, quod non a

par-

parte rei exiſtit, ſed tantum in cerebro nonnullorum fingitur.

Quarto: Fontes Vulgatæ univerſim præferendos eſſe nonnulli confirmant dictis Alphonſi Salmeronis (ſuperius pag. 46.) & Bellarmini, quorum prior dicit ex Hebræis, & Græcis exemplaribus ſumi poſſe argumentum efficax tamquam ex textu ſcripturæ S. poſterior fatetur errores, ſi qui ſunt in fontibus, *eos non eſſe tantos, ut in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, Scripturæ integritas deſideretur*, quia plerumque vel in pura, putaque lectionum varietate, ſenſum parum, aut nihil mutante conſiſtunt, aut ex non recta punctorum additione, (in V. T^o^) quæ corrigi poteſt, acciderunt. Joannis Acoſtæ verba addunt, qui L. 2. de Chriſto revelato C. 16. tradit, non eſſe ſolam Latinam editionem pro authentica habendam, ſed Græcam etiam, & Hebraicam, quibus uſam eſſe Eccleſiam communiter conſtat. Specialiter quod fontes N. T^ti^ attinet: obſervant, a Græco textu Vulgato, quem erroribus reſperſum eſſe ultro concedunt, ad Græcum textum in genere male concludi. Inſuper niſi fontibus ſua ſtet prærogativa, Vulgatæ, cui tanto ſtudio volumus conſultum, pretium haud paullum minui, quia de bonitate alicujus verſionis judicari non poteſt, ſi textus Originalis in omnibus exemplaribus ſit vitiatus. Duo poſteriora argumenta ſunt Chriſtophori Fiſcher Inſt. Herm. N. T. edit. Prag. 1788. pag. 21.

Verum nullo negotio iſta expediuntur. Longe enim aliud eſt, licere ex fontibus, ubi integros fluere conſtat, ſumere efficax argumentum, aliud Vulgatam hodiernis fontibus univerſim digna-

gnitate inferiorem ſtatuere, aut ipſos, qua ſe hodie exhibent forma, ei præferre. primum quis neget? alterum quis Catholicorum exigat? ex corrupto loco, etiamſi fontis ſit, argumentum firmum duci non poſſe ex recta terminorum apprehenſione norunt omnes; atqui tales locos majoris momenti Bellarminus, & Salmeron adducunt, quales ſunt Iſa. 9. Meſſias vocabitur Deus fortis &c. Pſ. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum* (Apoſtolorum prædicantium), judicantque in talibus particularibus quibusdam locis Scripturæ S. integritatem revera deſiderari, ſecus non dicerent locos hujusmodi in Hebræo eſſe corruptos, cum impoſſibile ſit ibi Scripturæ integritatem non deeſſe, ubi locus corruptus eſt. Sed utriusque mentem vidimus in aprico. pag. 45. 47. Addamus ex Salmerone quæ ſequuntur! non quia neceſſe eſt, ſed ut appareat evidentius, quosdam hujus temporis Hermeneutas adverſus priorum ſenſum eorum authoritatibus pugnare, a quorum ſententiis mille paraſangis incaute, atque inauſpicato diſceſſerunt. Itaque Salmeron noſter prol. 4. pag. 36. ait: *perſvaſum eſſe omnibus puto, Judæos pro libidine ſua infinitos pene ſcripturarum locos depravaſſe.* pag. 39. *Ex his igitur ſatis me arbitror demonſtraſſe, quam ſit varia, dubia, & incerta Hebræa lectio, ut nihil pene ſit illi fidendum, niſi rectum, & certum judicium adhibeamus.* Porro ſubdit pag. 40. Verba juris Canonici: *Ut Veterum:* item illa Auguſtini: *Latinos codices Græcis cedere oportere:* locum ſuum obtinuiſſe, dum fontium exemplaria minus erant corrupta, hodie vero Græcam 72. virorum interpretationem, & Latinam Hieronymi plerum-

rumque puriorem eſſe, atque emendatiorem. Poteritne quiſpiam ultro de mente Salmeronis dubitare? poteritne eundem cum aliquo vel apparente fundamento in obverſum laudare? Itaque dicta dictis componenda ſunt, ut pateat aſſertis undique collatis innui, fontes quidem univerſim, & in rebus gravioris momenti non eſſe corruptos, quandoque tamen notabiliter vitiatos, etiam in gravioribus, ut proin Vulgata ad eos reformari minime debeat.

Notandum præterea Theologos temporis illius, quo Synodi decretum emanavit, rationes quæſiviſſe, quibus refellant cavillos hæreticorum, criminantium Eccleſiam verſionem Latinam fontibus *puris*, quales in Vulgatis Hebræis, & Græcis exemplaribus circumferri ſupponebant, prætuliſſe, *veros* fontes rejeciſſe. Ita Calvinus in antidoto ſeſſionis 4æ loquitur: *decernunt, etiamſi ex fonte ipſo purum liquorem proferant, etiamſi ex certa veritate falſum coarguant, minime eſſe audiendos*, ſed Vulgatæ adhærendum eſſe, ubi tamen *qui linguas tenent, hanc interpretationem deprehendunt infinitis erratis ſcatere, idque apertiſſimis planum faciunt demonſtrationibus.* Quapropter Catholici repoſuerunt cum Bellarmino hoc eſſe mendacium, fontibus enim nihil fuiſſe detractum, quod verum omnino eſt; namque *directe, & poſitivo decreto* nihil eſt de fontibus conſtitutum; attamen quando comparate locuti ſunt, & extra concertationes cum hæreticis habitas, Vulgatam perfectius eſſe exemplar, quam ſint ſic dicti fontes, non obſcure tradiderunt.

Acoſtæ judicio fontes authentici dicendi ſunt, ubi non ſunt corrupti, & quia maximam partem

ita ſe habent, paſſim hoc nomen merentur; ratio vero ab ipſo allata ita eſt explicanda, ut ſenſus ſit, in Eccleſia ſemper fuiſſe aliquos, qui ſacras linguas tenerent, & fontes quandoque legerent, alioquin evidentia facti diceret falſum, quia ipſa Catholica Eccleſia, poſtquam Vulgata fuit recepta, poſthabita Vulgatâ fontibus uſa omnino non eſt, imo nec in conſortium Vulgatæ eos aſſumpſiſſe invenitur. Authoris verba ita accipi debent, ut contextui orationis non repugnent; Tractatûs ejus C. 16tum Menochii Tomo 3. pag. 102. aut non inſpexerunt, qui ejus authoritate in nos pugnant, aut mox adducta propoſitione in oculos incurrente contenti ad alia confeſtim transvolarunt; ille enim apertiſſime tradit, quod aſſerimus, ubi namque præmiſit, fontes Vulgata eſſe priores ſubjicit: *jure tamen ſuo* (præ illis) *Latina editio obtinuit, ut certior illius, quam ceterarum fides ſit: etenim corruptionem Latinis Codicibus invectam ſuſpicari non poſſumus, quos tanta multitudine, tanto conſenſu, a tot Eccleſiis per plus mille annos conſervatos conſtat. Hebraica autem neque, ita uſu Catholicis fuère, neque a ſcriniariis tantæ fidei ſervata ſunt: quin potius multorum opinio eſt, non pauca a Judæis vitiata, vel a Rabbinis aliter diſpuncta; quoniam ergo ex Euſebii, & Hieronymi Canone, ex iis, quæ in poſteriori lingua certa habentur, aut conjectare, aut corrigere debemus, quæ in priori vel ambigua vel depravata ſunt, nihil iniquum molimur, ſi editioni Latinæ, quamvis poſtremæ tempore, authoritate, & dignitate primum locum demus.* Mox explanat utilitatem Hebraicorum codicum, quos late authenticos dicit, inquantum

licet

licet invidi, & perfidi Judæi fontes ſacros conati ſint inficere, non tamen iis credendum ſit licuiſſe, quidquid libuit; addit, adhuc valere fontes ad paronomaſias, aliasque ſimiles concinnitates, & alluſiones ex originalibus linguis elucidandas. C. 19. docet in 70. Seniorum verſione *manifeſtum Spiritûs S. afflatum;* C. 18. quod Auguſtinus aſſerit 70. eſſe Canonicæ, & infallibilis auctoritatis, *nos* (inquit) *plane verum, certumque cenſemus.* Vulgatam dicit ideo per Concilium authentiæ titulo donari, ne cum graves tractantur quæſtiones, repudiari poſſit, aut in excuſationem afferri, eam non eſſe ſententiam Scripturæ, quæ ibi legitur; temerarium eſſe Rabbinos pluris facere, quam Scriptores Eccleſiaſticos, & ex Hebraica litteratura emendare, quod in Patribus diſplicet, profligatiſſimorum hominum eſſe, quorum hoc ſeculo non parva ſit copia, Vulgatum interpretem de ignorantia vocum Hebraicarum, aut Græcarum accuſare, præſtare, manere linguarum imperitiſſimum, & ſcripturas penitus ignorare, quam iſto modo perdiſcere. Hæc Acoſta! mirandum, multos hodie poſt invectum novum Syſtema Hermeneuticum in quæſtione hac a Majorum ſenſis ſpecioſo ſectandæ antiquitatis titulo deſciſcere.

Scimus ab uno particulari ad univerſale male concludi, & ex quo hic, aut ille codex vitioſus eſt, aliorum fidem non labefactari, bene tamen e Græco Vulgari codice vitiis onuſto inferimus: 1º Textum Græcis per multa ſecula uſitatum negligenter fuiſſe cuſtoditum, ſecus extaret incorruptus, egere emendatione non ea tantum, quam ipſa Vulgata noſtra ſub ætatem Synodi Trid. poſcebat, ſed longe majori, adeo-

eoque male pro norma verſionum cum Eraſmo a recentioribus quibusdam conſtitui. 2° Etiam de ceteris codicibus Græcis, ubi a Vulgata multum abeunt, gravem, & fundatam eſſe ſuſpicionem erroris. Porro textus in genere non exiſtit, ſed in individuo hujus, aut illius codicis: an vero codex quispiam omnino purus hodie in aliquo orbis angulo deprehendi poſſit, qui hactenus incorruptus delituerit, conjectura aſſequi non poſſumus, omnes, qui præſto ſunt, nequidem Vaticano, Alexandrino, & aliis antiquioribus, & celebrioribus exceptis, nævos ſuos, nec paucos, nec plane exiguos habere etiam ab Adverſariis dicuntur; ergo non male concluditur, Græcos Codices generatim eſſe vitiis onuſtos; eſt enim hæc argumentandi ſpecies vulgo dicta *inductio*, qua in decidenda hujusmodi quæſtione nulla reperitur validior; *Græcus textus*: totum Logicum eſt, dicamus igitur convenire toti Logico, quod omnibus inferioribus ejus convenire deprehenditur.

De bonitate verſionis ex fontibus judicari non poteſt, ſi fontes in omnibus exemplaribus ſint, & ex toto corrupti; ſi autem conſtet in 50. locis eſſe luxatos, in 100. vero integros, ex locis integris conſentiens illis verſio proba eſſe oſtenditur. Argumento hoc, niſi valde limitetur, evincent heterodoxi de ſeptem librorum V. Tti deutero-Canonicorum veritate, ac rectitudine nos hodie certo judicio nihil poſſe decernere, Eccleſiam, dum eos Canonicis ſcripturis adnumeravit, graviter erraſſe. Poteſt, debetque bonitas verſionis rata haberi, & ſi fons jam ſit penitus abolitus, ſicut Evangelii primi, & epiſtolæ ad Hebræos, fonti contigiſſe nemo du-

dubitat antiquorum; nam ad hoc citra periculum errandi conſtituendum, longævus verſionis probatæ uſus Catholicus ſufficit; maxime ſi aliarum in orbe plurimarum, & vetuſtiſſimarum translationum fides ſuffragetur, ex quarum conſenſione germanitas noſtræ verſionis valde nitide eluceſcit.

Quinto: Ajunt fieri nunquam poſſe, ut verſio majorem habeat authoritatem, quam textus Originalis, quia, cum hic Divinus ſit, verſio humanam redolet induſtriam, quæ dum authentica declaratur, implicite, & velut a priore fons approbatur, quod verſionis approbatio nitatur conformitate, quæ ei eſt cum fonte, qui nativa ſua dignitate cunctis verſionibus, velut Sol Lunæ fulgoribus, velut mater ſuis filiabus præcellat.

Excipiunt: Vulgatam ceteras inter editiones pro publico uſu ab Eccleſia recte commendari, non tamen eo ſenſu authenticam declarari potuiſſe, quod in momentoſis a fide archetyporum non diſcrepet, quia ad hoc declarandum debuiſſet vel cum archetypis, quæ jam tum ab annis plus mille periverunt, conferre, vel hæc duo certo judicio diſcernere: primum: an Hieronymus veluti author Vulgatæ optimos, & archetypis omnino conformes Hebraicos, & Græcos codices præ manibus habuerit: ſecundum: an in ſua V. T[ti] ex Hebræo in Latinum translatione, ac N. T[ti] e Græco emendatione reipſa non erraverit; atqui utrumque excedit Eccleſiæ poteſtatem, & cognitionem.

Illud poſtremo ſolicitius inquirunt, utrum juxta nos Eccleſia etiamnum habeat genuinos Prophetarum, & Apoſtolorum textus, vel iis pri-

pridem amiſſis, corruptis tantum apographiis, & incertæ fidei translationibus utatar?

Sed nec his adverſum nos aliquid conficitur, quo adverſariorum opinio vel leviter fulciatur; Quis enim non videat ea, quæ in laudem textus Originalis congerunt, de archetypo, ſi quodpiam in orbe terrarum extaret, nulla viciſſitudine mutatum, valitura? quæ dum ad apographa, non ſine pluribus vitiis ad nos delatá transferuntur, deſultoria levitate ſtatus quæſtionis variatur; produc in lucem archetypon, certamque interpone fidem, hoc nunquam vel levem quampiam mutationem ſubiviſſe, nemo Chriſtianorum dubitabit, omnes translationes, omnia apographa ad illud, tamquam ad amuſſim comparari, & ex eodem expendi debere, in cujus collatione abſurdum ſine dubio foret, verſionem Vulgatam, aut quamcunque aliam fonti æquiparare. Dum Catholici verbis Concilii ad fontes deprimendos contra ſententiam heterodoxorum utuntur, non iſtud, ſed quod ſanum, & rationabile eſt, urgent, ſalubres rivulorum aquas corrupto fonti anteferri debere, ſanioris eſſe conſilii, limpidam aquam e lacunulis defæcatis, quam obſcænum ex turbato fonte liquorem bibere, ut ex vero dicit Melchior Canus. Qui hodiernos fontes archetyporum loco habent, vehementer aberrant, quia poſtquam veri fontes in locis compluribus pridem exaruerunt, prætenſi fontes ibidem ſæpe aliter habent, quam ratio, ac veritas poſtulat; itaque ſplendida fontium h. e. ſi dicenda veritas, exemplarium multiplici errore ſcatentium, appellatio non debet nos illico, tamquam Gorgonis caput, in ſaxa, & ſtipites convertere, nam ſæpe lucet quidem vanitate, ſed frangitur veri-

veritate, videndum, an ſic dicti fontes, verè ubique fontes ſint; nomen iſtud in ſtricta Significatione nullum exemplar meretur, niſi archetypo ſit ex integro conforme: de nullo apographo Hebraico, vel Græco conſtat, ſic eſſe conforme: nullum igitur apographum Hebraicum, vel Græcum fontis nomen in ſtricta ſignificatione meretur. De Vulgata conſtat, in quibusdam, quando ab Hebræo apographo abſcedit, Hebræo archetypo eſſe conformem, puta: in partibus Danielis, Eſtheris, & ſimilibus, quas proxime expendemus; patet igitur & hoc, Vulgatam veri fontis eſſe repræſentativam, & vicariam, ſupplereque defectum matris vitiatæ, & hujus lunæ fulgorem, poſtquam Sol Occidit; ad viam veritatis inveniendam nobis ſufficere, Hebraicorum vero codicum encomiaſtas obſcuræ noctis iter in lectione ſcripturarum absque omni lumine, quod in partibus illis luceat, proſequentes in lapidem erroris offendere.

Poteſt fieri, & ſæpe fit, ut verſio usque hodiernum diem exprimat, & conſervet lectionem archetypi, utpote ex melioribus olim codicibus adornata, apographa vero progreſſu temporis a vera lectione defecerint, quo caſu verſionis fides, & authoritas apographis eſt præferenda; & hoc tam eſt certum, atque illud, errori Divinam veritatem, figmento Dei eloquium præſtare.

Verſio humanam redolet induſtriam, quoad diſpoſitionem verborum, non vero, dum fidelis eſt, & accurata, quoad veritatem ſententiarum, quæ eadem eſt in hac, ac in fonte ſuo; ſecus qui verſionibus utuntur, h. e. qui ſunt undique fideles, verbo Dei deſtituerentur: porro ſicut ex hoc, quia verſio eſt, verbum Dei eſſe non deſinit, ita

ita ſi fidelis, accurata, & fontis ſui repræſentativa fuerit, authentica jure optimo appellabitur; cum enim ſcripturarum dignitas, & authentia non in verbis conſiſtat, ſed in ſenſu, & quoad hunc, item quoad propoſitas veritates, & ſententias, fontem inter, & hujusmodi verſionem non ſit diverſitas, non poteſt verſio a fonte ſuo eandem ipſam dignitatem, & authentiam non participare. Verſio denique humanam redolet induſtriam, qua privati labor eſt hominis, non vero, qua univerſæ Eccleſiæ judicio, quod in re ſummi momenti a recto deficere nequit, approbatur. Nonne & apographorum ad poſteros transmiſſio, deſcriptio, & conſervatio humanæ induſtriæ opus eſt, atque ea de cauſa illa tot contaminantur erroribus, quæ tamen authentica eſſe volunt? Vulgata filia eſt, ſed omnibus Hebraicis, & Græcis uſualibus apographis adultior, filia eſt, ſed cujus mater natarum nuper verſionum matres antiquitate, fidelitate, & veracitate multum ſuperat. Hæc ipſa vetus Vulgata dum authentica declarata fuit, implicite, & velut a priori *fons ejus* approbatus eſt, non vero fontes poſterioris temporis, ſubinde longo tot ſeculorum decurſu falſarum lectionum admixtione non parum turbati, quibus nec originem debet, nec authoritatem.

Nec ſubſiſtit exceptio, quam formant; falſum enim eſt, Vulgatam, ad hoc, ut veris fontibus in momentoſis conformis eſſe declaretur, archetypis fuiſſe conferendam, iſtud ſi obtineret, jam nec de Hebraici, & Græci apographi, nec de ullius verſionis authentia certi eſſemus, cum conferri archetypis non amplius poſſint, imo dubitare deberemus de omnibus etiam prophano-

norum Authorum operibus, an eadem archetypis ſuis conformia ſint, & genuina ad nos pervenerint; objectio talis, ſi vis ei aliqua ineſſet, non jam Vulgatæ, ſed omnium ſcripturarum certitudinem e medio tolleret. Suffecit certa, & nulli errori obnoxia perſvaſione tenere verſionem hanc originarie talem fuiſſe, nec potuiſſe ſub vigilantia Paſtorum, uſuque continuo in ſinu Catholicæ Eccleſiæ inſigniter vitiari; hæc autem perſvaſio illi fundamento innititur, ex quo deducitur Eccleſiam, quæ in rebus religionis a Spiritu S. ducitur in omnem veritatem, authenticis Scripturis nullo tempore deſtitui, eaque exemplaria, quæ ipſa fidelium uſibus deſtinat, & proponit, genuina eſſe oportere. Reflexa principia iſthic omnium Chriſtianorum confeſſione ſufficiunt, e quibus illud pariter clareſcit, Hieronymo codices melioris notæ adfuiſſe, eumque in translatione, & emendatione quoad ſubſtantialia non erraſſe, quia eum Deus ad emendandas, & interpretandas uſuales Eccleſiæ Catholicæ ſcripturas Doctorem maximum providere dignatus eſt, qui ſi in rebus gravioris momenti erraſſet, Eccleſia verſionem ejus probare nunquam potuiſſet: Paucis: tam Vulgatæ authentiam h. e. cum archetypo in momentoſis conſonantiam definire Eccleſia potuit, quam decernere ultimo, ac irrefragabili judicio, quinam libri ſint Divini, & controverſorum textuum Scripturæ quis ſit verus, & orthodoxus per Spiritum S. intentus ſenſus; ſicut iſtud, ita illud ad Eccleſiæ poteſtatem pertinet. Ad quæſtionem: utrum Eccleſia etiamnum habeat genuinos Prophetarum textus? reſpondemus, citra omnem dubitationem habere, ſicut habet ſcriptum Dei

verbum purum, & integrum; hujusmodi enim quæſtio intelligitur quoad doctrinam, & res præcipuas, quæ omnino eædem ſunt in hodiernis, ac fuerint in ipſis manu Prophetarum, & Apoſtolorum conſcriptis exemplaribus, nec hîc committuntur inter ſe fontium, & verſionum codices, ſed conſpirant examuſſim. Non tamen habet Eccleſia archetypa, ſeu autographa Prophetarum, & Apoſtolorum (*g*), imo aliquorum librorum fontes pe-

(g) Autographa Moyſis, & Prophetarum, quorum ultimus Malachias adventum Salvatoris annis circiter 400. prævertit, multo ante æram Chriſtianam tempore hominum conſpectui ſubducta ſunt, & penitus interciderunt; *Deuteronomium*, quoniam 4. Reg. 22. 8. & 2. Paral. 34. 14. legitur: *Reperit Helcias ſacerdos librum legis Domini per manum Moyſi*, ſi Joſephum Antiq. L. 10. C. 5. & nonnullos ſacros criticos audias, *Moyſis authographum* tempore pii Regis Joſiæ an. M. 3380. ante Chriſtum 620. in loco templi abdito, aut potius intra parietem, dum theſauros templi ſcrutarentur, repertum admiratione, & ſacro horrore ſpectatores complevit. Nec alia autographorum V. Tti. occurrit mentio; quocirca Chryſoſtomus hom. 9. in C. 2. Matth. & alii Patrum complures Judæos damnabilis incuriæ reos agunt, quamquam multæ aliæ cauſſæ facti hujus non ægre aſſignentur.

Si de N. Tto loquamur, *Matthæi autographum*, ut univerſa antiquitatis teſtimonia conveniunt, & in re tam facilis cognitionis fidem omnem jure depoſcunt, *Hebraicum* ætatis illius, ſive Syro-Chaldaicum vexati a Romanis Chriſtiani ſecum trans Jordanem detulerunt, mox narrationibus, quas de Chriſto auditione acceperant, bona fide interpolatum, Ebionitæ, de quibus ingens hæreticorum Chriſti Divinitati infenſorum turba pullulavit, additamentis, & detractionibus perniciosis vitiarunt, & erroribus ſuis, quibus Chriſti humanam generationem tradens apertius favere videbatur, fallaciter aptaverunt, ut pleraque Hebraica exemplaria jam ſeculo 2. rejici neceſſe

penitus interciderunt, ut ſola extet verſio, uti Evangelii Matthæi, Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici

H 2 &c.

ceſſe fuerit, retentâ ſolum Græcâ, a Barnaba, vel aliquo alio Chriſti diſcipulo facta, & Latina fideli verſione. Nazaræi quidem Hebraicum hocce depoſitum, quamvis jam vitioſum, absque tamen majoris erroris admixtione diutius conſervaverunt, a quibus obtenta e Bibliotheca Cæſarienſi deſcribendi facultate Hieronymus illud in Græcam, & Latinam linguam convertit, licet, ut pote jam interpolatum genuinæ Græcæ verſioni poſthaberet. Apographon quoddam a Bartholomæo Apoſtolo ad Indos deportatum Pantænus Alexandrinæ Eccleſiæ circa an. Chr. 184. vel Sec. III. initio Catecheta fidei diſſeminandæ cauſa usque ad Indos progreſſus ibi inveniſſe dicitur apud Euſebium L. 5. Hiſt. C. 10. quod Alexandriam ſecum, Juxta Hier. in Catal. Scriptorum Eccl. C. 36. detulit. Calmetus prol. in Evan. Matth. & Bollandi continuatores ad 21. Sept. Tom. 6. pag. 202. §. III. plura dabunt. Quidquid ſit, corruptis ſemel, ſicque multiplicatis fraude Ebionitarum exemplaribus, nullis orthodoxorum uſibus erat, qui ſolis uti legitimis, quæ archetypi vice ipſis fuerunt, verſionibus maluerunt; amiſſis hac ratione non tantum autographo, ſed etiam apographis Hebraicis poſt Seculum V. univerſim deperditis reſtaurare exemplar Münſterns Baſileæ an. 1537. Tillius Pariſiis an. 1555. irrito conatu adniſi ſunt. Demum ex Vulgata cum tribus aliis Evangeliis Matthæum Hebraice transtulit Joan. Bapt. Jonas an. 1668. Romæ, addita Germanica, in gratiam Judæorum etiam characteribus Rabbinicis exhibita verſione Pragæ in fol. an. 1746. recuſum.

Marci autographum ipſius manu ſermone Latino exaratum Venetæ apud ſe conſervari in vanum diu ſunt gloriati, adeo vetuſtate, & injuria temporum corruptum, ut Latinumne, vel Græcum ſit exemplar, doctiſſimi viri, oculati teſtes addubitent, teſtimonio ſenſuum contraria confirmantes apud Honoratum a S. Maria in animadv. in Reg. & uſum critices Tom. 1. Diſſ. 7. pag. 329. Latinum vult Montfauco-

&c. In aliis autem libris ſcripturæ ſuperſunt Hebraica, & Græca apographa, incertæ ætatis, quæ ſon-

---

conius, & Ciaconius, Miſſonus vero, & ipſe pretioſi hujus theſauri cuſtos ſuis ad Corn. a Lap. litteris Græcum, omnes ex accurata inſpectione. Re diligentius examinata poſterius compertum eſt, codicem non eſſe primigenium, ſed exemplar, & quidem non ante ſeculum ſextum tranſſumptum. Damianus Czerny Inſtit. Herm. L. 2. pag. 22. Calmetus prol. in Marcum pag. 246.

Autographum Joannis propria ejus manu ſcriptum in Eccleſia Epheſina ſeculo III. ineunte adhuc religioſiſſime fuiſſe cuſtoditum S. Petrus Alexandrinus teſtatur apud Calmetum prol. in LL. N. T. Tom. 7. edit. Venet. 1774. pag. 9., quod adhuc Honorii Imp. tempore Epheſi extitiſſe alii adnotarunt.

Generatim ſcribit Tertullianus de præſcrip. adv. hær. C. 36. *in Apoſtolicis* (quibusdam) *Eccleſiis ipſas Apoſtolorum authenticas literas ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuscujusque recitari.* Sed nullus dubito ab ipſo Authenticum dici, non ſecus, ac vulgo a nobis Originalem textum Græcum, ſeu apographum, ut alio etiam loco L. de Monog. propius ad finem pag. 532. edit. Rigaltii Venet. an. 1744. Græcum authenticum vocat, quod tamen mere apographum, imo ſi ſecus ibi fuerat, quam in Græco hodie legatur, corruptum erat; nec enim *Koemàtæ*, ſed *Koemèthè* archetypi lectio eſt 1. Cor. 7. 39. Ex iis, quæ in nota hujus editionis ponuntur, eluceſcit, jam ſeculo illo Græci textûs editiones aliquas fuiſſe vitioſas; vult Tertullianus ex Græco ſuo textu, ſed ſi ita habuit, exerrante demonſtrare, uxorem a morte prioris mariti nubere ſecundo non poſſe, niſi mors ante ipſius uxoris ad fidem converſionem contigiſſet, verba ejus ſunt: *Sciamus plane non ſic eſſe in Græco authentico, quomodo in uſum exiit, per duarum Syllabarum aut callidam, aut ſimplicem everſionem: ſi dormierit vir ejus* (nubat, cui vult) *quaſi de futuro ſonet, ac per hoc videatur ad eam pertinere, quæ jam in fide virum ami-*

fontium appellatione venire ſolent, quod Originali lingua archetypon repræſentent; non ſunt

---

amiſerit. Vocat ergo authenticum Græcum exemplar ex archetypo proxime, vel remote deſumptum in oppoſitione ad Latinam Africanorum ſuorum verſionem; hinc ex Tertulliano nullum eſt argumentum pro exiſtentia archetyporum ætate ipſius.

Ex apographis vero, ſive MSS. ex originalibus deſumptis, maximorum criticorum judicio nullus in orbe terrarum Hebraicus codex proferri poteſt 700. aut 800. demumque, & ad ſummum 900. annis antiquior, quod & Rich. Simonius Hiſt. crit. L. 1. C. 33. & L. 3. C. 1. pronunciat. Car. Franc. Houbigantius Orat. Jeſu Presbyter, etſi paullo liberior, ſagax tamen criticus, palam eſſe dicit, vix extare codicem 600. annis ſuperiorem, omnesque MSStos punctis vocalibus eſſe poſteriores, quoties frequentatæ ſunt deſcriptiones, toties multiplicatas fuiſſe exerrationes, codices eſſe ſibi, & veteribus diſſimiles, nec fideliter deſcriptos, nec Maſorethico labore dextre ubique emendatos, nihil eſſe in codicibus hodiernis, cur iis magnifice confidatur; nam per bis mille annos innumeris vicibus tranſcriptos mutationem inſignem ſubiviſſe.

Joan. Bern. de Roſſi in R. Parmenſi Acad. Lingv. Or. Profeſſor in opere ſuo de variantibus Lect. Parmæ 1784. animadvertit, Kimchhium dolere, jam ſub, & poſt captivitatem tot corrupta eſſe exemplaria, poſtmodum intelligentes defuiſſe, teſte Elia Levita ipſos latuiſſe magiſtros, quid rectum ſit, quid devium, quot mundi partes, tot enata fuiſſe exemplaria diverſa, hodiernum textum in immenſa illa variantium Lectionum vaſtitate, fatentibus ipſis Rabbinis errores quandoque indubie habere, nec ſciri jam, quid ſit archetypo conforme.

Cl. Monſperger Herm. Inſt. par. 2. pag. 134. aſſerit, extra res fidei, & morum non ſupereſſe Hebraica MSS. niſi vitioſa, & mendoſa, in antiquiſſimis cenſeri Hillelis cujusdam codicem an. 1196. repertum in Hiſpania, ad quem ſua adhuc ætate ſuper-

hæc integra, & prorſus illibata, ſed in minutioribus rebus mutata, & multimodis vitioſa, in qui-

ſtitem Kimchhius Sec. XII. paſſim provocat. Item Ægyptiacum ſec. 12. qui aliter dicitur codex *Ben Aſcheris* Rectoris Academiarum Tiberiadenſium in Paleſtina, ſeu *Occidentalium Judæorum* an. Chr. 1034. vel aliquanto prius conſcriptum. Dein eodem tempore confectum Codicem *Ben Nephthali*, Rectoris Academiarum Babylonicarum, ſeu *Orientalium Judæorum;* ad poſteriorum horum Codicum, qui in quibusdam lectionibus inter ſe diſcrepabant, normam omnia Bibliorum exemplaria examinare, & aptare Rabbini poſtea conſveverunt. Rurſus: Codicem montis Sinai. Sed periverunt jam pridem. Qui vero extant, nullus codicum MSS. Seculum a Chriſto nato X. ætate antecedit, antiquiſſimus habetur conſcriptus an. 1076. alter an. 1106. alter 1207. item anni 1238. ac an. 1294. Romæ in Bibliotheca Vaticana Codex totius V. Ti una cum Maſora, & Thargum in Pentat. an. 1295. Erfurti an. 1343. Plane vero commentitius eſt, quem ab Esdra repetunt, & Karæi (pag. 8. b) Cairenſes ſe in ſua Synagoga habere gloriantur. Hactenus idem Author ibi pag. 137. Quibus poſitis illud jam conſequens eſt: 1. Vulgatam eſſe exemplar antiquitatis prærogativa, & fontium, de quibus nata eſt, ſinceritate facile, & in multis, exemplaribus omnibus etiam jactatæ vetuſtaſtatis Hebraicis anteponendum. 2. Hebraicos, qui hodie ſuperſunt, Codices fontium titulo, quantum ad veritatem lectionis, & ſententiarum præ verſionibus antiquis, & probatis non ſemper poſſe donari; ſæpe verſio fons eſt, nam decorus hic titulus citra dubium illi lectioni debetur, quæ eſt archetypi; Hebræorum proin Codicibus fontium appellationem hoc ſolum reſpectu concedimus, quod ſint exemplaria in eadem, qua archetypon ſcriptum eſt, lingua ad nos transmiſſa.

Omni autem verborum contentioni finis ponitur, ſi dicatur, quod ex vero dici debet: apographa hodierna non eſſe, niſi translata ex autographis exempla-

quibusdam locis etiam in notabilioribus, & momenti gravioris lectionibus graviſſimorum viro-
H 4 rum

plaria, verſiones quoque totidem eſſe exemplaria: oſtenditur porro evidenter Codices Hebraicos, ſive ipſa illa apographa olim aliam exhibuiſſe lectionem, quam quæ hodie in illis conſpicitur; dein vetuſtiſſimæ verſiones veluti totidem exemplaria antiquiorum apographorum fidem repræſentantia conſuluntur, & hæc iſtud, illa vero aliud frequenter offerunt, tum non inter (realem, & verum) fontem, qui nullibi terrarum extat, & verſiones inſtituitur comparatio, ſed inter exemplaria unius, ejusdemque archetypi, ſeu veri fontis repræſentativa, quorum utrumque pari facilitate deficere potuit; cum itaque de archetypi lectione tam diverſa teſtentur, cujus fides, & teſtificatio præferenda ſit, quæritur, et ſi probari poſſit in exemplaria Hebraica poſterius mendum irrepſiſſe, damnabilis, & plena periculi erit mendi hujus inficiatio.

Sicut autem pro vero ponitur, MSS. Hebraica recentioris eſſe temporis, ita ad quod determinate ſeculum, hoc, aut illud referri debeat, nemo adhæc usque tempora certo detexit, meras afferunt conjecturas; quia hujusmodi MSS. certa anni, & temporis notatione carent, & ut non carerent, hæc non ſemper firmo eſſet indicio, uti Chriſtianus Frider. Schnurrer demonſtravit in Diſſ. de Codd. Hebræorum MSS. ætate difficulter determinanda Tubingæ 1772. in 4. diſputantque Joan. Henr. Michaelis Diſſ. Philol. Critica de Codd. MSS. Halæ Magd. 1706. Joan. Gotl. Carpzovius Critica ſacra V. T. edit. Lipſ. 1748. Joan. Chriſt. Volfius in Bibl. Hebr. Benjam. Kennicottus. Joan. Aug. Dathe in proluſione de difficultate rei Criticæ in V. T. caute dijudicanda Lipſ. 1762. Equidem Daniel Erneſtus Jablonskius MSS. Hebraicorum antiquitatem æſtimari, & inferri vult ex elegantia Scripturæ, priſca ſimplicitate, dein ex Maſoræ, & ipſius *Keri Chethibh* h. e. notarum marginalium (ſupr. pag. 8.) abſentia, vel paucitate, tum ex continua ſcriptionis ſerie in Pentateucho, at-

rum judicio labem perpeſſa, quæ propterea jam hodie minoris ſunt authoritatis, quam Vulgata. Ne-

atque ex emendationum defectu. Sed ambigua, & incerta eſſe hæc indicia facile quisque intelligit, & complures demonſtrant. Talia ergo apographa ab autographorum Hebraicorum ætate longe magis, quam 70. viralis, aut Vulgata verſio diſtant, & ab eorumdem autographorum puritate aliquando manifeſtiſſime recedunt, ut certam ſibi vindicare fontis, aut appellationem, aut auctoritatem nequaquam poſſint.

Idem eſto judicium de MSS. N. Tti, aliisque Græcâ lingva editis, ſententiis Criticorum de eorum antiquitate, & determinanda ætate plurimum inter ſe diſcordantibus; Chriſtoph. Fiſcher in Inſt. Herm. N. T. edit Prag. 1788. pag. 66. ita mentem ſuam declarat: *In genere ſciendum eſt, nullum codicem antiquiorem eſſe ſeculo ſexto, aut ad ſummum quinto.* Juvat meminiſſe celebriorum: *Vaticanum Codicem*, qui priori volumine V. poſteriori N. Ttum continet, Sec. IV. circa an. 380. vel ante Hieronymi tempora exaratum fuiſſe multi ſtatuunt, ſed ad poſteriorem ætatem referunt alii. Eraſmus adnotante Huntlæo Contr. 1. C. 13. cum ei objectum fuiſſet, quod a correctiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ exemplari ejus e Vulgari Græco parata verſio differat, reſpondit ſine fundamento, ut ſane non decebat: exemplar illud Vaticanum ante paucos annos confectum eſſe tempore Concilii Florentini, quando facta eſt concordia Latinæ Eccleſiæ cum Græca, & ulterius demum progreſſus, ut difficultate, quæ ei objecta eſt de verſione ipſius a Vulgata etiam tunc deviante, quando ei ipſi Græcorum MSS. Codices amice conſonant, ſeſe absque omni moleſtia expediret, generaliter commentum aliquod fide non bona afferre, quam veritatem ingenue confiteri maluit, dixitque Græcos Codices univerſim Latinæ authoritati fuiſſe conformatos, & ad Vulgatæ normam poſterius redactos; merito ab ipſis etiam heterodoxis propterea male audiit. Solus ſcilicet puriſſimus, & minime vitiatus erat Vulgaris codex Græcus repugnantibus antiquioribus codicibus MSS.! Va-

Neque multum refert, hac ne, vel illa editione verbum Dei purum conſervetur, modo con-
H 5 ſer-

Vaticano *Alexandrinum* IV. voluminibus conſtantem, e quibus tria V. T. Græcum, quartum vero textum N. Tti Originalem exhibent, ætate parem, aut paullo antiquiorem faciunt nonnulli, ſunt, qui ſeculo V. haud vetuſtiorem velint, reperias etiam, qui ad ſec. X. detrudant; veroſimillime non multo poſt Nicenum I. Concilium a nobili quadam, & ſancta Virgine, cui nomen Theclæ, fuit exaratus. Utrumque ex V. Itala interpolatum contendunt Erneſtius, & Wetſtenius, adeo incerta eſt ſeu ætàs, ſeu fides MSS. Græcorum, ſi hodiernos quosdam criticos audias, impreſſorum codicum nihilo certior, quo ergo jure exigitur, ut Græcos hujus generis Codices N. Tti Vulgatæ noſtræ normam conſtitui permittamus? ſunt & alii innumeri Codd. Græci N. T. qui juxta criticos ætatem V. VI. VII. VIII. IX. aut etiam X. ſeculorum, non tamen retruſiorem ferant: uti *Cantabrigienſis*, *Claromontanus*, *Regii*, *Sangermanenſis*, *Boernerianus*, *Baroccianus*, & alii, qui in Bibliothecis Italiæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ deliteſcunt, & blattis, ac tineis colluctantur. Subinfero: ergo nullus codex MS. N. Tti Græcus certa ſua antiquitate, & dignitate par eſt editioni noſtræ Vulgatæ N. Tti, hæc enim ſi quoad ſubſtantiam, & potiorem partem ſpectes, ipſa eſt V. Itala e Græcis exemplaribus Apoſtolicæ ætatis, conſequenter integerrimis adornata: ſi emendationes ab Hieronymo factas reſpicias, Græcæ meliorum Codicum fidei reddita: ſi durationem conſideres, majori vigilantia, quam qualiacunque demum MSS. uſuque nunquam interrupto conſervata. Debere MSS. hujusmodi verſionum antiquarum authoritati cedere etiam celeberrimus Michaëlis exiſtimat. Calmetus in Diſſ. in 1. epl. Joan. C. 5. V. 7um poſt Boſſuetum pronunciat, textus, prout apud Patres leguntur, præ lectione MSS. Græcorum authoritatem habere, ſive clarius: lectiones textuum, prout extant apud PP. fontium hodiernorum lectioni præferendos, E. G. ſi Cyprianus, & Ter-

ſervetur aliquà, puta: illa, quam ipſa Eccleſia publico uſui fidelium expoſuerit, & authenticam declaraverit; ſatis eſt, & e Vulgata, & e fontibus hodiernis Hebraicis, & Græcis omnia illa peti poſſe, quorum cauſa ſacri hi Codices dati ſunt: ſatis eſt, etiam hos fontes in rei ſumma adhuc integros eſſe, paſſim omnem etiam mere hiſtoricum tenorem Divinæ circa homines œconomiæ in iis ſine gravi aliqua immutatione ſalvum perſiſtere: ſatis eſt, collatis fontibus, & verſionibus totius Scripturæ S. plenitudinem apud Eccleſiam inveniri.

§. V.

Tertullianus 1. Joan. 5. V. 7um citent, utique eorum ætate exemplaria eum habebant, quæ ætas omnibus codicibus, qui hodie reliqui ſunt, præcedit. Damianus Czerny L. 2. pag. 26. Herm. his verbis loquitur: *quo preſſius codex priſcorum Patrum lectioni, præſertim quam in commentariis ſuis ſequuntur, inſiſtit, eo melior eſt; priſcos namque Patres optimis codicibus uſos fuiſſe nemo in dubium verterit. Hinc Patrum ſcripta ceu lapis Lydius haberi debent, ad quem codices utriusque fœderis examinentur.* Cl. Monſperger quoad Libros V. T. par. II. pag. 145. judicat, ſatius eſſe ad errores, & varietates detegendas, atque corrigendas conſulere veteres tum Græcas, tum alias orientales verſiones, cum hæ de codicibus 14. uti Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, imo, uti LXX. Interpretum, etiam 20. ſeculorum ætatem ſuperantibus fuerint translatæ.

§. V.

Interna Vulgatæ Authentia, ſeu ejus cum Archetypis conformitas ex ipſis Hebraicis, & Græcis codicibus MSS., nec non verſionibus antiquiſſimis breviter declaratur.

I.

Quamquam ex dictis incerta ſit ætas Hebraicorum V. & Græcorum N. Tti codicum hactenus typo non expreſſorum, ſi tamen ad veras lectiones detegendas, & ſtabiliendas aliquid valent (valent vero plurimum) intemeratam Vulgatæ noſtræ fidelitatem, & internam ejus cum archetypis conformitatem mirifice produnt, & in plena luce conſtituunt, namque ubi ab ipſa Uſuales Hebræorum, & Græcorum codices additione, vel omiſſione vocum, & ſententiarum varietate abſcedunt, vel diverſum offerunt ſenſum, ibi MSS. codices antiquitate, & fidelitate ſua multum venerandi, qui cum Hebraici V. tum Græci N. Tti maximo ſuperſunt numero, eidem frequenter, & accurate concordare deprehenduntur; cujus veritatis demonſtratio quia practica eſt, & non ratiocinio, ſed mutua collatione fieri debet, apud interpretes meliores, qui in defenſionem Vulgatæ fuſius iſta deducunt, & Criticos, qui variantes lectiones collegerunt, & codicum ſacrorum collationem poſteritati ſuppeditarunt, (*h*) quærenda erit.

Spe-

(*h*) Inter hos celebrantur Kennicottus, Michaëlis uterque, Houbigantius, Ludov. Cappellus, Vogelius, Brunſius, Lilienthalius, Nagelius, Schellingius, Bahrdtius, Schiedius, Oberſinus, Diederichſius, Lichtenſteniius, Starckius, a Doederleinio in Bibliotheca ſua Theo-

Speciminis loco ex V. T[to] ſervire poteſt Pſalmi 22[i] V. 17[us], in quo illud *charu*, vel *chaaru* h. e. *foderunt*, (manus meas, & pedes meos) non vero adulterinam, & contextui repugnantem vocem *chaari* h. e. *ſicut leo* habent MSS. codices, inter quos ſolum diſtinctio iſta obſervatur, quod alii *Aleph* omittant, ut omitti regulariter debet, alii vero poſt *Chaph* epenthetice more Arabum immiſſum conſervent. Ita Pſalmum IX[um] & X[um] Codices Dublinenſis, & Pariſinus jungunt, quos, uti de ſolis Pſalmis plures alios ex Kennicotto profert Georg. Chriſtianus Knapp in ſua Pſalmorum verſione Germanica Halæ an. 1782. Et ſi quis in his hoſpes eſt, & peregrinus, ei ſufficere poteſt, quod fugit neminem, 72. ſeniores 280. Circiter annis ante Chriſtum, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, hoſtes Chriſtiano nomini ſeculo II. infenſiſſimos, Chaldæos Paraphraſtas: ſeu priores Onkelos, & Jonathan Chriſto Coævi, ſeu poſte-

Theologica commemorati. Reineccius, Joan. de Roſſi. Joan. Rich. Simonius. Millius Anglus Herculeo 30. annorum labore 30. millia variantium lectionum N. T. collegit, ac Oxonii an. 1707. edidit. quem ſequitur Bengelius in *apparatu critico*, ſed plurimum præſtitit Wetſtenius, qui Millii Syllogen inſigniter auxit; Wetſtenium in compendium redegit, partim novis acceſſionibus locupletavit Joan. Jac. Griesbachius in N. T. Halæ an. 1777. Notiores ſunt prolixi labores Stephanorum, Roberti, & Henrici, Baſileenſium, Londinenſium in Polyglottis (ſup. pag. 31.) Oxonienſium &c. porro Millius cenſet, circiter duo millia e variantibus illis lectionibus in Vulgarem Græcum textum inſerenda, tamquam vera, hodiernis, quæ vulgo in impreſſis codicibus circumferuntur, tamquam falſis eliminandis.

ſterioris temporis, etiamſi ſeculi VIII. eſſe ſtatuantur, Hebraicum textum contra fidem hodiernæ lectionis ſæpe ita legiſſe, prout Vulgata noſtra repræſentat. Sic novitatis, & turbati ordinis manifeſte convincunt illud Pſ. XI. Verſu I. *transmigra in montem veſtrum paſſer*: loco: *transmigra in montem ſicut paſſer:* non tantum poſt 70. Syrus, & Arabs, ſed etiam ipſe Chaldæus, qui de illo: *veſtrum* nihil habens, quamvis in Latina verſione in Polyglottis male apponatur, dicit: transmigra *letura heich tzippara* h. e. *in montem ſicut paſſer;* omnia igitur veterum exemplaria ferebant: *har chemo*, non *harchem*. Bene obſervat Bellarminus, 70. ſive noſtram lectionem clariorem, & veram eſſe, nam & S. Hieronymus ſic vertit, unde (ſubdit) poſt tempora Hieronymi videtur hic locus corruptus in Hebræo librariorum vitio. Alter quoque error eſt in textu *vav* loco *jod*, *nudu*, *fugite* in plurali, loco *nudi: fuge* o anima! ſed K*eri* eligi debet, (ſup. pag. 8.) MSS. valde multorum authoritate. Geminus error anſam nonnullis dedit, totum verſum ſenſu plane contrario interpretandi, uti Calmetus adnotat his verbis: *hæc omnia e duplici mendo oriuntur, quo textus Hebræus noſtræ ætatis vitiatur, quod ætate 70. & S. Hieronymi nondum irrepſerat; præferendus eſt ſenſus Vulgatæ, utpote pronus maxime, & facilis.*

Placet aliqua exempla etiam ex Roſſii ſpecimine variarum lectionum edit. Romæ 1782. ſuperaddere.

Joſ. 8. 27. ubi prædam ſibi diviſiſſe dicuntur *Filii Iſrael*, vox *bene* ſeu *Filii* excidit ex Vulgari Hebræo, habent codices Kennicotti non-

Digitized by Google

nonaginta ſex, ſicut 70. Vulgatus, Syrus, Arabs.

Joſ. 15. 19. excidit nomen proprium *Chaleb*, quem MSS. Codices quindecim, impreſſi an. 1486. & 1788. Soncinenſes, & Brixienſes an. 1494. ſicut 70. Vulgatus, Syrus, exhibent.

Joſ. 21. Verſus duos 36um, & 37um ceteris vexatiores, apud Kennicottum habent Codices 156. MSS. impreſſi antem 23. & longe plures ab aliis obſervati. Calmetus addit: *variantia hæc, & transpoſita apertiſſime demonſtrant vetera MSS. Originalia in hoc textu minus ſancte cuſtodita fuiſſe.*

1. Reg. 26. 23. *in manum*: excidit ex Hebræo *meam*, quod conſpexerunt 70. Vulgatus, Chaldæus, Syrus, Arabs, & ferunt Codices apud Kennicottum 22. nec non edita Soncini an. 1488. Biblia.

4. Reg. 9. 11. *& dixit ei:* legit Hebræus Vulgaris, *& dixerunt ei*: poſcit contextus, quia verbum hoc refertur ad ſervos, ad quos egreſſus eſt Jehu. Conſentiunt Vulgato 70. Syrus, Arabs, & 19. Codices Kennicotiani.

4. Reg. 15. 13. *Filius Jabes regnavit* 39º *anno Azariæ Regis Juda.* Hebræus uſualis loco *Azariæ* habet *Uziæ* contra 70. Vulgatum, Chaldæum, & unum ſupra 30. Codices Kennicott. ac impreſſa Biblia Soncini 1488. Brixienſia, Bombergiana an. 1518. ad marginem, Münſteriana &c.

Exech. 11. 19. ubi Deus juxta Vulgatum, Syrum, Arabem, & 70. dicit: *Spiritum novum tribuam, in viſceribus* (in corde) *eorum.* Hebræorum uſitatus Codex habet: non *bekirbam*, ſed *bekirbechem*, h. e. non *in interiori eorum*,

ſed

ſed *interiori veſtro.* Quo loco monet Houbigantius: *incepit oratio in perſona tertia ſuperiore verſu, atque in eadem continuatur inferiore. Itaque melius Græci interpretes* &c. Vulgato, 70. Syrus, Chaldæus, Arabs, & Hebræorum MSS. Codices plurimi atteſtantur.

Pſal. 48. nobis 47. v. 15. *ipſe reget nos in ſecula:* h. e. in æternum, ſemper. Hebræus vocem contra veterum fidem dividens non *yalamoth*, (in) *ſecula*, ſed *yal-moth in mortem, ipſe ducit nos in mortem:* præfert. Sed pro una voce habuerunt 70. Arabs, Chaldæus, & Syrus interpres Ambroſiani Codicis Syro-Eſtrangeli hexaplaris, junctimque legunt Codices omnes Erfurtenſes, Regiomontanus II. Sorbonicus 31. Regius Pariſienſis 16. Caſſelanus, Argentinenſes tres, & 17. Kennicottiani, Conſpirant vetuſtæ, & primariæ editiones. &c. Nec tali loco de norma jungendi, aut ſeparandi, quæ pure grammaticalis eſt, quæritur, ſed de ſenſu, qui ſyllabarum divulſione, & vitioſa deſcriptione alter, priori multo diſſimillimus enaſcitur.

In N. T^to ad declarandam MSS. Codicum Græcorum cum Vulgata, ubi hæc uſualem Græcum textum non ſequitur, convenientiam retractari, & expendi poſſunt illi textus, qui paginis 27. & 30. fuerunt producti, & e Calmeto, Corn. a Lap. atque ex hoc ipſo opere per decurſum plures applicari. Ceterum convenientia hæc tam clara fit plura loca N. T^ti conferentibus, ut Auguſtus Erneſti par 2. C. 2. Baumgartenius pag. 505. N. 1. Herm. Græco-Latinos Codices omnes, atque multos etiam pure Græcos ad ductum Vulgatæ Latinæ fuiſſe accomodatos, & e verſione vetere Latina interpolatos cum pluribus

aliis

aliis heterodoxis pronuncient, quod ipſum ad verſiones complures etiam antiquiores extendunt. Sed præterquam quod opinionis ſuæ nullum proferre poſſint argumentum, ſi ea vero congrueret, Robertus Stephanus, Eraſmus, Lutherus, quorum lectiones magnis laudibus extollunt heterodoxi, genuinos codices unde, & qua ratione fuiſſent nacti? ſi omnes reliqui a primigenia puritate exciderunt, fato huic primorum reformatorum Codices quis eripuit?

Heterodoxis adverſus Petri Fagiardi Veleſii, Hiſpani Marchionis lectiones Vulgatæ apertiſſime faventes, ſedecim codicum Græcorum, quorum octo de Bibliotheca Regia B. Laurentii fuerunt, facta collatione apparatas, non pauci Catholicorum aſſentiuntur, ſed Millius vir in lectionum variantium ſtudio exercitatiſſimus, a Catholicis inſtitutis alienus ſe opponens proleg. in N. Ttum Græc. pag. 138. ſequentia dicit: De ipſis ita ſtatuendum cenſeo: 1° *Pro certo habeo, magnam earum partem Originarium Italicorum interpretum textum referre, adeoque pro genuinis ipſis Apoſtolorum fere habendas.* 2° *Ex interpolatis partem aliquam, eas dico, quæ conveniunt cum iis quas exhibent Syriacæ, aliæque aliquot verſiones Orientis, ex iisdem Italorum interpretum Græcis prodiiſſe.* 3° *Ex iis, quæ adeo mirifice favent Vulgatæ verſioni, ut ad exemplaria Latina confictæ videantur, raras eſſe, quæ poſt accuratum examen haud deprehendantur ex uno, aut altero Græco exemplari ortum deducere.* 4° *Haud diffitendum quidem, in exemplaribus apud Latinos exaratis, paucas quaſdam ad Latinum textum a Latinis fuiſſe fictas, & formatas. Hujusmodi unam,*

al-

alteram, tertiam videas in hac Veleſiana Sylloge, non item multas, quod primo intuitu ſuſpicaberis.

Varias ex his lectionibus Vulgatæ contra Græcum Vulgarem textum conformes ex IV. Evangeliis, & reliquis N. T. libris ordine ſuo proponit Joan. Mariana Diſſ. pro editione Vulgata C. 17. Tom. III. Menochii pag. 80. E. G. Luc. 2. 14. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (pag. 27.) Joan. 21. 22. *ſic* loco: *ſi*, *hutoos*, loco: *ean*, *eum volo manere.* Act. 13. 19. & 1. Cor. 15. 51. ubi etiam Codex, quo Pagninus uſus eſt, conſenſit. &c. Subnectit: *quibus exemplis facile intelligitur, quam fallax ſit ratio Latinos Codices ex Græcis caſtigandi, quod video noſtra ætate a multis fuiſſe factitatum.*

Itaque ſi quod veritati magis conſentaneum eſt, palam edicendum, magna illa MSS. Græcorum, aut Græco-Latinorum, item verſionum pervetuſtarum cum Vulgata noſtra conſenſio illorum, illarumque ex hac emendationem non arguit, quod majori audacia, quam judicio quidam pronunciant, ſed prodit, ac manifeſtat, antiquos Codices, ex quibus MSS. illa, & vetuſtæ illæ verſiones, ipſa ſubinde Vulgata, natæ ſunt, inter ſe concordaſſe, ſive eandem exhibuiſſe lectionem, a quorum fide, & puritate uſuales Græcorum Codices poſterioribus ſeculis paulatim defecerint.

Tu, ut lubet, ſentias, ego interim ſic arguo: Aut rem acu tangunt, qui affirmant antiquas verſiones, & Græcos Codices MSS. ad Vulgatam exactos, & emendatos fuiſſe, aut aberrant: ſi primum: Orientalium populorum conſenſione

ab antiquo firmata eſt mea aſſertio, Vulgatæ fidem ad Græcos N. T. Codices hodiernos exigi non oportere, cum potius hos erroribus contaminatos Latinæ fidei, h. e. antiquiorum, magisque fidelium apographorum puritati reddere demum ſecuriſſimum judicaverint, & etiam beatiori illo ævo antiquam Romanæ Eccleſiæ, tamquam ceterarum matris, ac magiſtræ editionem pro norma ipſorum quoque Græcorum exemplarium Veteres adhibuerint. Si ſecundum: Vulgata optimorum, & antiquiſſimorum Græcorum Codicum fidem ſincera translatione ſiſtit, & repræſentat, cum antiquiora Græci fontis ectypa, quæ MSStis, & verſionibus illis expreſſa ſunt, eidem contra hodierna atteſtentur. Quo caſu potior nobis eſſe debet Vulgatæ, quam hodierni Græci textus authoritas. (*i*)

II.

(*i*) Hodiernum Græcum hunc textum, qualis extat in Bibliis Regiis auſpiciis Philippi II. Hiſpaniarum, & Indiarum Regis Catholici an. 1571. Antverpiæ juxta exemplar Complutenſe editus, recenſuit P. Hermannus Goldhagen abolitæ Soc. Jeſu Moguntiæ an. 1753. in 8. M. ſub titulo: *Hè kæne Diatheke, ſive novum D. N. J. C. Teſtamentum Græcum cum variantibus lectionibus, quæ demonſtrant Vulgatam Latinam ex ipſis Græcis N. T. Codicibus hodienum extantibus authenticam.* Præſtaret, Clero juniori, dum alia inter magis neceſſaria, & ad curam animarum immediate pertinentia ſtudia interdum etiam linguæ Græcæ umbratili quodam exercitio in Seminariis diſtinetur, ejusmodi editionem Latinitate preſſa, ad verbum donandam proponere, quam illam ſeu Reineccii, ſeu Leusdenii, etiam quantum ad typum minus commodam, ut, ſicubi textus vulgaris Græcus aliud habet, quam in Vulgata legatur, oculis in marginem conjectis illico viderent, Vulgatæ lectionem aliorum Græcorum Codicum authoritate confirmari, & de hac

tam-

II.

Proferamus jam in medium antiquiſſimas præprimis Orientalium Nationum verſiones, quibus Vulgatæ noſtræ lectio, ubi Hebræum, & Græcum Vulgarem textum relinquit, multis in locis confirmatur. Præcipuæ ſunt

Septuaginta viralis

Antiquiſſima omnium, ex Hebræo ſermone in Græcum 280. aut juxta alios prope 300. annis prius, quam Chriſtus naſceretur, in Ægypto prope Alexandriam parata, de qua, utpote codice naſcentis Eccleſiæ celeberrimo, primis ſeculis fontis loco habito, ſequenti ſectione pluribus agemus.

Chaldaica

Quæ *Thargum*, vel *Paraphraſis* dicitur, h. e non preſſe de verbo ad verbum, ex Hebræo in Chaldæum facta verſio, ſed cum explicatione uberiori, qua claritatis gratia aliqua, quæ non ſunt in fonte, interdum adduntur, aut locutio-

 nes

tamquam exemplari ab Eccleſia Latina pro norma verſionum aſſumpto ex ipſis Græcis codicibus diſcerent magnifice cogitare. Audet porro P. Goldhagen poſt Joannem Mariana affirmare, nihil in Vulgato Latino textu alicujus momenti eſſe, cui non luculentum teſtimonium, paſſim ex antiquiſſimis Græcis codicibus elegantiſſime reſpondeat; certiſſimo ad hominem argumento, hunc ab Hieronymo ad fontem Græcum tum certe meliorem, ac puriorem accuratiſſime emendatum, Eccleſiæ Chriſtianæ ſingulari Dei providentia fuiſſe relictum; ad tranquillam veritatis hujus conſiderationem, & autopſiam (ocularem inſpectionem) eos, qui ſecus exiſtimant, remittit, atque ad inſignes ſchedas Richardi Bentleji, eruditionis laude apud Anglos celebrati, qui veritate victus præclaram pro Hieronymianæ verſionis authentia ex ipſis vetuſtis Græcorum exemplaribus defenſionem molitus eſt.

nes obſcuriores redduntur clarioribus. Nempe verbum Græcum *paraphrazo* valet: loquor juxta ea, quæ quis antea dixit, aliquid latius, & quandoque pluribus explicando, *paraphraſis* eſt verſio, addita, ubi expedire viſum eſt, uberiori explicatione, qui ſic vertit, *paraphraſtes* audit. Perinde verbum Chaldæo-Syriacum *thirgem*, vel thargem, generatim ſignificat: *ex una lingua tranſtulit in aliam*, ſcripto, vel verbo egit interpretem, qui dicitur thurgeman, vel methurgeman, Arabibus thargyzſeman, Vulg. Græc. dragumenos; hinc *Thargum* interpretatio, plurali *Thargumim*; ſed per excellentiam, & Synecdochen, ſpecie vice generis uſurpata, verſio Chaldaica ſibi ſola hoc nomen vindicavit.

Porro ſicut apud Hebræos omnis ſcriptura in tres partes ab antiquo, fors inde a temporibus Esdræ diſpeſcitur (1) in *thora* h. e. legem, ſeu Pentateuchum. (2) In *Nebijim*, ſeu Prophetas priores h. e. libros Joſue, Judicum, Regum; & poſteriores proprie dictos, tres majores, (nam Danielem ad 3am claſſem referunt) & 12. minores. (3) In *chethubim* (pag. 8.) ſeu hagiographa, h. e. ut multi exponunt, continentia, quæ non oretenus tradita, ſed tantum interno Divini Spiritûs inſtinctu ſunt conſcripta, (*k*) quo ſpectant

(*k*) Judæi ſæpe librum a prima voce, qua inchoatur, denominant, ut liber *Bereſchith: in principio:* ſeu Geneſis. *Veelleſchemoth.: Hæc ſunt nomina:* ſeu Exodus. *Vajikra: Et vocavit* ſeu Leviticus. Item: Librum I. & II. Regum vocant *Samuelis*, unde III., IV. Regum iis venit nomine I., & II. Regum. Paralipomena vocant *Dibre hajjamim*, ſeu *verba dierum*, quaſi Ephemerides, ſeu *Chronica*; Esdræ II. *Nehemiæ*. Eccleſiaſten *Kohaleth* h. e congregatricem; Hetero-

ſtant Pſalmi, Proverbia, Job, Canticum canticorum, Threni, Eccleſiaſtes, Eſther, Daniel, Ezras, Nehemias, Chronica.

Ita etiam Thargum, ſeu Chaldaicam interpretationem *Pentateuchi* adornavit Rabbi *Onkelos*, non idem cum Aquila famoſo Græcæ verſionis ſec. II. authore, quod ex aliqua utriusque nominis congruentia male ſtatuitur, nec Titi Imperatoris ex ſorore nepos, ſed alter, qui ſi ætatem ejus exquiras, vixit vel diebus Hillelis, & Schamai, qui opinionibus circa ſenſum legis diſſidentes 40. circiter ante Æram Chriſtianam annis duas diverſas ſcholas inſtituerunt, vel ætate ipſius Salvatoris, aut 18. annis ante urbis jeros. incendium, ut Onkelos noſter etiam Gamalieli, ad cujus pedes S. Paulus Phariſaismum edoctus eſt act. 22. 3. defuncto honorificentiſſime juſta ſolverit; interpretatio ejus proprietati vocum inſiſtit, Hebræum textum fere de verbo ad verbum reddit, reliquis preſſius, & melius, ſtylo ad illum Danielis, & Esdræ propius accedente, puriore, & ſimpliciore, quare ipſi Judæi huic primas deferunt, ut adeo, quemadmodum Elias

terodoxi in citationibus eos ſequuntur, qui inſuper Eccleſiaſticum, ut pote filium Sirachi appellant *Siracidem.* rurſus quod Pſalmos attinet: Pſalmum nonum diſſecant, a verſu 22. novum Pſalmum inchoando, ut etiam in Vulgata noſtra notatur; hinc a Pſalmo X. usque ad Pſ. 113. nos unitate prævertunt, ut qui nobis 18., jis ſit 19. &c. Pſalmum vero 114. ita diſpeſcunt, ut verſus ejus *nonus* conſtituat Pſalmi 115. *Primum*, donec ex noſtro 146. & 147. unicum efficientes, usque 150. ſeu ultimum deinceps ſupputationi noſtræ conſentiant. Ita & Heterodoxi. Confuſionis in allegationibus vitandæ gratia iſta præ oculis haberi debent.

Levita præſ. in Methurg. ſcribit, licet ante inventam Typographiam reliquorum Thargumim vix in quavis provincia unum, vel duo exemplaria extarent, Onkeloſi tamen ubique in uſu fuerit, accedente etiam eo, quod Judæi obligati ſint quavis hebdomade Paraſchas (unum ex 53. CC.bus, in quæ Pentateuchum ſecant pro numero hebdomadarum anni.) legere bis, ſemel in textu, & ſemel cum thargum.

Prophetas priores, *&* *poſteriores* vertit Rabbi *Jonathan*, non idem cum Theodotione, qui Biblia ex Hebræo in Græcum ſec. II. transtulit, etſi Hebraicum ejus, & Theodotionis Græcum nomen idem, *Deodatum* videlicet, ſeu Theodoſium ſignificet, quis ergo? Ben Uziel, ſeu filius Uzielis, Hillelis, de quo paulo ante locuti ſumus, Academiæ Jeroſolymitanæ per 40. annos Rectoris diſcipulus, Simeonis juſti, qui Chriſtum infantulum ulnis excepit, & Gamalielis, qui S. Pauli præceptor fuit, condiſcipulus, Onkeloſo vel coævus, vel ipſo aliquanto ſenior, vel junior, tot enim ſunt ſententiarum divortia. Stylus ejus jam ex parte recedit a puriore Chaldaismo, nec tam eſt litteralis, & preſſa verſio, ſicut Onkeloſi; nimirum judicio Buxtorſii junioris præſ. in Lexicon Chald. & Syriac. *in Prophetis prioribus* (ſeu Joſue, Judic. Reg.) transferendis *tum in ſermone*, *tum in re ſimplex eſt*, *in poſterioribus*, *qui paullo obſcuriores*, *paullo liberior eſt*, *&* *allegoriis nimis indulgens. Hoc etiam in ipſo laudandum*, *quod plurimos locos de Meſſia non ita explicate ſcriptos*, *ipſe ſenſu ſane Chriſtiano de Meſſia exponit.*

Jo-

Jonathani etiam adſcribitur Thargum in legem, ſed author vero Jonathane, ætate, mixtura, & impuritate dialecti, & *fabularum frequentia, qualis eſt illa Gen.* 1. 16. *ſolem, & Lunam XX. & duobus annis fuiſſe æquales, ſed poſtea lunam eſſe diminutam, Inferior eſſe cognoſcitur*, qui, cum Nror. C. 24. v. 19. Conſtantinopolis, & v. 24. Italiæ, & Lombardiæ mentionem faciat, niſi talia poſterius fuiſſent inſerta, non poteſt eſſe niſi ſec. VII. exeuntis, vel VIII. ineuntis. Æque non integrum, ſed mutilum, & interruptum eſt Thargum Jeroſolymitanum, Stylo impuro, dialecto Syro-Jeroſolymitana, unde & nomen habet, mixtis Græcis, Latinis, & Perſicis Vocabulis, hiſtoriis intertextis latius evagatur, & ab Onkelos, ac vero Jonathane ſermonis puritate tanto intervallo diſtat, quanto S. Thomas, Scotus, & Scholaſtici a Cicerone, & Seneca.

Hagiographa, ſeu tertiam librorum claſſem h. e. Pſalmos, Cantica, & alia Salamonis Opera, Jobum, Ruth, Eſtherem, tranſtulit in Chaldaicum *Joſephus Luſcus, ſeu Cæcus*, impuro Stylo, Syriſmis ſcatento, ut poſteriorum temporum fætus eſſe non dubitetur, licet Sixtus Senenſis ad an. Chr. 400. Galatinus ad an. Chr. 340. Valtonus ad an. Ch. 600. referre malint. Placet aliis Thargum in Hagiographa incerti eſſe authoris, imo non unius, ſed plurium, ut e ſtyli diverſitate colligitur, qui omnes Onkeloſo, & Jonathane fuerint longe poſteriores: In hoc opere, ubi mentio eſt Hagarenorum ab ancilla Saræ Ægyptia Hagar, ſecundaria uxore Abrahami, Ismaëlis matre prognatorum, qui poſtea Ismaëlitæ, Arabes Saraceni dicti ſunt,

 Ha-

Hagareni nominantur Hungari, ut Pſ. 82. v. 6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter ſimul adverſum te tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ, Moab, & Agareni* Thargum habet; *Hungeraë*, ſeu: *Hungari:* ut etiam 1. Paral. 5. 10. juxta quod hodie Judæi Hungaros vocant *Hagrijim* ſeu Hungrijim, & regnum noſtrum medinath Hagar, ſeu regionem Hangar, ut Schindlerus voce *Hagar* notavit.

Speciale eſt *Thargum quinque*, Complicatorum in formam voluminis, *libellorum*, Rabbinis *Chhameſch megilloth*. h. e. quinque voluminum, quod certis anni partibus in Synagoga legitur, nimirum (1) *cantici canticorum* feſto Paſchatis in memoriam felicis exitus ex Ægypto, & commonefactionem liberationis futuræ per Meſſiam, quia hoc canticum amorem Dei erga populum Judaicum complectitur. (2) *Ruth* feſto Pentecoſtes ob genealogiam Davidis. (3) *Threnorum* die nono menſis Julii ob captivitatem Babylonicam, & horrendam templi devaſtationem funeſto, ac fatali. (4) *Eccleſiaſtis* feſto tabernaculorum, ob memoriam protectionis Divinæ in deſerto, quia in hoc libro de providentia Dei multa diſputantur. (5) *Eſtheris* 14ª & 15ª menſis Adar, ſeu Februarii ob patefactas Hamani molitiones. Author incertus eſt, ſed nugaciſſimus fabulator, Opus, prout hodie extat, Thalmude (doctrinalis liber eſt totius juris Eccleſiaſtici, & civilis Judæorum ſicut hoc e traditionibus eſt conſarcinatum) poſterius, cum claram ejus mentionem faciat, E. G. Cant. 1. 2. hæc habet: *Dedit Deus nobis ſex ordines* (partes) *Miſchnæ* (traditæ in Thalmud doctrinæ) *& Thalmud cum Gemara*. h. e. explanatio-

tione, & gloſſa ejus. Cant. 5. 10. Synagoga inducitur ſic loquens. *Illi Deo cupio miniſtrare, qui interdiu ſtudet 24. libis Scripturæ S. — — ſed noctu occupatus eſt in ſex ordinibus Thalmudicis.* Thren. 1. 19. Titi Veſpaſiani, & Thr. 2. 19. Talmudis eſt mentio; minarum item adverſus Chriſtianos, & Mahumetanos; loquitur de lamentatione Dei, aſcenſione Moyſis in cælum, de tabulis legis ex Saphiro throni Divini excilis.

Sed miſſo Thargum Hagiographorum, centone nugarum fabuloſiſſimo de prioribus Onkeloſi, & Jonathanis duæ adhuc vigent opiniones:

Prima Judæorum, qui communi fere calculo ad Esdræ, & captivitatis Babylonicæ tempora referunt, ubi, cum Hebræam obliti eſſent rudiores, legi vero Biblia ſingulis Sabbatis deberent, act. 13. 14. & 15. 21. in gratiam plebis confecta, ſed ſucceſſive variis modis depravata, a Jonathan, & Onkelos in lucem protracta, & reſtituta ſint, laudatur in hanc ſententiam Rabbi Azarias in *Meor enaim* h. e *lumen oculorum*, libro erudito, & jucundo, ex quo colligitur authorem, cum tam multa ex Cicerone, Plutarcho, Origene adducat, etiam Latini, & Græci ſermonis peritum fuiſſe. Ratio etiam ſuffragatur, quia paraphraſeon edendarum tunc erat & neceſſitas ſumma, & occaſio optima. Et ſane: non eſt credibile, poſt tempora Chriſti de Meſſia tam clare locuturos fuiſſe, & Chriſtianorum rebus adjuvandis, & ſtabiliendis tam convenienter. Verum non eſt neceſſe cum recepta vulgo opinione confiteri, 70. annorum ſpatio Hebrææ dialecti memoriam propter uſum dialecti Chaldaicæ vicinæ, & filiali nexu cohærentis populo penitus excidiſſe, dato tamen non conceſſo,

 tan-

tandem emerſit aliqua neceſſitas Oralis explanationis, nulla verſionis, ſicut neque erat occaſio ſatis accomoda turbatis rebus. Notum eſt hodienum apud Nationes Vulgari lingua explanari, quod Latina, Græca, vel Syriaca de textu legitur, ita illud Esd. 2. 8. 8. accipi poteſt. Quis demum fidejubeat de zelo, & induſtria Judæorum ævi illius majore, quam fuerit Chriſtianorum per multa ſecula, qui Bibliis in ſuam linguam verſis caruerunt? nos Hungari quas inde a converſione gentis noſtræ poſſimus producere verſiones, ſuo forſitan loco expendemus, paucas ſane.

Dicamus igitur, cum tantus ſit in omnibus Judæorum codicibus de antiquitate Thargumim conſenſus, illa quidem ad captivitatis tempora non pertingere, Onkeloſi tamen, & Jonathanis vel 40. annis Æram Chr. anteceſſiſſe, vel authorem utrumque Salvatori fuiſſe coævum, ita nihil mirum, loca de Meſſia conformiter veritati Chriſtianæ transtuliſſe, quia de iis talis fuit gentis traditio, quæ nondum eſt obliterata, licet in determinatione perſonæ immaniter exerraverint. Ceterum non ſtringit allata ratio, quia, ut notat Valtonus prol. 12. nr. 11. hoc in omnibus Thargumim eſt obſervare, quædam in iis inveniri pro myſteriis religionis Chriſtianæ, ut in illo in Hagiographa, quod tamen ab omnibus multis poſt Chriſtum ſeculis ſcriptum habetur, quædam ergo ex antiquorum traditionibus, & ſcriptis quaſi ſcholarum Propheticarum rudera relicta ſunt, quæ in ſuis paraphraſibus poſuerunt, ita dirigente Divina providentia, ut propriis telis increduli ſe configerent.

Secunda opinio eſt Chriſtianorum valde multorum, qui cum Morino L. 2. Exercit. 8. cenſent,

ſent, nullum Thargum, nequidem Onkeloſi prodiviſſe ante ſec. V. & VI. quia Origenes, qui translationes quaſcunque ſtudioſiſſime conquiſivit; S. Epiphanius antea Judæus, qui ipſas Hebraicas voces, & ſententias quandoque adducit; S. Hieronymus, qui Rabbinos toties conſuluit, imo & mercede ad Chaldaicam linguam diſcendam conduxit, eorum nunquam meminerunt, cum tamen ex iis, ſi præ manibus fuiſſent, contra judæos, quibuscum acriter pro adventu Miſſiæ decertarunt, valida depromere potuiſſent argumenta. Sed ratio iſta non eſt irrefragabilis, cum fieri potuerit, ut; licet Thargumim extiterint, ſcriptoribus illis vel nullum fuerit viſum, & cognitum, vel ſi quod in eorum cognitionem venit, tamquam rejiculum fuerit ab iis neglectum, & ſine mentione prætermiſſum; gentis tam contemptæ, & per orbem quaquaverſum diſſipatæ arcanos libros, quos occuluerint, quis tam ſtudioſe connotet? quotus quisque noſtrum hodie inſpicit, aut in palimpſeſto ſuo ſcribit, quibus recutiti libris in Synagogis ſuis utantur? nec adducere illa e re fuit, cum oralis Rabbinorum doctrina, & aliæ commentationes ſcriptæ contrariæ eſſent. Itaque negativo argumento vis ſua demitur, quando ſilentii plures cauſæ aſſignantur: nempe (1) teſte Elia Levita exemplaria adeo erant pauca, ut vix unum, aut duo in uno regno reperirentur, cum lectio ex ipſo potius Hebraico textu fieret in Synagogis. (2) Viguit apud Judæos diſciplina arcani, atque ideo Hieronymum quoque iſta celarunt, ex invidia, & metu, ne contra ſe ipſos tanto veritatis vindici arma præberent. Quid certius; & vulgatius, quam Chriſtianos ſec. I. II. III. quatvor Evangeli,

lia, acta Apoſtolorum, Epiſtolas Canonicas conſcripta habuiſſe, & in conventibus ſuis lectitaſſe, edic ſodes! quis ethnicorum, etiam dum adverſum Chriſtianos Calamum ſtringit, ſpeciatim iſta commemoret? ſi noſtra horum, perinde Hebraica effugerunt conſpectum etiam attentiorum Chriſtianorum; aut forſitan, quidquid præter inſpiratas Divinitus ſcripturas offerebatur Hebraicum, indignum putabatur, quod poſteritati transmittatur, aut commemoretur. (3) Inter Judæos, & Chriſtianos illorum temporum magnæ exortæ ſunt ſimultates, ut Patres Judæorum libros, tamquam fabuloſos, & in odium Chriſti conſcriptos abominarentur, linguam vero Hebræam, & Chaldaicam perpauci curarent, cum N. Ttum Græcum communi Orientis idiomate conſcriptum, V. autem ex Hebræo in Græcum multis ſeculis antea a 70. converſum haberent, ab Apoſtolis acceptum, & commendatum, quod multi etiam ipſi textui Hebræo, quem a Judæis in multis malitioſe corruptum putaverunt, præferendum ne dubitarunt quidem, perſecutionum etiam mole preſſi, & in Opera pietatis præſtanda, & commendanda toti intenti haud neceſſarium exiſtimarunt, arcanis, & qui oppido pauci erant, libris Judæorum inveſtigandis, & legendis operam impendere, Græcis editionibus ſcripturarum, & variis verſionibus contenti, Hebræa, & Chaldaica, quæ quaſi Judæis propria erant, neglexerunt.

Præterea veterum quidam *Deuteroſeon* (traditionum judaicarum) ita videntur meminiſſe, ut ſcriptas fuiſſe inſinuent, Sed iſtud ad Thalmudicæ doctrinæ partem pro illo tempore ſtabiliendam aliquid, ad Thargum vero faceret nihil;

hil; quid ſi Epiphanius Commentarium in Scripturam, vel Thargum quodpiam innuit, ubi hæreſi 39. quæ eſt Sethianorum edit. an. 1542. juxta verſionem Cornarii pag. 136. dicit? *quemadmodum etiam in jobelæis reperitur, quæ etiam geneſis exacte explicata appellatur*, Abelem juniorem occiſum uxore nondum accepta, etiam nomina uxorum Cain, & Seth libro illo contineri, ipſi Adam etiam alios filios natos eſſe, ut rurſus habet Geneſis exacte explicata. hær. 80. ait *reperiri in traditionibus.*

Quomodocunque iſta ſe habeant, Thargumim inſignem afferunt quandoque utilitatem: dum. 1° Eandem ſæpe conſervant lectionem, in Hebræo textu jam immutatam, quæ in Vulgata noſtra reperitur, ut exemplis in hoc opere frequenter occurrentibus palam fit. 2° Loca Claſſica de Meſſia, expreſſis verbis ad eundem referunt, & determinant, E. G. Gen. 49. 10. *Non auferetur habens principatum a domo juda uſque ad tempus, quo veniat Meſſias.* adducit Buxtorfius in Lexico Chaldaico voce: *Meſſias* univerſim textus ſeptuaginta, & unum pagin. 1268. *Paraphraſtes Chaldæus* (ait) *ubi Meſſiæ promiſſionem ſubeſſe cognovit, ibi expreſſe nomen Meſſiæ poſuit, quod diligenter eſt notandum, & obſervandum propter obcæcatos judæos, qui multa loca ex illis de Meſſia dici negant.*

3° Vocum difficilium ſignificatus, & emphaſes ſatis dextre exprimunt, diſcimus ex iis, quid ætate illa his, aut illis vocabulis jam hodie incertis fuerit intellectum. Ita Gen. 15. 2. vocem *Mæſchœk* reddit Onkelos: *filius gubernatoris hujus, qui domi meæ.* Ut Vulgata ha-

habet: *filius procuratoris domus meæ.* Gen. 37. 3. Jeroſolymitanum, & pſeudojonathanis thargum, illud: *Chethonæth paſſim*, quo tunicæ Joſephinæ qualitas deſignatur, vertunt *tunicam acupictam Phrygionica opera elaboratam polymitam*, ut habet Vulgata, ſeu pluribus varii coloris filamentis contextam, dum reddunt alii poſt Symmachum, & Aquilam, *manicatam*, *& talarem*, alii fimbriatam, vel ſericeam. Unde Lyranus in c. VIII. Iſa. regulam hanc ſtatuit: *tranſlatio Chaldaica in paſſibus obſcuris eſt declarativa veritatis Hebraicœ;* nec tamen illimitate accipi regula poteſt, cum in multis illa a vero ſignificatu recedat.

4º Metaphoricas, aliasque locutiones figuratas verbis reddunt propriis, ut ſenſus immediate innoteſcat, ita Iſa. 5. 2. verba Dei ad Synagogam vineæ nomine deſignatam directa: *expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Transferunt: *præcepi eis, ut producerent Opera bona, ſed fecerunt Opera mala.* Differunt de hiſce Thargumim Bellarm. L. 2. de V. D. C. 3. Natalis Alex. Tom. III. Diſſ. XI. ſec. II. pag. 407. qui Morino conſentit, & ejus argumenta paullo, quam nos, fuſius proponit. Valtonus proleg. XII. Particulares de Thargumim quæſtiones aliis curatius expendit, & reſolvit Auguſtus Pfeiffer in critica ſacra edit. Dreſdæ, & Lips. 1721. Cap. 8. a pag. 186. uſque 240.

Syriaca

Dialecto a loco *Antiochena*, vel ab ultima Syriæ regione etiam *Comagenâ*, & a Maronitis, incolis tot inter preſſuras apprime Orthodoxis, qui habitant in pagis montis Libani, & minoribus Syriæ Oppidis, *Maronitica* appellatâ

con-

conſcripta, V. T[ti] alia eſt *antiqua*, & *ſimplex*, preſſe, & eleganter ex Hebræo translata Maronitis in Officio Divino, imo, etſi vulgo Arabica lingva utantur, plerisque populis per Syriam, Meſopotamiam, Chaldæam, & Ægyptum in Liturgiis, & functionibus ſacris uſitata, quæ judicio Antonii Zanolini diſp. prævia Lexici Syriaci edit. Patav. 1742. in 4. M. pag. 8. in. Polyglottis Pariſienſibus, & Anglicanis exhibetur, cujus origo ſaltem ex parte, ſive quoad nonnullos libros ad ipſius Salamonis Regis, filii David, & Hirami Regis Tyriorum, ſed citra fundamentum; ſecundum alios, & veroſimillime ad Abgari Edeſſæ Regis, (ad quem brevis ſuperat Jeſu Chriſti epiſtola a nonnullis etiam magni nominis criticis agnita) & Thaddæi Apoſtoli tempora referri debet, quæ Vulgatæ contra Hebræum hodiernum atteſtatur, ut Gen. 4. 8. *eamus in ſolitudinem*, quæ verba deficiunt in Hebræo: Gen. 4. 15. *nequaquam ita fiet:* Hebræus hodie: *propterea*, *itaque* ſic fiet: in quem locum Calmetus dicit: recentiora Hebraica exemplaria a veteribus, ab exemplari 70. ac tandem S. Hieronymi variaſſe, legerunt enim illi: *non ita fiet*: *lo*, *chen* aleph inſerto, & diviſim, non *lachen* ſine aleph, ut hodie ponitur. Gen. 8. 7. egreſſus eſt corvus, & non revertebatur, ſeu *lo ragay*, habet Syrus. Gen. 48. 14. Jacob Ephraim, & Manaſſen benedixit *commutans manus ſuas*, nimirum quod benedictio majore poſthabito, ratione inverſa minori præferenter eſſet conferenda; ita 70. Syrus: *immutavit autem manus ſuas*. Loco Hebræi: *intelligere fecit manus ſuas*, quod tamen etiam in Hebr. poteſt valere: prudenter, ſcite manus applicuit.

Pſ.

Pſ. 21. 18. illud *foderunt:* Syrus verbo *bazay* reddit *bazeu*, h. e. fiſſum effecerunt, *transfixerunt*, notiſſimum in Lexicis verbum, in Syriaco etiam 2. Reg. 18. 21. apud Onkelos Num. 25. 8. occurrens.

Alia vero eſt verſio recentior, & minoris dignitatis, *figurata*, ex 70. virali adornata, ita tamen, ut Valtoni judicio mille annorum ætatem ſuperet. proleg. 13. nr. 17. V. T^um typis primum edidit Mich. de jay in ſplendido ſuo opere heptaglotto Pariſienſi, Gabriele Sionita puncta, & Latinam interpretationem adjiciente, qui ut laudabilem, & perenni memoria dignam iſthic Operam præſtitit, ita multa imperfecta, & minus accurata reliquit.

Æque duplex N. T^ti verſio, *recentior*, quæ multo poſt Apoſtolos tempore facta fuit, & *antiqua* circumfertur, quam ad primum alterumve Æræ Chr. ſeculum pertinere, & antequam ſec. 4. & 5. Canon librorum N. T^ti communi Eccleſiarum conſenſione firmaretur, confectam fuiſſe Conſtans eſt Orientalium traditio, & etiam ex eo ſvadetur, quia & ex ſcriptoribus Syris conſtat, & oculis videtur, in ea deſiderari II^am Petri, II. ac III^am Joan. Judæ item, & Apocalypſim. forſitan, quod ſub tempora paratæ verſionis nondum ubique pro certo Divinis haberentur; niſi ideo prætermiſſæ ſint iſtæ partes, quod earum minor eſſet uſus, & major raritas, nam Syri Deutero-Canonicos V. ac N. T. libros ab antiquo pro Divinis habent, etiamſi in illa verſione deſiderentur; merito proinde in Londinenſibus Polyglottis Eſther, Judith, Tobias, epiſtola Jeremiæ, Baruch, hiſtoria Suſannæ, Beli, & draconis, Canticum trium puerorum, & libri Machabæorum addita ſunt.

Quid-

Quidquid ſit, verſionem Syriacam, aut ſub, aut non multo poſt tempora Apoſtolorum factam conſtans eſt Orientalium traditio, quam ratio a Bellarmino L. 2. de V. D. C. 4. & Corn. a Lap. in arg. in Matthæum adducta haud infirmat, Patres enim ideo plerique ejus non meminerunt, quia illi, quorum monumenta ad nos pervenerunt, Linguam Syriacam ignoraverunt; nec multum neceſſariam duxerunt linguarum Hebrææ, Chaldaicæ, & Syriacæ cognitionem, fere ſicut de Thargumim locuti ſumus. pag. 139.

Quin imo clare oſtendit Valtonus proleg. 13. crebram verſionis hujus apud PP. Baſilium hom. 1. in Hexam. ad Gen. 1. 2. Procopium in in exod. 22. Theodoretum in C. 3. Jonæ. Auguſtinum L. 15. de Civ. C. 13. & Gen. ad lit. C. 18. usque ſeculum V. fieri mentionem. Ambroſii quidem clara ſunt verba, Gen. 1. 2. explicantis illud: Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas: *denique Syrus, qui vicinus Hebræo eſt, & ſermone conſonat, & in plerisque congruit, ſic habet: & Spiritus Dei fovebat aquas:* uti etiam Procopii dicentis, Syrum exod. 22. vertiſſe *excutite, vacui-facite.* Item Syri verſoris ſæpe mentio eſt in antiquiſſimis ſcholiis, in quibus ex vetuſtis ſcriptoribus ſæpe Syrus interpres citatur.

Quidam opinantur Hieronymum Syriace non ſciviſſe, quod in ſcriptoribus Eccleſiaſticis Jacobum Niſibenæ urbis Perſarum Epiſcopum, Ephremum tam celebrem, Archelaum, Bardeſanemque Syros authores prætermiſerit, cum nondum Græca lingua donati eſſent; ſed ab aliis alia hujus cauſa non ægre aſſignatur, quis eſt etiam ſcrutator ſolertiſſimus, quem nihil effugiat? in

V. Hebraicis, in N. Tto Græcis occupabatur Hieronymus, tantilli laboris erat, dialectum Syriacam addiſcere, & in quantum ad cognoſcendam verſionis exiſtentiam, & ex parte qualitatem neceſſaria videbatur, intelligere, homini inter Syros degenti, qui Hebræam, & Chaldaicam, a quibus Syriaca parum abludit, loqui tanto ardore didicit, & tam felici audita fideliter retinendi, & reminiſcendi facultate præditus erat. Quid quod verba Hieronymi in Catalogo Scriptorum Eccl. indicant, Syriacam extitiſſe, & publice lectam fuiſſe apud Eccleſias verſionem? *Ephrem Eccleſiæ Edeſſenæ in Syria Diaconum ad tantam veniſſe claritudinem, ut poſt lectionem Scripturarum* (in linguam Syriacam verſarum, ut pronum eſt ita accipere) *publice in quibusdam Eccleſiis ejus ſcripta* (ut nunc etiam maxime apud Maronitas) *recitentur.* Atque etiam Bardeſanis Syri, qui patria lingua dialogos una cum infinitis aliis opuſculis conſcripſit, meminit Hieronymus in Catalogo: *ſcripſit* (inquit) *infinita adverſus omnes pæne hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus clariſſimus ille eſt, & fortiſſimus liber, quem M. Antonino de fato tradidit.*

Sanctus Ephrem quidem circa an. Ch. 376. N. Ttum ſecundum verſionem hanc Syriacam, quam habemus actu, allegat, quod probari poteſt inductione, itaque qualis hodie ſupereſt, non differt ab antiqua, cujus Chryſoſt. in Pſ, 94. Theodoret. in Pſ. 104. 113. & 116. & alii veteres meminerunt, & cujus antiquitatis plura argumenta producit Michaëlis, puta: quod Melito Sardenſis, qui ſub annum a Chriſto 170um vixit, in adnotationibus ſuis ad 70. interpretes

Gen.

Gen. 22. 13. affirmet, a Syris V. Tti libros legi lingua vernacula.

Neque ſolidum eſt, quod in contrarium pro Syriacæ verſionis V. & N. Tti novitate Bochartus in epl. ad Iſaacum Voſſium Georgraphiæ ſacræ ſubnexâ pag. 858. urget. Occurrunt nimirum voces Græcæ in verſione, quas conſtat ſerius in Syriacam linguam receptas, & civitate donatas, quales ſunt Gen. 1. 12. *Ginſo* h. e. genus. Gen. 2. 7. *perizoma.* v. 21. *Chutinito* ſeu chitones: *cithara. Kibòtos* h. e. arca. Exod. 25. 5. pelles *Eſpanico*, h. e. Hiſpanicæ. Deut. 25. 13. *be marſupoch*, in tuo marſupio. *Eſtacte*, h. e. ſtacte ungventum. Pſ. 45. 9. *aſpis*, h. e. clypeus. in N. Tto Matth. 27. 65. Keſtionario h. e. quæſtionarius, ſama, vel ſima, quod eſt aſemos, epiſemos, ſeu ſignata moneta. Gen. 12. 2. & 13. 7. Pſ. 12. 7. & 68. Act. 3. 6. Matth. 27. 8. *Agureſcha dema*, loco *chhakel*, ſeu ager ſanguinis, *buleuta* h. e. Conſiliarius Marc. 15. 43.

Iſta enim ſolum evincunt, ad tempus paratæ verſionis, quod eſt primum Æræ Chriſtianæ ſeculum, Syriacum idioma vocum peregrinarum Græcæ præprimis admixtione cæpiſſe turbari, quod Græcis, & Romanis in Orientem dominantibus trahi in dubium nec hiſtoriæ ſinunt, nec Lexica Syriaca. Sicut e converſo N. Ttum Græcum vocibus Latinis, nec non Hebræo-Syriacis videmus reſperſum, quod tamen natalibus Chriſtianæ religionis eſt conterminum.

Prima N. Tti impreſſio in Europa eſt Vienneniſs in Auſtria an. 1556. Alberto Widmanſtadio juris-Conſulto, & Cancellario curante, Ferdinando I. ſumptus ferente, ex quodam MS. Co-

 di-

dice, quem Moſes Meridinæus e Meſopotamia Sacerdos, Ignatii Jacobitarum Patriarchæ Antiocheni ad Leonem, & Julium III. legatus ſecum, ut imprimeretur, attulerat, editioni characteres Syriaci ſunt adhibiti; epl. 2ª Petri & Cet. quia in MS. defuerunt, in editione æque deſiderantur; Widmanſtadium imitatus Tremellius edidit characteribus Hebraicis an. 1568. Heidelbergæ, quamvis in Latinum jam anno priori, 1567. Guido Fabricius Boderianus verterit, donec usque decies per varios editio repeteretur. Ægidius Gutbierius Hamburgi an. 1664. longe majori induſtria, & commendatione vulgavit, quia non tantum appoſuit puncta vocalia, & notas, quibus obſcuriora loca illuſtrantur, ſed inſuper libros hactenus Syriacæ editioni non inſertos, item hiſtoriam adulteræ, & verſiculum 1. Joan. 5. 7. a Tremellio tantum margini adſcriptum textui impoſuit. Editio Leusdenii, & Schaafii Lugduni Batavorum an. 1708. (al. 1699.) ad ductum Viennenſis, Pariſienſis anni 1645. in Heptaglottis, & Anglicanæ Londini an. 1653. exactior ceteris judicatur, ut narrat Chriſtop. Fiſcher Inſt. Herm. N. T. edit. Prag. 1788. pag. 292.

Memorabile eſt Matth. 6. 11. panem, ut Hieronymus vertit, *ſuperſubſtantialem*, cum vetus Itala haberet *quotidianum*, ut hodie orare ſolemus, a Syro transferri *lachhmo de ſunkonan*, h. e. *panem indigentiæ noſtræ*, quo nempe nullo die carere poſſumus, fere, ut Arabicæ quædam verſiones habent: *chhobzena chephaphena:* h. e. panem ſufficientiæ, vel indigentiæ noſtræ admenſuratum.

Præfationes porro ſingularem attentionem merentur, quibus res Catholica mirifice confirma-

matur, & ab antiquo ſtabilitur; aut enim rituum hujus generis Apoſtolicam, vel proximam, aut, ſi verſioni jam prius uſitatæ tardius, puta: ſec. IV. aut V. ſunt adjectæ, antiquiſſimam tamen probant Originem; ſpeciminis loco hæc ex ſolo Matthæo ſufficiant. Ante caput I. ponitur: *Dominica ante nativitatem.* ante Caput. II. *Ad veſperam Natalitiorum,* ante C. III. *Feſto Epiphaniæ.* ante C. IV. *Dominica introitus jejunii, & oblatione quadrageſimæ.* Hæc item per decurſum ſectionum. *Dom. poſt Epiph. Matutinis ſeptimanæ primæ jejunii 40ᵐᵃ ſeptimanæ IIᵃ Ad veſperam Dom. IIIᵃ jejunii. Ad veſperam Dom. IVᵃ jejunii. Septimana IIIᵃ jejunii. feria. V. Septimanæ Apoſtolorum. In Commemoratione defunctorum - - Apoſtolorum, Martyrum Sanctorum. Dom. II. poſt Pentec. - - Reſurrectionis. Ad Veſperam Sabbati Annunciationis. Matutinis feſto Petri Apoſtoli. In Commemoratione rectorum, & juſtorum, feriaque ſexta Candidatorum. feria V. myſteriorum* (cænæ Domini) *& conſecrationis Chriſmatis. Ad oblationem Sabbati V. jejunii. Ad veſperam Dom. Palmarum. Commemoratio P. Antonii, & Sanctorum Sociorum ejus. Matutinis Dom. poſt feſtum crucis. Ad veſperam Commemoratione Deiparæ.*

Fran. Lucas Brugenſis de Syriaca hac verſione mentem ſuam in præf. N. T. his verbis declarat „ Sunt, qui Syriacam editionem Evangelii ſecundum Matthæum pro ipſo Matthæi autographo habeant: ſed ego, tametſi illud nondum perſvaſus ſum, hoc teneo indubitanter, Syriacum N. Tᵗⁱ textum vetuſtiſſimi exemplaris Græci, & quidem ex primis loco habendum, ac.

venerandum eſſe, cujus utilitatem non in eo ſolum conſiſtere, quod in titulis, ac ſectionibus paſſim meminerit earumdem traditionum, ac ceremoniarum, quas etiamnum hodie Latina Eccleſia obſervat, (quæ res non eſt parva) ſatis ſpero intelligent, qui hæc noſtra legerint.„

Calmetus vero, (licet in oppoſitum arguat Simonius Hiſt. Crit. Tom. IV. C. 13. & Michaëlis.) proleg. in N. T. Tom. VII. pag. 10. edit. Venet. an. 1774. ſequentia habet: *Animadverſione dignum occurrit, Syriacum prorſus congruere cum Græco, quod ſibi vertendum auctor Vulgatæ propoſuerat, ut Syriacus ſemper cum Vulgata in his quoque locis conveniat, in quibus illa a Græcis impreſſis, ſive MSS. diſſidet; ea porro eſt utriusque verſionis affinitas, ut Millio proleg.* 1249. 1250. *ſuſpicionem moverit, utrum Syriacus in Latinam verſionem recenſitus fuerit, ſed cum paullo diligentius rem examinaſſet, ſuam hanc conjecturam futilem, inanemque deprehendit.* Conferri poteſt Matth. 7. 14. & C. 9. 8. ac 13. C. 15. 8. nec tamen infinite intelligi hæc debent, nam verſio Syriaca a Vulgata, ac etiam a veritate interdum diſcedit, quod exemplis docet citt. Simonius, & Mariana C. 12. pag. 76. Tom. III. Menochii.

Coptica

Seu Ægyptiaca juxta Wilkinſium Origenis, & Euſebii temporibus vetuſtior, de cujus ætate diverſis diverſa ſentientibus, cum Patres ſec. V. Chryſ. hom. 1. in Joan. C. 1. Theodoretus de curand. Græc. affect. ejus aliquam faciant mentionem, veroſimilius dicitur cum Athanaſio Kirchero Soc. Jeſu viro celeberrimo, in hoc genere

re

re literaturæ exercitatiſſimo, circa tempus Nicæni I. Concilii paratam, ſec. V. inferiorem non eſſe, dum enim tot millibus monachorum ſanctitate illuſtrium ſeculis primis Ægyptus efflorefceret, quorum multi non aliam, quam Ægyptiacam noverunt linguam, dum in Conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi ipſi quoque Epiſcopi patria lingua nomen ſuum ſubſcribentes aliam ignoraſſe videantur, quis credat eos vernacula ſcriptura V. ac N. T^ti caruiſſe? verbum Dei nunquam legiſſe? verba Kircheri ſunt: *Translatio facta eſt ab hinc mille circiter, & trecentis annis, quo tempore teſte Nicephoro ſtudium ſacrarum literarum in Thebaide, & per totam Ægyptum maxime florebat. Quod & dictum Martyrologium* (Copticum in Bibliotheca Maronitarum Romæ aſſervatum) *in prima proluſione menſis Thoth.* (init 29^a Auguſti, & convenit noſtro Septembri) *aperte dicit, præcipuam ejus temporis Monachorum occupationem fuiſſe, ſacra Biblia e Græca, & Chaldaica, & Hebraica in linguam ipſis propriam Cophtham nimirum transferre.*

Etſi enim Ptolomæi, Alexandri M. ſucceſſores ſede imperii Alexandriæ conſtituta Græcum ſermonem latiſſime feciſſent dominantem, in Thebaide tamen Græcum loquendi genus adhuc erat ignotum, ex quo factum eſt, ut etiam Biblia, in Ægyptiacam linguam verterentur, ipſa autem lingua dominantibus Græcis vitiata Græcismis in tertium quoddam Ægyptiaco-Græcum idioma degeneraret. Verſionis hujus, qua, licet dialectus jam ſit vulgo penitus ignota, in ſacris tamen eodem Kirchero in prodromo Ægyptiaco teſtante antiquiſſima Ægyptiorum Eccleſia utitur,

tur, editio Oxonii an. 1716. quoad N. T. a Wilkinſio Boruſſo parata concordat Vulgato cum primis feliciter in illis ſæpe locis, quibus diſſentit Græcus hodiernus. Uti in ſolo Mathæo C. 2. v. 18. C. 6. v. 13. ubi deſunt illa: *quia tuum eſt regnum* & Cet. C. 16. v. 13. C. 20. v. 23. 34. C. 24. v. 2. C. 25. v. 20. & 31. C. 26. v. 9. & 59. ac 60.

Æthiopica

Nequaquam cum Scaligero poſt Cedrenum, & Nicephorum ad tempora Juſtiniani Imperatoris, ſcilicet annum XV. imperii ejus, ſeu Chr. 541. ſed aliqua gentis (*l*) parte (vaſtiſſima enim re-

(*l*) *Æthiopes* ab aduſta ardore ſolis facie Græcis ſic dicti ſunt, quia verbum *ætho* uro, accendo; *æthos* æſtus, vel adjective ambuſtus; *Ops* vero inter alia denotat: vultus, facies: aliter *Habeſſini* appellantur, quæ vox Arabibus congregationem mixtam, confluentium undique populorum multitudinem apud Golium Lexici pag. 567. in I. & II. conjugatione notat, ſunt enim colluvies mixta variorum populorum, qui e Syria in Africam, ut Nicephorus ſcribit L. 9. c. 18. & ex variis Arabiæ partibus commigrarunt, nam Stephanus diſerte eos vocat *ethnos Arabias*, h. e. gentem Arabiæ, & ipſi ſe *gentem translatorum* nominant; etiam Chaldæorum quædam coloniæ in Æthiopiam veniſſe dicuntur, atque Herodoto, aliisque veterum teſtantibus, Ægyptiorum quoque numeroſa colonia iſthuc conceſſit; ex quo nihil mirandum dialectos pro ratione provinciarum multiplices obtinere, illa tamen eorum lingva, qua ſcripturam ſ. legunt, Hebræo-Chald.- Arabicæ multum ſimilis eſt, ut Marianus Victorius Epp. Reatinus, qui an. 1552. primus Romæ Æthiopicæ lingvæ grammaticen adumbrare cæpit, pronunciaverit. „ Æthiopes lingvam ſuam vocaſſe Chaldæam, ut quæ a Chaldæa Babylonica exoriatur, & Hebraicæ quam ſimillima ſit, a qua non ſecus, quam Syriaca, Arabica, ac etiam Babylonica, quam etiam

regio 70. plus minus regna numerat) jam forte ſeculo primo ad Chriſtum converſa, ab exemplaribus Apoſtolicæ ætati vicinis expreſſa, cum Valtono proleg. 15. pag. 100. ab ævo Apoſtoli-

etiam Aſſyriacam appellant, Originem ducit. „ Quod ut paucis Oſtendat Hetzelius in Hiſtoria lingvæ Hebr. Hallæ in 8. an. 1776. pag. 387. adfert verba maxime trita: *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spir. S.* Æthiopice ſonare. *Beſma Ab vaveld vamenſes Kiddus achadu amlach:* quæ conſtat mere Hebræo - Arabica eſſe.

Sita eſt Habeſſia in Africa ſupra Ægyptum ultra Nubiam inter VIII. & XVI. circiter gradum latitudinis ſeptemtrionalis, Æthiopia ſuperior nonnullis dicta; Jeſuitæ Sphæricæ diſciplinæ periti, & aſtrolabio uſi, primi veram ejus latitudinem a ſeptemtrione meridiem verſus docuère. Quot regna complectatur, inter ſcriptores non convenit, 30. Ludolfo jobo Æthiops ille, quo uſus eſt, Gregorius ſcilicet nominavit.

Amhara totius Æthiopiæ nobiliſſimum eſt regnum in 36. regiones diviſum. Begemder regnum eſt 13. regionum. Dembea 14. Tigra 23. habet præfecturas. & Cet. Totidem, ac Tridentinus canon complectitur, libros ſacros habent, V. T. 46. N. T 27. a Ludolfo L. III. C. IV. recenſitos; in quos peculiari Zelo, & devotione feruntur, textus complures e Bibliis congeſtos in concionibus avidis auribus excipiunt. Invenias de illuſtriori proſapia, qui Pſalmos, & Pauli epiſtolas de memoria recitet; Patres ſocietatis abolitæ ſcribunt anno 1621. Regem ipſum *Suſneum* tempus, quod ejus anteceſſores vanitati, & voluptatibus dederunt, lectioni ſcripturarum impendere, qui jamprius anno 1607. & 1608. ita Loquuntur: Proceres Habesſiniæ non contenti ſunt, ut filii tantum ediſcant libros ſacros, ſed etiam curant, ut filiæ illos calleant, & ſic non datur matrona nobilis, quæ non bene ſciat textum S. Scripturæ: & quidem memoriter epiſtolas S. Pauli, & Pſalmos Davidis. „ Quamvis autem Jacobitarum, a Jacobo quodam Syro ita dictorum, qui cum Eutychianis unam in Chriſto naturam profitentur, errori ple-

co repetenda; Æthiopibus enim Matthæum Apoſtolum prædicaſſe, teſte Rufino L. 10. c. 9. Socrate L. 1. c. 19. contra Tillemontium Bollandi continuatores ad 21am Sept. Tom: 6. pag. 207. probant cum Ludolfo Jobo, juxta illud S. Venantii Fortunati L. 5. c. 2.

Matthæus Æthiopes attemperat ore vapores,
Vivaque in exuſto flumina fudit agro.

Et Milonis Monachi

Matthæus Æthiopes torrente ardore crematos,
Ut Geon eximius Sacrato diluit amne.

Modo nomine Æthiopiæ Nubia intelligatur, quæ ſine dubio Æthiopiæ antiquæ, & proprie dictæ pars eſt, ſive ſennar, aliis ſonnar, aut regnum Meroes, ubi olim Regina Candace, cujus

rique adhæreſcant, verba tamen S. Evangelii reverenter complectuntur, & ſcriptum gerunt in pannis coriaceis circa lacertos brachiorum. Alexander III. an. 1177. ad regem illorum cum Eccleſia Rom. Uniri, & Romæ pro gentis ſuæ hominibus Eccleſiam habere, ex qua docti in patriam redeant, cupienti litteras dedit, & Eccleſiam S. Stephani, quam in hunc diem poſſident; an. 1437. dum de Unione Græcorum cum Eccleſia Latina ageretur, Jacob Zara eorum Imperator ab Eugenio Papa invitatus legatos Ferrariam miſit. an. 1515. David Rex legatum cum muneribus ad Leonem X. an. 1624. David, & Avia ejus legatos ad Clementem P. mittunt obedientiam promittentes, & benedictionem obſecrantes. Horum igitur ſcriptura S. etſi Climatis diverſitas ipſa quoque corporis forma eos diſcrevit, ut etiam diabolum ad horrorem depingant album, non leve Vulgatæ noſtræ de antiqua veritate perhibet teſtimonium. Hæc, rarioris quippe indaginis ex Ludolfi Jobi Hiſt. Æth. L. 1. C. II. & III. L. III. C. IV. & comment. pag. 352. huc inſerenda duxi.

jus Eunuchum h. e. aulicum conſiliarium, & Præfectum Philippus Diaconus baptizavit, longe, lateque imperitabat. Ludolf. commentario ad Hiſt. Æth. L. III. c. II. nr. XIII. pag. 280.

Vel ſi verſio tunc adhuc defuit, potius cum eodem Ludolpho ab anno Chr. 330. ſub Conſtantino M. uſque 340um veroſimiliter a S. Frumentio, quem natio *Abba Salama* h. e. patrem pacis, allatæque ſalutis vocat, tempore S. Athanaſii Æthiopiæ Metropolita, & primo Apoſtolo, ut Socrates L. 1. c. 19. edit. Aug. Taur. 1747. pag 44. Theodoret. L. 1. c. 22. Sozom. L. 2. c. 23. Baronius an. 327. Tom. III. & Athanaſius in apolog. ad Imp. Conſtantium narrant, & epl. Conſtantii Imp. an. 356. ad Axumitarum, ſeu Æthiopum Regem Aizam, & fratrem ejus data teſtatur: Vel ſaltem a IX. illis ſanctis, quorum celebris apud gentem ſupereſt fama, ad an. Chr. 460. aut 480. qui orta in Ægyptiorum monaſteriis ex ſchiſmate perſecutione poſt concilium Chalcedonenſe ſolum vertere coacti illuc ſe receperint, adornata, proinde ad ſec. IV. vel V. jam inclinans referenda, quod N. ſpectat Ttum (Vetus enim ex 70. virali Alexandrino Græco codice translatum eſt) *multum cum Vulgata Latina concordat, non quod ex hac facta ſit; ſed quod utraque eosdem codices ſecuta ſit.* Inquit Valtonus proleg. V. §. V. *eſt etiam manifeſtum magnæ antiquitatis ejus argumentum, quod cum antiquis Græcis exemplaribus in multis locis concordat, ubi aliter hodie legunt codices Græci, ut ex variis noſtris græcis lectionibus liquet.* Ait rurſus Valton. proleg. 15. N. 12. E. G. in ſolo Matthæo contra modernum Græcum textum Vulgatæ conſentit c. 6.

v.

v. 25. c. 9. v. 8. & 13. c. 15. v. 8. & 31. c. 18. v. ult. c. 19. v. 17.

Verſionibus his accedunt Arabicæ, quæ præter celebrem a *Saadia Gaon* (h. e. Excellente, ita olim Rector Academiæ, & alter illuſtris vir vocitabatur) quoad Pentateuchum ſec. IX. ex Hebræo pro judæis Ægyptum incolentibus confectam complures extant, etſi non ante Muhammedis ætatem adornatæ; reperiuntur autem hujusmodi translationes Bibliorum Orientales in *Polyglottis*. *(m)* Unam etiam ex iis, quæ Occidentalibus adnumerantur, videamus! Sit itaque

Go-

(*m*) *Polyglotta* vocantur Biblia Originalibus, & aliis pluribus Orientalibus lingvis juxta ſe poſitis, & Latine verſis edita, nam *polys* multum, [illegible] oſſa, Attica dialecto *glotta* lingvam ſignificat. Tali[illegible]ero ſunt

1. *Complutenſia* Curà Franc. Ximen[illegible]s Card. Archi-Ep. Toletani, ac Hispaniarum Primatis 50. aureorum millibus impenſis; continent V. & N. T. edita ab an. 1514. uſque an. 1517. ſex maximæ formæ voluminibus, textum Hebr. Thargum Onkeloſi, Græcam verſionem, Latinam Vulg. Dictionarium Hebr. Chald. Græcum.

2. *Antwerpienſia*, *Regia* quoque, & *Plantiniana* dicta, a Chriſtoph. Plantino octo formæ maximæ voluminibus ab an. 1569. uſque ad an. 1572. Antwerpiæ ſumptibus Philippi II. Hiſpaniarum Regis edita. Operi præfuit Arias Montanus, operam contulerunt Andr. Maſius, Guido Fabricius, Lucas Brugenſis, Franc. Raphelengius et cet.

3. *Pariſienſia* Heptapla ſeu Heptaglotta Guid. Mich. de Jay, opitulantibus Philippo Aquinate, Joan. Morino, Abrahamo Ecchellenſi, & Gabriele Sionita Maronitis (pag. 142.) an. 1645. X. Voluminibus in folio, impenſis amplius 100000. numorum uncialium, Lutetiæ edenda curavit, complectuntur una cum textu Orig. verſione Pentateuchi Samaritana, Thargumim,

To-

Gothica

Seu Gethica verſio, *Veteris lingvæ Germanicæ antiquiſſimum omnium quotquot extant, ſtupendum, & incomparabile monumentum*, inquit Saubertus, narrat Calmetus proleg. in N. T[ti] libros Tom. 7. pag. 11. hanc longa oblivione ſepultam manſiſſe, donec fragmenta quædam MSS. in Abbatia Werdinenſi prope coloniam reperta ſunt. Codex erat membranaceus vetuſtiſſimus, argenteis ſcriptus Characteribus, quin & aureis initialibus literis ornatus. Hinc nomen inditum exemplari *codici argenteo*. Emptum eſt 500 ducatis pretioſum illud vetuſtatis monumentum a D. de la Gardie Sveciæ Cancellario. Author ejus fuit Ulphilas Eppus. Gothorum, qui tunc ab Hunnis ſedibus ad Danubium fixis depulſi, relatà de Athanarico, Valente Imperatore Sup-

---

70. Latin Vulg. Syriacam, & Arabicam. Cum vero Biblia hæc ob voluminum magnitudinem, immodicumque pretium emptoribus fere carerent, Angli commodiorem editionem moliti ſunt. Hinc

4. *Anglicana* ab anno 1653. uſque ad an. 1657. Londini VI. voll. in folio curante Briano Waltono adminiculantibus Edmundo Caſtello, cujus Lexicon Heptaglotton adnecti ſolet, Thoma Hydio, aliisque, typis excuſa ſunt, præter ea, quæ priora Polyglotta habent, exhibent hæc verſiones *Perſicam* Pentateuchi, & Æthiopicam Pſalterii, & cantici canticorum, una cum locupletiſſimis prolegomenis, quæ utinam etiam ſeparatim adhuc ederentur! volumen unum Variantes lectiones, quæ in diverſis illis editionibus extant, complectitur, ad calcem operis adjectum. Nihil Londinenſibus Polyglottis abſolutum magis, niſi quod interlinearis *Pagnini* verſio variis mendis, & barbariſmis ſcateat, licet ab Aria Montano Caſtigata; & Latinæ Verſiones verſionum Orientalium interdum fallant lectorem, linguas illas non intelligentem, quippe minus accuratæ.

Suppetias ferente, trans Danubium victoriâ circa an. Chr. 365. Chriſtianam religionem amplexi in Wallachia provincia Græcis vicina habitaverunt; namque Ulphilas legatione ad Valentem Imp. functus, re e voto ſuccedente, toti genti acceſſionem ad fidem Chriſtianam efficaciter perſvaſit, licet non ſine errore ſectæ Arianorum, cui Valens favebat, uti refert Socrates L. 4. c. 33. his verbis: *Eodem etiam tempore* (Valentis) *Ulphilas Gothorum Eppus. Gothicas litteras excogitavit, & ſacris ſcripturis in Gothorum ſermonem converſis effecit, ut barbari Divina eloquia perdiſcerent:* Et Sozom. L. 6. c. 37. teſtatur. porro totam vertit ſcripturam, exceptis tamen Regum libris, quos ſuæ genti communicare noluit, ne tot bellorum, quæ in iis narrantur, lectione alioquin fera, & bellicoſiſſimâ plus nimio excitaretur.

Si verum eſt, quod Honoratus a S. Maria L. V. Diſſ. IV. edit. Venet. 1768. pag. 117. narrat, codex, de quo editio facta eſt, ætatem plus quam mille annorum ferebat, qui adhuc in Academia Upſalenſi aſſervatur; Optima autem eſt *editio* poſt illam Fran. Junii an. 1665. Dordraci, & Amſtelodami an. 1684. *Oxonienſis* an. 1750. cum præfatione lectu digniſſima, & Grammatica Gothica. Ex Græco textu fuiſſe adornatam ipſa lectio Oſtendit, & Cappadocia natale ſolum Authoris, quem Latini ſermonis ignarum fuiſſe vix dubitatur, etſi de verſione voculæ aliquæ oſtententur Latiales, quas coloniæ Romanorum invexerint, dein civitate donatas; Ovidius apud hos exul linguam ipſorum impuram, & e pluribus mixtam dicit L. V. eleg. 8. Triſtium.

In

In paucis extant Græcæ veſtigia linguæ
Hæc quoque jam Gethico barbara facta ſono eſt.

Ulphilas, ſeu Wulphilas, aut Vrphilas Arii hæreſi ſaltem poſt amicitiam Valentis Imp. infectus fuit, cum enim teſte Socrate L. 2. C. 41. pag. 135. antea Nicænam fidem amplexus fuiſſet, ſecutus Theophilum, qui cum Gothorum eſſet Epiſcopus, Nicæno Concilio præſens ſubſcripſit, poſtea tamen nonæ, ac novæ fidei formulæ Conſtantinopoli editæ Conſenſit. Loca tamen de Divinitate Chriſti claſſica, quæ in hac verſione extant, interpretatione ſua non vitiavit, de locis in verſione deſideratis, uti prioribus CC. Joan. & C. IX. epl. ad Rom. certum ferri nequit judicium. Verſionem Richardus Simonius Hiſt. Crit. Verſ. N. T. C. 19. vetuſtiſſimam pronunciat, magna ejus conſenſione cum antiquis editionis Latinæ, quæ ante S. Hieronymi tempora in Eccleſiis occidentalibus erant in uſu, atque ea de cauſſa cum Vulgata noſtra ei multum convenit. Uti Matth. C. 9. 13. & 15. Marc. C. 13. 29. & C. 12. 35. & Cet.

Ex his, aliisque ſimilibus, (& ſi hodienum ſupereſſent, copioſiſſimis) verſionibus palam fit, olim apud populos diverſiſſimos longe, lateque per orbem diffuſos id in Bibliis lectum fuiſſe, quod hodie in Vulgata poſitum videmus.

§. VI.

§. VI.

Vulgatam a Concilio Tridentino eo ſenſu definitam fuiſſe Authenticam, ut a fontibus, hodiernis non pendeat, ex verbis Concilii confirmatur, ipſaque Concilii definitio difficultatum evolutione roboratur.

Poſteaquam Concilium 72. libros, quibus corpus Biblicum abſolvitur, Seſſ. IV. recenſuiſſet, ſubjicit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſveverunt & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipſa Synodus poſt jactum fidei confeſſionis fundamentum ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimoniis, ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit uſura.*

Sicut notionem Authentici Vulgatæ per Concilium attributam: (pag. 75.) ita verba: *cum omnibus ſuis partibus*: Theologi noſtri pro diverſitate opinionum plus, minus extendunt; verum non amplius opinio, ſed certa, & ab omnibus agnoſcenda veritas eſt, ad minimum partes Danielis, Eſtherisque olim controverſas Canonicis ſcripturis hoc decreto adnumerari, ut de illis dubitare jam non ſit integrum. Igitur hiſtoria Suſannæ, & alia, quæ Danielis additamenta vulgo nominantur, ſacra ſunt, & Canonica: pro talibus ſuſcipienda veniunt etiam VII. capita Estheris poſteriora, quod ex Chaldaica eorum capitum paraphraſi confirmatur, quam ex Vaticano Co-

Codice nuper protulit Cl. P. *de magiſtris* in ſuo Daniele ſecundum 70. pag. 434. prout adnotatur apud Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Tom. II. pag. 282.

Quapropter iis, qui ante definitionem Concilii ſcripſerunt, Hugone Cardinale, Lyrano, Carthuſiano, haud attentis, dum Syxtus Senenſis has partes rejecit, teſte Antonio a matre Dei præl. Iſag. *juſſu Sanctæ inquiſitionis hæc ejus expuncta eſt ſententia*, quem propterea etiam Cl. P. Milante jure reprehendit, emendavitque in nova, quam Neapoli an. 1742, curavit, Syxtinæ Bibliothecæ editione; nec a temeritatis nota judicante Nat. Alexandro eruditus hic Dominicanus ſe præſtat eximium, dum reſpondet, verba Synodi intelligenda eſſe *de veris, ac germanis partibus, quæ ad librorum integritatem ſpectant, non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannoſis additamentis, a quovis incognito authore temere appoſitis, & utcunque inſutis, qualia ſunt hujusmodi capitula.* Namque de illis partibus verba Synodi accipi debent, de quibus ab hæreticis movebatur quæſtio, eo quod in Hebræo deeſſent; atqui de his ipſis movebatur. Et vero: ſi exceptio hujusmodi locum haberet, eadem via, & ratione hæretici, quæcunque vellent, capita poſſent rejicere. Nonne Synodus recipi jubet hoſce libros, cum omnibus partibus ſuis, *prout in Eccleſia Catholica legi conſveverunt?* atqui legi ab antiquo conſveverunt, ut jam Rupertus L. 18. de victoria Verbi Dei, C. 12. & L. 12. de Divinis Officiis C. 25. prænotavit, in miſſali fer. IV. poſt Dom. III. 40mæ, & in Miſſa contra paganos; Sabbato IV. temporum: epl. Miſſæ fer. V. hebdomadæ paſſio-

ſionis, prout quisque videre poteſt. Nonne vetera Concilia, & Patres omnes cum Græci, tum Latini, qui librum Eſther in ſacrarum ſcripturarum Canone recenſent, de eo volumine loquuntur, quo tum ipſi, tum Eccleſia univerſa illorum temporibus utebatur? atqui utebatur Vulgata, *quæ*, ut Hieronymus in editione Vulgatæ ad C. X. Eſtheris ait, *Græcorum lingua, & literis continetur*. Hæc porro capita illa poſteriora utique continebat; ergo etiam capita illa poſteriora canoni una cum reliquis Concilia, & Patres inferebant.

Pariter Elias Du-Pinius literatus Sorbonæ Doctor ultima Eſtheris capita rejiciens, eaque acceptandi, vel repudiandi in libro Traitè de la doctrine Chret. libertatem relinquens ab Illm. Harlejo Archi-Eppo. Pariſino condemnatus eſt, erroremque ſuum hunc, & alios per Bibliothecam ſuam ſparſos in libello Pariſiis an. 1693. edito retractavit; verba retractationis Gallice leges apud Nat. Alex. Suppl. Tom. 1. pag. 60. Alioquin viri hujus apud Catholicos exigua debet eſſe authoritas, ut pote qui aſſertam Matth. 16. Petri poteſtatem everſum ibat, qui Tom. 1. Biblioth. Auct. Eccl. diſcours prelim. §. II. antiquos Chriſtianos non alios libros, quam quos Hebræorum Canon continebat, in Canonem recepiſſe, ſive pro Divinis habuiſſe falſo aſſeruit; qui in ipſos etiam Patres non parum injurius fuit, dum in nouvell. Bibl. des Autheurs Eccl. Tom. III. pag. 256. enunciare non eſt veritus, Auguſtinum in materia Theologica magnum Opinatorem dici poſſe, farraginem corraſiſſe opinionum mere probabilium, tam in ſcripturarum interpretatione, quam in theoreticis opinionibus a tra-

mite

mite præcedentium ſæpe receſſiſſe, ut viam deligeret ſibi prorſus novam.

Errat & Dominicus Vallarſius, una cum iis, quos ſequitur, editor operum S. Hieronymi Venet. 1770. in 4. M. Tom. IX. proleg. in Divinam S. Hieronymi Bibliothecam pag. XCI. dum dicit „ Usque ad ætatem S. Hilarii unum fuiſſe uſum Judæorum, & Chriſtianorum in ſcripturis Canonicis recipiendis, ita, ut non plures in Canonem V. Tti admitterentur ab Eccleſia Chriſti, quam XXII. qui in Judæorum Canone habebantur.„ Merito etiam Pater Martianæus editione operum S. Hieronymi magnam laudem conſecutus a Nat. Alexandro Suppl. Tom. I. pag. 57. confutatur, quod nova, & commentitia *conſecrati*, & *deſignati* Canonis invecta diſtinctione deutero-Canonicos (*n*) libros e Canone ſcriptura-

(*n*) Sic vocantur VII. Veteris, totidemque Novi Tti libri, quaſi ſecundo-Canonici, (namque ut Græcum *protos* primus, ita *devteros* eſt ſecundus,) non quod in ſe minoris, quam alii ſacri libri, authoritatis aliquando fuerint, cum Divinitatem non minus, quam Originem a Deo trahant, ſed tantum relate ad nos, & in oppoſitione ad proto-Canonicos ratione temporis hæc eis adhæſit appellatio, quia non illico omnibus conſtitit de eorum Divina Origine, ut proinde etiam in canonem, ſeu catalogum ſacrorum librorum ſerius, ac velut tantum ſecundario inferrentur, cum canone Hebræorum *Paleſtinorum* non fuerint contenti; male tamen jam hodie ab hæreticis *apocryphi* dicuntur, quia nec falſam continent doctrinam, nec fictum authoris nomen præſeferunt, *neque eorum origo*, *atque authoritas latet*, jam enim ex uſu & definitione Eccleſiæ, quæ in ambiguis dubium tollit, Divina eorum origo, conſequenter & authoritas clare nobis innotuit; nulla ergo ſupereſt juſta, ac ſufficiens ratio eos ad *apocryphorum*, h. e. abditorum, & laten-

rarum reipſa excluſos fuiſſe incaute pronuncians, hæreticis Eccleſiæ definitiones criminandi occaſio-

---

tentis, ac incertæ authoritatis librorum claſſem rejiciendi.

Sunt autem V. Tti Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & uterque Machabæorum: Novi vero: Epiſtola Pauli ad Hebræos, & Jacobi, IIa Petri, IIa, ac IIIa Joannis, item Judæ, & Apocalypſis. Partes in N. Tto in quæſtionem, & dubium olim vocatæ: Marci poſtremum caput a verſu IX. verbis illis: *ſurgens autem* (Jeſus) *mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ* inchoando uſque finem, adeoque verſus XII. Lucæ XXII. 44. de ſangvineo ſudore Chriſti, ac ejus per Angelum confortatione, quæ nonnulli pio, ſed imprudenti Zelo e ſuis codicibus eraſerunt, ne Chriſto Deo inconveniens animi dolor, & infirmitas tribuatur, quibus pariter Marcus loc. cit. aliis Evangeliſtis de circumſtantiis reſurrectionis Chriſti diſcordare videbatur. Hiſtoria adulteræ Joan. VIII. ne forte mulieribus ad lapſum ſponte naturæ pronis impunitas, & facilis exemplo Salvatoris delicti fiat gratia. Denique illuſtre illud I. Joan. C. V. 7. de Trinitate teſtimonium. Hæc omnia ſequenti mnemoſyno complectimur. V. ac N. Tti.

Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, & Eccli.
Et Machabæa duo quondam ſub lite fuerunt:
In Daniel pueri tres, ſerpens, caſta Suſanna,
Et ſeptena cadunt capita Eſther poſteriora.
Juda, Jacob, Hebræus, Petri altera, & Apocalypſis;
Sub dubio fuerunt Joannis quoque poſteriores;
Marci poſtremum caput: Angelus adſtitit illi
Confortans; & quæ narratur adultera: tres ſunt.

Hos N. Tti libros ab intentata accuſatione vindicare eſſet actum agere, licet enim initio reformationis heterodoxi plerique eos aut rejecerint, aut in controverſis poſuerint, jam tamen plus quam ſeculum eſt, a quo certam, & aſſertam apud omnes obtineat authoritatem. Sed illos V. Tti etiamnum op-

ſionem obtulerit. Melchior Canus, quando dicit „librum Baruch erroneum eſſe eximere a

L 3 Ca-

oppugnant non pauci, Geor. Frid. Seiler in Theol. Dogm. Polem. in uſum præl. Acad. Erlang. an. 1780. pag. 47. varia LL. deutero-Canonicotum errata commemorat, uti: librum ſapientiæ de manna certo Dei verbo repugnare Exod. 16. 31. Alii vero conſitentur, e ſola Judæorum eos in canone non habentium authoritate ſolide impeti non poſſe, quos enim libros olim Judæi pro genuinis habuerint, ex ſolo Joſepho, Origene, Philone, & Melitone haud certo definiri, animadvertit Gottfrid. Leſſius in ſua Rel. Chriſt. theoria, ſeu Dogm. Schaufhaus. an. 1781. pag. 34. Jam primi Proteſtantes, Genuenſes, Tigurini, Angli, & hodie omnes moderatiores horum librorum utilitatem, & in ſumma etiam veritatem agnoſcunt, verſos ſuis inſerunt Bibliis, neque de eorum Divinitate multis contendunt, Caſtalio in latiniſſima ſua verſione hos velut excellentiſſimos verbi Dei codices ponendos judicavit, cum haberentur in antiquiſſimis Græcis, Latinis, & Syriacis apographiis. Nec ita pridem I. Machabæorum expeditis multis ejus difficultatibus vertendum ſibi cenſuit Ill. Michaëlis: Iſ. & librum Sapientiæ Haſſius, Syracidem Linde, & alii. Famoſus Dederlein in *Chriſtl. Religions unterricht.* par. 1. pag. 230 aſſerit partium Studio, animo infenſo nimis acute, ac ſubtiliter quæſitos fuiſſe in libris iſtis errores, exploſa, & deridiculo habita quædam aſſerta, qualia tamen in proto-Canonicis pariter occurrunt. Judithæ acta (proſequitur) non placent, Samſonis etiam admirationem excitant, Jobus in exemplum proponitur, Tobias fabuloſus habetur, Pythoniſſa in Endor 1. Reg. 28. non offendit, jecur piſcis ad curandos oculos, & diabolum fugandum in Tobia terret maxime, apparitiones, & viſiones in Machabæorum hiſtoria, poëticæ deſcriptiones in libro Sapientiæ, morales in Syracide, abſurdæ putantur, in libris Judicum, & Propheticis in laude, & ornatu ponuntur. Nempe inani ratione nixa fuit omnis de illis olim mota dubitatio, cui Melito Sar-

den-

Canone, ſed hæreſim non ſe audere vocare„ excuſatur, quod tempore, quo hæc ſcripſit, Con-

denſis ſec. II. in Aſia Eppus. apud Euſeb. L. 4. C. 26. vel ex eo nullum pondus addere potuit; quod non Eccleſiæ, ſed tantum Judæorum, & quidem nonniſi Paleſtinorum canonem, eumque imperfectum recenſeat, qui librum Ruth contra morem Judæorum a Joſepho L. 1. contra Apionem, Euſebio L. 3. Hiſt. C. 10. & Hieronymo in prol. Galeat. commemoratum, a libro Judicum ſeparans, ne numerum XXII. excedat, Eſtherem excludit, *Sapientiam* vero, ſi recta eſt lectio, quæ articulum ſubjunctivum non habet, incluſit, nulla enim apparet ratio, cur eundem Provetbiorum librum in tam compendioſa LL. Sacrorum recenſione duplici vocabulo exprimeret; accedit, ipſum in Orientem profectum in eos tantum codices apud Judæos inquiſiviſſe, *qui* (in canonem) *omnium conſenſu recepti ſunt*, quales apud Judæos non erant, niſi XXII. Non Synagogam, inimicam jam veritati novercam, ſed Eccleſiam matrem, veritatis magiſtram adire, & conſulere debuiſſet.

Præterea etſi per apologiam M. Aurelio, ſeu potius Antonino Imp. pro Chriſtianis oblatam, nominis famam eſt conſecutus, exiguus tamen fuit criticus, unde occaſionem quidem aliquibus dedit libros illo canone non contentos in dubium revocandi, aut potius prætermittendi, nec tamen in partes ſuas trahere doctiores potuit, cum a Chriſtianis etiam in Oriente pro Divinis haberentur, quod ex Origene conſtat, Critico in ſcripturis verſatiſſimo, qui LL. hos non tantum in hexapla retulit, tamquam Divinos, ſed etiam teſtatnr, *Suſannæ hiſtoriam*, & alia in hebraico omiſſa *in Græco Græcorum exemplari per totam Chriſti Eccleſiam circumferri*, Tom. 1. pag. 13. & 17. & L. 2. de Princ. ita loquitur: *ut autem etiam de ſcripturarum authoritate hoc ita ſe habere credamus, audi, quomodo in Macbabæorum libris de hoc dogmate confirmatur.* Et cet. Demum hom. 27. in Num. dicit in Verbo Dei differentias eſſe non ſecus, ac in cibis, cum enim alia obſcuriora ſinr, quædam eſſe

Concilium nondum erat abſolutum, ac promulgatum, aberatque, dum Canon Librorum ſacro-

L 4 rum

eſſe clara, uti in libris *Eſther*, *Judith*, *Tobiæ*, *Sapientiæ*. Unde conſequitur, ipſum in locis aliis, uti comm. in Pſ. I. libros XXII. tantum ad mentem Judæorum, & juxta eorum canonem recenſere, cum ſolemnis Patrum mos fuerit, contra Judæos, & hæreticos eorum librorum authoritate pugnare, qui extra omnem controverſiam poſiti certæ apud omnes eſſent authoritatis; dum canonicos XXII. libros refert, addit, *extra horum cenſum eſſe libros Machabæorum*, nempe per hoc ignaris inſinuat, licet primus eorum hebraico idiomate extaret, non tamen canoni Hebræorum eſſe inſertum. Ita intelligendum eſſe hunc Eccleſiæ magiſtrum ſuo tempore celeberrimum, illud quoque manifeſtat, quod diſerte addat: *Secundum Hebræos: ſunt autem XXII. libri ſecundum Hebræos* inquit. Rurſus: *Non igitur ignorandum eſt, V. Tti Libros, ut Hebræi tradunt*, (hoos Hebræi paradidoaſi) *viginti, & duos eſſe, quibus æqualis eſt apud ipſos numerus elementorum.* Affirmat alibi ideo ſe Hebræum textum poſuiſſe, ut ignari ſcirent, quid legant Hebræi, ut Chriſtiani cum Judæis diſſerentes non proferant ea, quæ in eorum exemplaribus deſunt, ſed ſolum iis utantur, quæ penes ſe habent; ſi enim ejusmodi fuerit noſter (ſic ait) ad ea, de quibus nos inter & ipſos controverſia eſt, apparatus, non contemnent, neque, prout ſolent, irridebunt, atque hæc (continuat) dicta ſunt ad illud, quod objeciſti, apud Hebræos non extare Suſannæ hiſtoriam: hactenus Origenes: aperte proin declarat ſe tantum ſecundum Hebræos, & pro caſu, quo cum illis diſceptatio fuerit ſuſcipienda, canonem LL. XXII. adferre, qui dum agens *de Oratione* Tobiæ librum, & Danielis locum controverſum citaſſet, ſatis indicat ſibi horum certiſſimam eſſe authoritatem, ob Judæos tamen, & eorum ſequaces aliorum etiam teſtimoniis eſſe utendum; *Quoniam vero locus ex Daniele citatus, obelo notatus eſt, quod in hebræo non extet, librumque Tobiæ rejiciunt Judæi,* qu-

rum a Concilio eſt confectus. Editio Conc. Trid. ex ultima recognitione Joan. Gallemarti Aug.

---

quaſi non canonicum, *adducam ex primo Regum illud Annæ* & Cet.

Itaque Divinitas LL. deutero-canonicorum probatur argumento præſcriptionis, nam Canonem illum 72. librorum deſumpſit Concilium Trid. proxime ab Eugenio IV. in decreto pro Armenis, ſeu potius ab ipſo Concilio Florentino, cum iſtud anno. 1439. nondum finitum tres inſuper annos perſtiterit Florentiæ, ac inde Romam commigraverit juxta decretum 6. Aprilis anno 1442. de Concilio Florentiâ Romam transferendo, imo Concilii conſtitutiones uſque ad annum 1445. continuantur, una cum acceſſu ad idem Concilium Æthiopum legatorum, regreſſuque Syrorum, Chaldæorum, ac Maronitarum ad Rom. Sedis obedientiam, apud Pallav. L. VI. C. 12. N. 12. & 13. Florentinum a concilio Romano 70. Epporum. ſub Gelaſio Papa libros genuinos ab apocryphis diſcernendi cauſa congregato, quod *Notheias* arguere Cavius fruſtra laborat, cum Hincmarus Rhemenſis ſec. **IX.** & plures alii uſque ſec. **XIII.** ejus faciant mentionem; Concilium Romanum ab Innocentio Pontifice qui an. Ch. 402. ad conſultationem Exuperii Toloſani in Galliis Eppi. catalogum nectit Tridentino examuſſim congruentem, qui collect. Concil. Harduin. Paris. an. 1715. Tom. 1. pag. 1005. ubi Nr. 1. præmiſiſſet ſe ea tradere, *quæ vel lucidior ratio oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret*, Nr. VII. ſubnectit; *Qui vero libri recipiantur in Canone ſanctarum ſcripturarum, brevis adnexus oſtendit:* Moyſi V. Regnorum IV. Tobiæ I. Judith I. Machab. II. Prophetarum libri XVI. Salomonis V. Dein N. T. & Cet. *Cetera autem ſub nomine Mathiæ, vel Jacobi minoris -- non ſolum repudianda, verum etiam noveris eſſe damnanda.* Datum X. Kalendas Martias Stilicone II. Anthemio viris Clariſſimis conſulibus.

Non abſimiliter adduci poſſent teſtimonia Epiſcoporum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum pro Alexandri-

Aug. Vind. an. 1781. pag. 12. vetuſtam declarationem (ſup. pag. 41.) ad verba: *cum omni-*

L 5

xandrina, Jeroſolymitana, & aliis Eccleſiis, quæ vide ſis Tom. III. Menochii pag. 65. ex Tourneminio; Maxime effloruit, & celeberrima fuit ſeculis primis Africana Eccleſia, hæc in Conc. Carthaginenſi III. anno 397. can 47. Tridentino catalogum librorum præmonſtravit, addens: *Iſta a Patribus accepimus in Eccleſia legenda*, etiam in aliis Conciliis, quorum pars magna fuit Auguſtinus, idem traditum; Auguſtinus ipſe L. 2. de doctr. Chr. c. 8. Sic loquitur: *Totus autem Canon ſcripturarum his libris continetur: V. Moyſis, Joſue -- Tobias, Judith, & Machabæorum libri duo, Sapientia, Eccleſiaſticus, & hi, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt;* mox Baruch a Jeremia non ſeparando ſubjicit: *His 44. libris V. T. terminatur auctoritas;* alia occaſione ſacrificium pro mortuis ex libris Machabæorum probavit L. de cura pro mortuis c. 1. *Machabæorum libros non Judæi*, inquit, *ſed Eccleſia pro Canonicis habet;* hos omnes libros tales eſſe, *in quibus timentes Deum, & pietate manſveti quærunt voluntatem Dei.* Efficax dein ex eodem Patre, & palmare naſcitur argumentum, dum enim malam Semipelagianorum reſponſionem ex Sap. IV. *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus:* confutaſſet, repoſuerunt illi, hunc librum non eſſe Divinum. Quid ad iſtud Sanctus noſter? Libro de Præd. Sanct. C. 14. Primatis Africanæ Eccleſiæ & univerſæ Chriſtianitatis teſtimonio illis occurrit: *ſcripſit librum de mortalitate Cyprianus, ubi & illud teſtimonium ponit de libro Sapientiæ*, (raptus eſt) *quod a me quoque poſitum fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis, tamquam non de libro Canonico adhibitum;* (ac reſpondet) *non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis, uſque ad extremos laicos fideles, catechumenos, cum veneratione Divinæ auctoritatis audiri, quoniam eum ſibi* (ad legendum) *antepoſuerunt*

nibus partibus ſuis: ita refert: *Etiam dicendum eſt, quod ne vel periodus, vel una clauſu-*

---

runt etiam temporibus proximi Apoſtolorum egregii tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere, niſi Divinum teſtimonium crediderunt.

Nec obeſt multos Patres his libris certam authoritatem denegare, nam 1. loquuntur ad Caſum, quo Judæi, & hæretici ſunt convincendi. 2. Hoc fit etiam in aliis fidei quæſtionibus, donec traditio magis eliquetur: quam multa pro minime ambiguis ſuſcipiunt heterodoxi olim ad tempus controverſa? qui diſcrimen, & juſtam ſui receſſus rationem nunquam aſſignare poterunt, cur, poſteaquam VII. LL. N. Tti deutero-Canonicos omnes admittunt teſtimonio primitivæ Eccleſiæ hiſce nihilo plus ſuffragante, alios V. Tti palam repudient? nonne Hieronymi ſunt verba? *ſecunda Petri a pleriſque ejus eſſe negatur: Judæ epiſtola a plerisque rejicitur: Jacobi epiſtola ab alio ſub nomine ejus edita creditur: epiſtola ad Hebræos, quæ Pauli eſſe fertur, non creditur eſſe ejus, propter ſtyli, ſermoniſque diſtantiam. Si quis tamen ad Hebræos epiſtolam ſuſcipit, licet de ea multi Latini dubitent, relege ſive Pauli Apoſtoli, ſive cujuscunque alterius eam eſſe putas.* Epl. 129 ad Dardan. *Quodſi eplam. ad Hebræos Latinorum conſvetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt.* Mox addit, ſe tamen utraque propter authoritatem veterum ſuſcipere. Unde etiam B. Hieronymum, qui maximam difficultatem faceſſere poteſt, 14. hos libros ceu Divinos habuiſſe, multa ejus aſſerta me impellunt, ut credam, cujus alia dicta ita interpretanda puto, ut ex Judæorum ſententia, & ad caſum, quo contra Judæos eſt agendum, loqui intelligatur, ſaltem ejus imitanda eſt Eccleſiæ obſequendi promptitudo, qui dum librum Judith a Nicæna Synodo in numero ſacrarum ſcripturarum computatum fuiſſe audivit, confeſtim acquievit; præcipue, quod ipſe Chriſtus, & Apoſtoli ejus LL. V. Tti hos perinde, ac ceteros, etſi Canoni Hebræorum non

ſula, vel dictio, aut ſyllaba, jotave unum repugnet in Veteri Vulgata editione. Quoad op-

non inſertos, velut S. Scripturas citaſſe Matth. 19. 17. & 27 43 &c. videantur. Fruſtra ſunt omnia! Sicubi, hic Eccleſiæ docenti eſt auſcultandum non minus præſenti, quam primitivæ, quia Chriſti promiſſio de veritate apud Eccleſiam non defectura, ac ejusdem Eccleſiæ jus a fidelibus obſequium exigendi nulli tempori affixa, ad uſque Seculorum finem pertingunt, idem Spiritus hodiernam ducit atque animat Eccleſiam, qui illam ſec. II. III. IV. dirigebat. Et vero cujus arbitratu ſtabimus? cujus magiſterio diſcemus, quæ ab Apoſtolis ad nos deſcendat traditio, niſi Eccleſiæ illius, in quam iidem ipſi Apoſtoli omnia contulerunt, quæ ſunt veritatis?

Sed gravis reſtat objectio: *Judæi*, a quibus ſolis Eccleſia habere potuit, *non habent in Canone*. Reſpondeo. 1. Licet de Judæis ſec. II. III. IV. & deinceps, iſtud verum eſſe propter multitudinem teſtium nullus ambigo, manet nihilominus vero ſimillimum, veteres Judæos, *etiam Paleſtinos*, ante, & ſub tempora Salvatoris libris iſtis ſummam detuliſſe authoritatem, prout etiam hodierni veritatem factorum iis contentorum proni agnoſcunt; ratio eſt (a) quia Judæi *Helleniſtæ*, ſeu extra Paleſtinam, in Ægypto, & alibi terrarum in Oriente commorantes, quibus olim ante tempora Chriſti Paleſtinos conſenſiſſe ipſa Ariſtææ narratio perſvadet, pro ſacris habuerunt, prout uſus Alexandrinæ verſionis luculentiſſime prodit, (quidquid multi proferant in contrarium) a quibus uti verſio, ita de librorum Divinitate traditio ad univerſam Chriſti, quæ hac ſola per prima ſex ſecula uſa fuit, Eccleſiam facillime, ac velut neceſſario pervenit, & ita qua ſacri recipi etiam ex traditione Judæorum potuerunt.

(b) Judæi inter hagiographa numerant Eccleſiaſticum, ut docet author libri *Tzemachh David* h. e. *Germen David.* Librum Sapientiæ tamquam verum, & ſaltem quoad ſententias authenticum Salomonis, citat Moſes Nachmanides, & R. Azatias in libro *Imre bina* h.

oppoſitiones autem contextus Græci, aut Hebraici cum Latina Vulgata editione Congrega-

h. e. ex Prov. 1. 2. tit. *verba intelligentiæ* inter hagiographos recenſet; idem docet, verum, & Joſepho, qui ex eo profecit, antiquiorem eſſe librum Hhasmonæorum, ſeu Machabæorum; Auctor libri *Juchhaſin*: h. e. proſapiarum, ſeu genealogiarum, veritatem librorum Suſannæ, Baruch, Tobiæ, Judith confitetur. Per hagiographa intelligunt hoc loco libros eo revelationis gradu ſcriptos, qui vocatur *Bath Kol* h. e. *Filia vocis*: ſeu ſpiritu quidem Sancto, ſed, ſicut echo, vocis imitatio, minor eſt voce ipſa, ita inferiori quodam revelationis gradu. Hæc ex Ugollini Tom. 1. pag. CCXLVII. Buxtor. Lexic. Thalm. voce *Bath.*

(c) Joſephus procem. Antiq. & L. contra Apionem, dicit ſe Machabæorum hiſtoriam ex ſacris, qui apud ſuos habentur, libris excerpſiſſe, (ek tòn par hèmin hieròn Biblòn) ergo Machabæorum libri apud gentem habebantur ſacri; ex aliis autem illius dictis non aliud colligitur, quam libros citt. non æqualis, & perinde aſſertæ dignitatis fuiſſe, eo quod minus certa eſſet ſucceſſio Prophetarum, quamvis mihi nec iſta ratio videatur ſubſiſtere, nec valde moveor aſſerto Joſephi, cum de XIII. libris Prophetarum, & IV. metricis minus cohærentia narret, & librum Jobi omnino excludat, quem referre neceſſe fuit, ſi accuratam librorum Divinorum ſeriem narrare voluiſſet.

(d) *Palæſtinos* Judæos ſententiam ſuam de libris ſacris mutaſſe, quando ſec. II. & poſtea 70. virali verſione LLos. Cit. complectente ſunt impugnati, credibile redditur ex eo, quod tunc verſioni illi cœperint eſſe tam infenſi, & magno niſu novas ex Hebræo procuderint, huic authoritatem detracturi; circa hæc tempora libros S. ſi non in fontibus, adminus in verſionibus ſacrilega manu contemerarunt, ut ex Juſtini M. Origenis, & multorum Patrum accuſationibus deducitur, tunc ab Helleniſtis in alia omnia diſcedere, & capitali diffidere odio e re ſua eſſe rati, facile rationes commenti ſunt, libros, qui a Canone Pe-

gatio remiſit ad tertiam regulam indicis ſub Pio IV. editam. Pagina ſequenti additur: Hebrai-

Esdrino aberant, rejiciendi, maxime, quod in eis clara contra ſe deprehendi teſtimonia intelligerent; quod poſt S. Juſtinum S. Iſidorus Hiſpalenſis L. 1. de Off. Eccl. C. 12. loquens de libro Sapientiæ clare aſſerit. *Hoc opus Hebræi, ut quidam Sapientium meminit, inter Canonicas Scripturas recipiebant, ſed poſtquam comprehendentes Chriſtum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam evidentiſſima pro Chriſto teſtimonia* (opprimamus juſtum, quia contrarius eſt operibus noſtris) *Collatione facta, ne noſtri eis pro tam aperto ſacrilegio derogarent, a Propheticis voluminibus reſciderunt, legendumque ſuis prohibuerunt.*

Probatiſſima dein, ut Habertus obſervat, ratio eſt, cur Esdrino Canoni, etſi eorum authoritas admitteretur, non fuerint inſerti, quod tempore poſteriores eſſent, uti Machabæorum, Eccli. Sap. eo vero jam clauſo, cum tantus non amplius ſupereſſet vir, *ſcriba velox in lege Domini*, aliquid addere tam ſibi duxerint religioni, quam Catholici formulæ Nicænæ ſemel contra Arianos editæ. Item libri iſti Chaldaico, & Græco ſermone, non vero Hebraico Bibliis conſecrato conſcripti non videbantur ſine perturbatione, & mixtura heterogeneorum adjungendi. Demum, cum partim res privatæ familiæ, partim temporis poſterioris continerent, & Chriſtiani e verſione 70. & aliarum nationum translationibus eis uterentur, Judæorum perfidia eos abjecit.

Reſpondeo II. Circa, & poſt tempora Meſſiæ Synagogam non amplius citra periculum fidei potuiſſe audiri, neque hodie normam ſacros LL. conſtituendi a Judæis eſſe deſumendam, quia facti inimici veritatis, & a Deo abjecti cæci duces ſunt, Eccleſia, cujus magiſterio obſequi nos Chriſtus jubet, judicio eorum ſuum oppoſuit, quæ ſicut novam perfectioris religionis ita & ſcripturarum revelationem accepit, & ſi LL. aliquorum V. Tti antea dubia fuit authoritas, etiam de eorum Divinitate æque, ac de vero ſenſu ſcripturarum a Chriſto, & Apoſtolis uberius eſt edocta; non ſumus filii ancillæ, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus

braica, & Græca exemplaria ſuam adhuc retinere auctoritatem, ſed tantum, *ubi incorrupta, & integra fuerint*.

Licet vero controverſæ Danielis, & Eſtheris partes jam temporibus Origenis, & Hieronymi ab Hebræis codicibus abeſſent, originarie tamen in iis extitiſſe indubitatum eſt non tantum ex Theodotione, ſed etiam ex 70. virali verſione, prout eam exhibet codex Chiſianus Danielis ſecundum 70. a Cl. P. de *Magiſtris* Romæ an. 1772. vulgatus. In alio dein libro ſcripturæ, primo ſcilicet Machabæorum C. 2. 59. juxta nos, & 70. ita legimus: *Ananias, Azarias, Miſael credentes liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum.* Quia vero Hieronymus dicit, primum Machabeorum librum ſe Hebraicum reperiſſe, etiam in Hebraico Machabæorum textu hiſtoria iſta extiterit adhuc ævo Hieronymi, e Daniele jam tum eraſa.

Perinde fidem additamentorum Eſtheris Joan. Bernard. de Roſſi in ſpecimine Variantium lectionum Oſtendit (1°) Ex textu ipſo proto-Canonico, quia hujus tanta eſt cum deutero-Canonicis his additamentis connexio, ut qui hæc neget, vel reſpuat, illum quoque negare, vel reſpuere cogatur. (2°) Ex vetuſtiſſimis verſionibus, cum enim antiquiſſima Græca 70. viralis verſio hæc legat, Judaicæ antiquitati ignota eſſe non poterant. Origenes ſummus ille primæ-

ſtus nos liberavit. Gal. IV. 31. Quod Auguſtinus de libris Machabæorum, nos ex paritate rationis de omnibus dicamus: eos non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.

mævæ Eccleſiæ Criticus, qui Græcam verſionem recenſuit, additamenta iſta aſteriſcis, & obelis inſtruxit, legerunt Syriaca, Arabica, Vulgata, verſiones. (3º) Ex ipſo Joſepho Flavio, qui exemplar epiſtolæ Aſſveri pro Judæorum ſalute prorſus cum Vulgata conveniens producit L. 11. antiq. C. 6. obſervat etiam male ſuſpicari Calmetum, additamenta hæc Joſephum latuiſſe. (4º) Ex MSS. Hebræo-Biblicis, ac Pontificio potiſſimum, namque extant etiamnum MSS. codices, in quibus Eſtheris additamenta exhibentur, ex his in Italia tres inveniuntur: Pontificius noſter, (inquit) cujus proponit textum Originalem cum verſione Latina: Vaticanus alter, demumque Ambroſianus: in Pontificio codice nullum eſt inter additamenta, & reſiquos ſacros libros diſcrimen, character major eſt, & idem plane cum charactere proto-Canonici, qui præcedit, Eſtheris libri, ſub finem vero, quod mireris, recenſentur ut ad Canonem ſpectantia, & verſiculorum ſumma ex ſcribarum præſcripto, qui ſepem (Maſoram) legi, ſacrisque libris fecerunt, apponitur, ne hæc vulgo dicta additamenta amittantur, vel corrumpantur. *Numerus verſiculorum libri eſt 52. explicit Oratio Mardochæi, & Oratio Eſtheris, & Somnia illius.* Hoc autem eorum librorum, qui in Canonem recepti ſunt, peculiare, ac proprium eſſe norunt docti. Ita de Roſſi. Siniſtre hæc, *additamenta* vocari cœperunt, eo quod uſualis hodiernus Eſtheris Hebraicus Codex non habeat, neque enim tardius ſunt adjecta, ſed econtra uſualis Codex Hebræus ſua jam ab antiquo habet detrimenta; antiquus Eſtheris liber, qui C. 9. v. 32. his verbis: *Et omnia, quæ libri hujus, qui voca-*

tur

tur *Eſther*, *hiſtoriâ côntinentur:* non obſcure, etiam in hodierno Hebræo voculis: *nichthab baſſephær*, *ſcriptum in libro:* nimirum fuſiori, indicari videtur, omnia hæc ſine dubio continebat, ex quo Græca, & Latina verſio feliciter emanarunt, cujus antiquioris codicis Hebraici compendium eſt hodiernus, & ideo partibus hiſce caret.

Sunt vero partes illæ, eo, quod in Originali textu deſiderentur, olim in controverſiam adductæ: *in Daniele:* Capitis IIIi verſus ſexaginta ſex; nimirum a 240, ubi hæc verba Hieronymi inſeruntur „quæ ſequuntur, in Hebræis voluminibus non reperi„ usque 90um, ubi rurſus Hieronymus „huc usque in Hebræo non habetur, & quæ poſuimus de Theodotionis editione translata ſunt„ atque ubi idem S Doctor poſt Caput XIIum ſubindicat „huc usque Danielem in Hebræo vulumine legimus, quæ ſequuntur usque ad finem libri de Theodotionis translatione accepta ſunt„ demum integra XIIIum 65. Commatum, & XIVum 42. commatum Capita.

In Eſthere a Capitis X. verſu IV. reliqua VII. quæ ſequuntur, Capita, ubi Hieronymus ſic loquitur „quæ habentur in Hebræo, plena fide expreſſi, hæc autem, quæ ſequuntur, ſcripta reperi in editione Vulgata, quæ Græcorum lingua, & literis continetur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur, quod juxta conſvetudinem noſtram obelo: id eſt veru prænotavimus.„ Poſt Caput XII. inſerit idem „huc usque procœmium, quæ ſequuntur in eo loco poſita erant, ubi ſcriptum eſt in volumine: & diripuerunt bona, vel ſubſtantiam eorum: quæ in ſola

ſola Vulgata editione reperimus„ Capite XIII. poſt verſum VII. „ hucusque exemplar epiſtolæ, quæ ſequuntur poſt eum locum ſcripta ſunt, ubi legitur: „ pergensque Mardochæus fecit omnia, quæ ei mandaverat Eſther: nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretem„ Capite XV. „ Hæc quoque addita reperi in editione Vulgata, - - - nec non & iſta, quæ ſubdita ſunt„ Ita de his ſuo ævo Hieronymus.

His, quæ jam præmiſſa ſunt, intellectis, ex verbis Concilii ſequentia non inconvenienter inferuntur: 1º Quemvis Catholicum partes Danielis, & Eſtheris olim in controverſia poſitas pro ſacris, & Canonicis recipere debere. 2º Vulgatam ad Hebræum textum in omnibus reformari non amplius poſſe; namque reformare, foret has partes velut eo non ſpectantes, neque Canonicas, inde avellere. 3º Hebræum textum, & quidem jam per mille ſexcentos circiter annos ſaltem in his eſſe notabiliter defectuoſum, cum nullum dubium ſit, hæc omnia reliquis Eſtheris, & Danielis partibus in fonte quoque adhæſiſſe, alioquin unde Theodotion, unde Joſephus Flavius, qui ſe tantum ex ſacris iſta libris narrare profitetur, deſumpſiſſent? 4º In his res ſatis momentoſas contineri, quarum veritas non poteſt negari, & valet ad commendanda ea, quæ ſunt religionis, puta: illud de mirabili trium puerorum (non ætate talium, ſed officio, h. e. miniſtrorum) in medio ignis conſervatione, quorum hymnum in Officio Divino, ad Laudes Eccleſia jugi pietate frequentat: de Suſannæ Caſtimonia, accuſatione, & declarata innocentia. 5º Poſſe contra Hebræum textum integra capi-

ta produci, ratione quorum ſaltem hoc ſenſu non ſit authenticus, quod ibi certo ſit diminutus, ac defectuoſus, primævamque amiſerit integritatem: ex adverſo Vulgatæ nihil tale objici poſſe.

Argumento huic non parum roboris accedit, dum una conſtat, integros etiam libros periiſſe de fontibus, ſive quod eodem redit: exemplaribus in Originali linguæ jam annis abhinc mille ante, vel poſt tempora Hieronymi abolitis ſolas ſupereſſe verſiones, uti libro Baruch, Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, primo Machabæorum, ipſique primo Eccleſiæ Chriſtianæ Evangelio contigiſſe, ex indubia, & conſentienti antiquorum narratione cognoſcimus.

Conantur quidem contrariæ ſententiæ patroni hanc argumenti claritatem tali reſponſione obſcurare. 1° Hæc quidem excidiſſe ex Codicibus omnibus Hebraicis, non tamen fontem Hebræum propterea dici oportere corruptum. 2° Errore poſitivo fontes carere, ut qua parte perſeverant, luxati non ſint, argumentum enim a perditis integris libris Hebraicis, aut nonnullis eorum partibus ductum carere vi ad corruptionem aliorum librorum probandam, quod diſtinctum, quam quæratur, hoc ſit genus corruptionis, quod non fidem reſiduorum, ſed ſolum numerum deminuit; ſane ex eo, quia hi, aut illi nummi temporum injuria periverunt, male inferretur, eos, qui ad noſtram durant ætatem eſſe omnes pariter depravatos, aut minus ſinceros, neque propterea, quod orationis Ciceronianæ in Piſonem deſit exordium, conſequitur, etiam reliquas, quæ ſuperant, partes eſſe vitiatas. Ita ſimiliter ex eo, quod aliqui libri, aut nonnullæ eorum partes

ex

ex Hebræo penitus exciderunt, haud recte concluditur, cæteros etiam, qui ſuperſunt, fluere vitiatos: nimium hoc argumento probaretur, videlicet neque Vulgatam eſſe fidei certo integræ, vix enim ſibi quisquam perſvaſerit, nullum librum, nullamve ſententiam, quæ Divinitus aliquando exarata fuit, in ea deſiderari; ſatis proinde eſt ad plenam fontium authoritatem ſtatuendam, in iis, quæ proponunt, in materia graviore nullum errorem contineri.

Sed operam ludunt: neque enim aliud ex his conſtituo, quam deeſſe fonti Hebræo primigeniam, & nativam integritatem, quod defectum, aut corruptionem appellent per me licet; Iſtud conſequi ſi negant, hominem integerrimum corpore aſſeverant, qui dextro oculo, & pede ſiniſtro caruerit, in compoſitis integritatem quantitatis, ſubtractione partium non minui videntur affirmare, ut qui mille aureos debeat, nongentorum redditione totum eluiſſe debitum cenſeatur.

Deinde: ſi tantam diminutionem partium fons ille perpeſſus eſt, qua evincent ratione in aliis mutationem nullam ſubiviſſe, nec ſubire poſſe, dum e contrario reipſa ſubiviſſe iisdem rationibus, quibus prius dictas partes excidiſſe docetur, haud ægrè probatur? quo fundamento iſtud evenire non potuiſſe enunciant, ſi negativus error ille (ſeu partium defectus) tam eſt in propatulo? ubi enim teſtamentum ſubtractione conſtat vitiatum, etiam additione, vel mutatione præſumi poteſt eſſe variatum. Demum omnes diſparent offuciæ, dum fontes, etiam qua parte perſeverant, non uno in loco luxatos eſſe, anti-

quiſſimarum verſionum fide evincitur, & in hisce vindiciis propalam docetur. pag. 124. 150.

Recte habent: conſequitur numerum ſacrorum librorum & capitum in codice Hæbræo non eſſe completum, quia integri libri, & capita periverunt. Sed an caſus iſte fatalis, & longe funeſtiſſimus non ſufficit ad prudenter dubitandum, num codex hic in minutioribus partibus, verſiculis, ac vocibus non ſit alicubi diminutus? an, poſtquam integros libros, & capita ſublata fuiſſe non dubitatur, tuto aſſeritur, in cæteris, qua parte adhuc ſuperſunt, nullam omnino labem contraxiſſe? Etiam nummorum, qui præſto ſunt, ſinceritas in dubium jure vocabitur, ubi fides eorum, quibus nummariæ arcæ cuſtodia eſt demandata, ex amiſſione nonnullorum numiſmatum vacillaverit, & ſi quoſdam nummos parte notabili truncaſſe convicti ſunt, etiam in reliquis fraudis ſuſpicionem incurrent; ex eo, quia numi A, B, C, periverunt, non per ſe conſequitur, alios D, E, F, G, eſſe vitiatos, naſcitur tamen graviſſima corruptionem ſuſpicandi ratio; ſi, dum omnes fideliter cuſtodiendi traditi ſunt, duo, treſve perditi, nonnulli vero notabili ſua parte ſunt corrupti, præſertim ſi numi ad ſimilitudinem priorum cuſi, qui apud alios diligenter aſſervantur, formam â numis illis differentem oſtentant. Atque ita ſe res habet in præſenti, dum Hebræi Codices lectiones offerunt â verſionibus antiquis diſcrepantes; unde potius exemplo iſto mea firmatur aſſertio. Ad exemplum Orationis in Piſonem ſufficit dicere, etiam reliquas ejus partes vitiari perinde potuiſſe, & ſi eædem rationes pro illarum interpolatione, aut ſubtractione pugnarent, fore & hanc admittendam.

Quod

Quod de Vulgata additur, nego conſequi, neque enim par eſt ratio, quia Vulgata a primigenia ſua integritate numquam adeo deflexit, ut integrorum capitum, & complurium ſententiarum, quæ ad factorum veritatem valde faciant, ablatione minueretur; perſvadeo mihi, nullum librum, nullamve alicujus momenti ſententiam, quæ ei primitus illata fuit, in ea deſiderari. An vero plus aliquid Divinitus ſcripto datum ſit, quam Vulgato Eccleſiæ Codice inde a primis ſæculis comprehendatur, ab illius quæſtionis deciſione pendet, qua examinatur, num libri, quorum in ſcripturis mentio occurrit, & ſi V. T^ti ſint, jam ante tempora Chriſti pridem, ſi vero N. T^ti, jam ante 16. adminus ſæcula amiſſi ſunt, Divinam habuerint Originem, & authoritatem? eccur non? ſed non eſt hujus loci; affirmo, Eccleſiæ Chriſti Divinitus nihil plus eſſe relictum, & tamquam poſteritati transmittendum communicatum, quam quod vetere Itala, & exinde Vulgata editione noſtra continetur. Si fuerunt libri alii Divini, non tamen velut depoſitum poſteris tradendum Eccleſiæ ſunt commiſſi; & quia Vulgatæ originariè non inſerebantur, hæc illis carens illatæ corruptionis nequit inſimulari.

Eſt præterea quædam inter verſionem, & apographa diſtinctio: ut verſio ſit proprie authentica, non eſt neceſſarium, ut cum autographo in merè accidentalibus, & minimis conveniat, cum hoc ſæpe moraliter ſit impoſſibile, nec enim ſemper verbum verbo aptum reddi poteſt, maxime, quando translatio fit e lingua mortua, cujus uſus non amplius viget: ut vero apographum in eadem lingua ex autographo deſumptum propriè ſit authenticum, verba verbis, ſententiæ

 ſen-

ſententiis exactè debent reſpondere; quomodo ergo apographa Hebræorum dicemus propriè authentica, ſi inſuper pluribus capitibus, & majoribus etiam partibus librorum ſunt truncata?

Porro ex quo Vulgata habet errata quædam leviuſcula, non ſequitur nec in gravioribus ei certam fidem eſſe habendam, quia non in leviuſculis, non in ſingulis vocibus, ſed in gravioribus rebus nacta eſt Eccleſiæ approbationem, & ne una alterave ſyllaba, aut vocula corrumpatur in exemplaribus etiam copioſiſſimis, præcaveri nulla humana induſtria potuit, nec ad Dei providentiam iſtud pertinebat; aſt vero ne in gravioribus, in quibus uſu, & decreto Eccleſiæ conſtat eſſe probatam, corrumpatur, ab Eccleſia quidem omni tempore eſt vigilatum, a Deo vero ſufficienter proviſum.

Stat itaque inconcuſſum, hymnum trium puerorum non minus eſſe verbum Dei, quam ſit Pſalmus quiſcunque, ſtat inconcuſſum, partium iſtarum veritatem totidem niti argumentis, ac deutero-Canonicorum librorum, nempe jam ante S. Hieronymum in catalogo Divinorum librorum reliquo corpori adhæſiſſe, a tempore, cujus initium ignoratur, legi in officio Divino, a Patribus prope omnibus ut Divina hæc omnia laudari, proponi a Conciliis, fuiſſe a Græca quoque Eccleſia nunquam non probata, quod apud Theologos, & ſcripturæ interpretes uberius deductum invenies. Juverit Concilii IV. Toletani in Hiſpaniis an. 633. a 72. Eppis. 6. Metropolitis, præſidente S. Iſidoro Hiſpalenſi, celebrati ex actis Conciliorum edit. Paris. 1714. Tom. III. pag. 584. Canonem XIVum adducere, latum adverſus Sacerdotes in Officio Divino negligentio-

tiores. *Hymnum trium puerorum, quem Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa celebrat, quidam Sacerdotes canere negligunt, proinde hoc S. Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Galliæ idem decantetur, communionem amiſſuri, qui & antiquam hujus hymni conſvetudinem, noſtramque definitionem exceſſerint.* Ad hymni iſtius publicum in omnibus Eccleſiis uſum Ruffinus quoque mox laudandus patentibus verbis provocat.

Agitata eſt ſec. III[i] initio hæc quæſtio æſtu diſputationum ſat magno: extat Julii Africani ad Origenem, cui velut antiquo orbis Chriſtiani magiſtro in quæſtionibus circa authentiam ſcripturarum exercitatiſſimo deferendum eſt, & viciſſim Origenis ad Julium Africanum epiſtola OO. Origenis Tom. I. edit. Venet. 1743. pag. 17. data anno Æræ Vulg. 228. aut ex aliorum ſupputatione 12. annis tardius; duabus his epiſtolis nihil eſt apud Veteres hoc in genere celebratius.

Julius Africanus dicebat, ſe antehac hiſtoriæ Suſannæ *gnèſiotèta* (germanitatem) crediſſe, ſed re maturius perpenſa, *miror,* (inquit), *qui te latuerit, hanc libri partem eſſe ſpuriam,* ac mox ea profert contra hanc hiſtoriam argumenta, quibus validiora nec recentior ætas protulit; videlicet, cum non ſit in Hebræo, ſerius tantum adjectam eſſe; occurrit Origenes: *Non repugnat, quominus hæc hiſtoria contigerit, & quæ libidinoſe ſimul, & crudeliter adverſus Suſannam ſeniores perpetrarunt, ea quidem providente Spiritu ſcripta ſunt, ſed poſtmodum a principibus Sodomorum clam ſublata; cum multa alia celarint, nihil ergo mirum,*

ſi Suſannæ etiam, cui libidinoſi ſeniores inſidiati ſunt, hiſtoriam licet verani, ii, qui a propoſito illorum non multum aberant, ſuffurati ſunt, & ſubtraxerunt e ſcripturis.

Obvertit Africanus, ſtylum a Danielis ſtylo differre; regerit Origenes, hoc ſibi prorſus non videri. Inſtat Africanus: Danielem non prophetaſſe ex inſpiratione: replicat Origenes, ſecundum Paulum ad Hebr. 1. multifariam, multisque modis olim Deum in Prophetis locutum. Ruſus opponit Africanus, circumſtantias ſcripti, & hiſtoriæ hujus non ſatis ſapere gravitatem ſcripturæ. Reſponſum accipit, vanam eſſe hanc objectionem, ſic namque & alios ſcripturæ libros ludibrio exponi, uti duarum mulierum hiſtoriam 3. Reg. 3. 16.

Demum ad etymologiam, (originem vocis, ex qua ipſa componitur) ſeu potius illam Schini, & prini, (lentiſci, & ilicis arborum) paronomaſiam (agnominationem, ſcitam alluſionem, ut vox pæne ſimilis ſit, res ſignificata tamen diverſa) recurrit Africanus, quæ oſtendat primitus non Hebraice, ſed Græce tantum hanc extitiſſe narrationem (*o*). Sed levi negotio ab Ori-

(*o*) Ceterum quomodo eadem paronomaſia in Originali quoque verbis *ſecandi*, & *comminuendi* aptari potuerit, non eſt arduum aſſequi; In Chaldaico voces *ſchin*, & *prin* ponamus præextitiſſe, quas Græcus interpres videns alluſioni etiam in Græco congruere, hujus linguæ terminatione donatas (prout etiam alias fieri conſvevit) retinuit. Nimirum quando Daniel unum accuſantium interrogavit, C. 13. v. 54. ſub qua arbore vidiſſet Suſannam cum adoleſcente concubuiſſe, repoſuit ſub *ſchin*, ſeu quia *ſchva* olim mutum fuit, & in ore Judæorum nec hodie ſonat,

Origene refutatur, ea, quam poſtmodum ipſe quoque Hieronymus ſuam fecit, reſponſione: cum originale perierit, proferri non poſſe, indubie tamen talem extitiſſe in Hebræo alluſionem, Græcum autem verſorem arbores ſibi notas ponendo, Græcam excogitaſſe, & appoſuiſſe pa-

ſonat, *ſchin*, vel *ſchinhu*, aut *ſginhu*, *dumetum fuit:* vel *ſiggim* ſepes, vel *ſuchim: ſub ramis*, *& frondibus;* apte retaliat Daniel: Angelus Dei *ſachen*, vel *ſuchinach*, h. e. *ſcindet te medium*, nempe ſeparando animam a corpore; *ſachan* enim valet ſcindere cultro, vel gladio, & *ſachin*, vel *ſachen* apud Hebræos, & Chaldæos Prov. 23. 2. eſt culter, vel gladius; tam bene hic alluſio fieri potuit, ſicut apud Rabbinos, quia *ſachana* etiam periculum ſignificat, ex pari con ciunitate proverbio dicitur: *ſachen bejad ſchotah ſachanah*, h. e. gladius, vel culter in manu ſtulti eſt res periculoſa.

Alter ſeorſim interrogatus reſpondit generice, ſe eos vidiſſe ſub arbore *peri*, ſeu *p'ri* h. e. fructifera, addito *nun* hæmantico, vel Chaldaico *prin;* Daniel denunciat illi: *parar*, *comminuit*, *fregit minutim*, ſeu potius *param: fidit*, *rupit*, *diſcidit*, Angelus Dei te *faprim*, *diſcindet*, vox *prima* Chaldæis, & Rabbinis ſciſſionem, ſciſſuram denotat, adeoque valde prona eſt alluſio.

Hieronymus ita dilucidat: „Cujus rei (ut etiam in Latino ſit alluſio) nos intelligentiam noſtris hanc poſſumus dare: ut verbi gratia dicamus de arbore ilice dixiſſe eum: illico pereas: & a lentiſco; in lentem te comminuat Angelus; vel; non lente pereas, aut lentus, id eſt: flexibilis ducaris ad mortem; ſive aliud quid ad arboris nomen conveniens.„ Præfat. in Daniel.

Recte: neque enim res ſignificata variatur, ut ſi Latinum: multum fellis parum mellis: Hungarice reddas: ſok üröm, kevés öröm. In ſimili caſu Jonæ C. 4. v. 6. *kikajon* Hieronymus hederam, 70. Kolokyntan, h. e. cucurbitam reddunt; Lutherus *ſub ſchino:*

paronomaſiam. Sive arbores pro arboribus poſuiſſe, ut luſum verborum, quem ferebat textus archetypus, ſervaret: *prinos priſei* h. e. ſerra te diſcindet: *Schinos ſchiſei* h. e. ſcindet te medium Angelus Dei. *Invenerunt, quod reſponderet Hebraicis denominativis, ut poſſimus nos quoque Græci eos imitari.* Porro ſic argumentatur Origenes: *vide, ne partem libri Eſther, quæ in Hebræo non extat, legitur tamen in 70. & Theodotionis verſione, rejicientes, exemplaria damnemus, quibus Eccleſiæ omnes utuntur, noſtrisque fratribus injuſtam legem ponamus, cogentes eos, ut ſacros, qui illis præ manibus ſunt, libros abjiciant, ſe ſe Judæis conformaturi, purumque Dei verbum*

---

nio: *unter einer Linden* transpoſuit, h. e. *ſub tilia*, addens in margine: weil der Baum Schinus uns Deutſchen nicht bekannt, hat man einen andern dafür nehmen müſſen. Nobis *prinus*, ſeu ilex ſuibus gratiſſima glande quercus eſt, *Schinus* autem, ſeu lentiſcus juxta Calmetum arbor altitudine quercûs, ornata foliis ſorbo ſimilibus, & odore terebinthi, perpetuo viret, in inſula Chio reſinæ quoddam genus, quod maſtiche vocatur, odoriferum exſudans; nota eſt in Perſide, ubi hæc Daniel ſcribebat, arbor *ſchinar*, procera, & rectiſſimo ſurgens trunco, lentiſcus vero inibi creſcit ad ſtaturam meſpili mediocris; prout Græci authores deſcribunt lentiſcum, magis eſt (thamnodes phyton) frutex, ex quo dentiſcalpia fiunt, ſeu cuſpides dentibus repurgandis propter vim adſtringendi valde accomodæ, qua de cauſa effæminati *Schinotròges* dicti ſunt, quod lentiſcum roderent ad nitelam, alboremque dentium. Eraſmus in prov. Hæc, vel illa arbor fuerit, ad veritatem facti intereſt nihil, quæ ſalva manet, ſeu hæc, ſeu illa arbor ponatur, neque enim ab arboris pendet denominatione.

bum ab his infidelibus accepturi; eſſet hoc magnum ignorantiæ, atque imprudentiæ argumentum. An etiam providentiæ, quæ in ſacris ſcripturis dedit omnibus Chriſti Eccleſiis ædificationem, curæ non fuerunt empti pretio, pro quibus Chriſtus mortuus eſt? cui licet filio non pepercit Deus ipſa charitas, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ut cum ipſo omnia nobis donaret? argumenti vis in eo eſt: Eccleſiam in recipienda hac ſcripturæ parte decipi non poſſe, hoc enim Chriſti meritis, & charitati Patris deberi, ut Eccleſiæ non falſitatem, ſed omnia ea donet, quæ ſunt veritatis. *Vide, ne imprudentes, & inſcientes abrogemus exemplaria, quæ habentur paſſim in Eccleſiis!* provocat ad uſum Eccleſiarum, & traditionem. *Ad hæc conſidera, an non bonum ſit meminiſſe illius dicti: non transpones terminos antiquos,* (al. æternos) *quos poſuerunt anteceſſores tui.* Patenter dicit Origenes: *Ex ſcripturis ea, quæ presbyterorum,* (ſeniorum) *& Magiſtratuum, & judicum continebant vituperationem, quæcunque potuerunt, ſuſtulerunt a cognitione populi, quæ quidem ſervantur in arcanis,* apocryphis, quaſi dicat abditis, uſui publico non expoſitis. Revera auctor *Sepher Juchhaſin* ſeu libri proſapiarum, qui continet hiſtoriam Eccleſiæ Judaicæ ab initio mundi usque ad ſua tempora, ſeu an. Chr. 1500. edit. Cracov. in 4. an. Chr. 1580. hiſtoriam Suſannæ exhibet apud Joſephum Voiſin Obſerv. in procemium Pugionis fidei Ugoll. Tom. 1. pag. 125. quo aſſertum Origenis firmatur. Etiam auctor Judæus Orationis panegyricæ in Machabæos fratres, quæ Joſepho hiſtorico tribui ſolet, clare teſtatur, hiſto-

ſtoriam cum Danielis in ſpecu leonum, tum puerorum in fornace, eſſe partem Scripturæ S. apud Natal. Alex. Suppl. Tom. 1. pag. 54. Addit Origenes, *etiam Tobiæ, & Judith libros Hebraice aſſervari in arcanis, a quibusdam ipſorum Judæorum mihi renunciatum eſt.* Exemplis e variis Scripturæ locis adductis declarat, talem a Judæis factam eſſe depravationem, jam ſilentio preſſa ab illis nonnulla, jam inſerta quæpiam, *quod quidem fortaſſe conſulto per dolum factum eſt a Judæis, quibusdam non decentibus Scripturæ injectis dictionibus, ut toti fides abrogaretur. - - In multis quoque aliis ſanctis libris invenimus alicubi quidem plura eſſe apud nos, quam apud Hebræos, alicubi vero pauciora, exempli cauſa, quoniam non omnia ſimul poſſunt comprehendi, aliqua tantum proponemus.* &c.

Epiſtolam hanc Origenis Hieronymus doctam appellat, univerſus Chriſtianus orbis laudibus effert, quam Euſebius L. 6. Hiſt. C. 23. his verbis commendat „Epiſtola fertur Africani, quod hiſtoria Suſannæ ficta videatur, & aliena a ſcriptura Prophetica, cui Origenes magnificentiſſime reſcribens aſſerit, nequaquam Judæorum commentis, & fraudibus auſcultandum, ſed ſolum hoc pro vero habendum in ſcripturis Divinis, quod 70. Interpretes tranſtuliſſent: nam id eſſe ſolum, quod authoritate Apoſtolica confirmatum eſt.„ adduco hoc teſtimonium poſt alios, nec tamen invenio apud Euſebium cit. l. ſed compendioſius C. 31. ubi Euſebius loquitur de Africano. De cetero ex verbis Origenis in hac epiſtola poſitis aperte conficitur, hiſtoriam Suſannæ, & alias in Hebræo non amplius extan-

tes

tes partes ſcripturæ olim controverſas ipſum acceptaſſe, & habuiſſe non ſolum tamquam veras, & utiles, ſed omnino velut Divinas, & quidem citra omnem dubitationem.

Nec objiciat quispiam, Origenem iis, quæ relate ad 70. verſionem in Hebræo deficiunt, aut abundant, *obelos*, & *aſteriſcos* (*p*) appoſuiſ-

(*p*) *Obelus* inter alia ſignificat veru, olim adhibebatur in operibus Authorum in ſignum reprobationis, ut præpoſitum verſui, aut ſententiæ indicaret, talem ſententiam, aut verſum eſſe ſubdititium, aliena manu poſterius immiſſum, nec ſpectare ad originalem authoris textum, vel ſaltem eſſe ſuperfluum, & non neceſſarium; hinc *obelizein* jam Ciceroni L. 9. Epl. uſurpatum, *verubus configere*, Hieronymo *jugulare:* eſt expungere, vel expungendum declarare: Heſychius vocat virgulam Homeri verſibus appoſitam (rabdon tòis Homeru ſtichòis peritethemenon) S. Iſidorus Hiſpalenſis in Hiſpania Eppus. non tantum Græcis, & Hebraicis literis egregie inſtitutus, ſed etiam etymologiarum, & ſignorum iſtiusmodi ex profeſſo gnarus ita definit: Eſt virgula jacens, apponitur in verbis, aut ſententiis ſuperflue iteratis, ſive ubi lectio aliqua falſitate notata eſt, ut quaſi ſagitta jugulet ſupervacua, & falſa confodiat: ſagitta enim Græce obelos dicitur.

Quoad formam, & ſitum apud Hieronymum in emendatione Pſalmorum eſt virgula horizonti parallela, ſeu rectà jacens — cum duobus punctis uno ſuperne, altero inferne poſitis, præfixa voci ÷, quæ non eſt in Hebræo textu, ſed tantum in 70. virali verſione reperitur, poſt vocem illam duobus punctis tali ſitu appoſitis, ut unum alteri ſuperponatur, ſeu immineat, nempe more noſtro; *aſteriſcus* vero h. e. ſtellula eſt quaſi crux decuſſata X, uti in Matheſi ſignum multiplicationis, vel ⋊, cui, ut ſtellæ radiantis ſpeciem exhibeat, nonnulli puncta immittunt, indicio eſt, vocem, cui anteponitur, (vel etiam plures voces) usque ad duo puncta, quæ, ut mox dictum, hic

ſuiſſe. Nam ſapienti conſilio iſtud egit, non ut talia, quæ obelo prænotata ſunt, rejicerentur, ſed ut quid ſupereſſet, vel deficeret in Hebræo, linguæ

---

hic quoque more noſtro apponuntur, in 70. verſione omiſſam fuiſſe, in Hebræo vero omnino legi. Sed præſtat ipſum audire Hieronymum ſcribentem ad Paulam matronam, & Euſtochium virginem: *notet ſibi quisque vel jacentem lineam* ÷, *vel aſteriſcos* X. *& ubicunque viderit virgulam præcedentem, ab ea usque ad duo puncta: quæ impreſſimus, ſciat in 70. translatoribus plus haberi, ubi autem ſtellæ ſimilitudinem* X. *perſpexerit, de Hebræis voluminibus additum noverit, æque usque ad duo puncta juxta Theodotionis editionem.* Obelos hujusmodi in editione Vallarſii Venet. an. 1770. Tom. IX. apud Hieronymum in ſolo Daniele invenies 469. in Eſthere autem 397. ad indicandum poſitos, quam multi deſuerint in Hebræo verſus jam ætate Hieronymi. Signi utriusque, quod apte exprimat officium, hoc rude carmen erit.

Quodſi deficiat verſor, tibi ſtella notabit,
Aſt obelus quodſi verſor abundet, habet.

Ut exemplo illuſtrem, ſed valde obvio, namque hic meus eſt mos, aſſumamus Pſalmum 42. *Judica me Deus,* &c. ſpera in Deo, quoniam X *adhuc:* confitebor illi ſalutare vultus mei, X *&:* Deus meus. Aſteriſcus, ſeu decuſſata crux deſignat voculas *adhuc*, *&*, in Hebraico *yod ve* reperiri, in 70. autem deſiderari, quas ex originali Hieronymus deinde appoſuit. E contra Pſ. 1. Et erit tamquam lignum ÷ *quod:* plantatum ÷ *eſt:* ſecus decurſus aquarum. Cum Hebræus habeat tantum participium paſſivum *ſchathul* h. e. *plantatum*, ſeu, ut in elementaribus ſcholis loqui ſolemus: *omiſſo qui*, obelus præfixus lectorem admonet, *quod*, & *eſt*, in Hebræo non eſſe. Sic Pſ. 4. 14. A fructu frumenti, vini, ÷ *& olei:* ſui multiplicati ſunt. *& olei* deeſt in Hebræo. Pſ. 21. 1. Deus meus ÷ *reſpice in me:* quare me dereliquiſti? indicatur voces *reſpice in me* energiæ, & claritatis cauſa a 70. adjectas abeſſe ab Hebræo, uti etiam Chriſtus his prætermiſſis ad Patrem juxta Hebræum textum exclа-

guæ hujus ignaris innoteſcat, ne Judæi Chriſtianos, velut ejus, quod in fonte latet, rudes derideant, & contemnant, quæ ipſa cauſſa fuit, cur in octaplis poſt Hebraicos charactcres textum Hebraicum græcis quoque litteris exhiberet, ut ex verbis ejus jam antea adductis clareſcit, præterea Tom. 15. in Matth. dicit „Sed quæ in 70. propter exemplarium varietatem dubia erant, e reliquis editionibus æſtimatione facta -- & nonnulla quidem in Hebræo non extantia obelo confiximus, cum ea penitus rejicere minime fuerimus auſi.„ Itaque, poſtquam conſtat Origenem (uti & Hieronymum) quæ in Hebræo deſunt, nunquam rejeciſſe, imo in his Judæos temeratæ Divinæ lectionis accuſaſſe, obelus apud ipſum dicatur, per me licet, ſignum reprobationis *negativæ*, & *reſpectivæ*, h. e. potius indicium ejus, quid non ſit poſitum in Hebræo, adeoque etiam non proferendum *contra Judæos*, non tamen dici poteſt ex mente Origenis eſſe ſignum, *poſitivæ*, & *abſolutæ* reprobationis, ac realis abjectionis. Ita Epiphanius, & Rufinus mentem Origenis interpretantur: ille L. de pond. & menſ. Nr. 2. „Aſteriſcum appoſuit Origenes, non quod addita illa vocabula admodum neceſſaria ſint, cum ſupervacanea videantur, ſed ne Judæis ullam calumniandi ſacras literas, quibus in Eccleſiis utimur, occaſionem relinqueret, cum nihil in ſubtractis iis vocibus contra fidem eſſet, quod reprehendi merito poſſet.„ Plura hic in laudem 70. verſionis pro-

clamavit: Eli Eli lamma Schabaktani! verbo tamen *yazab* Hebraico, in Chaldæo-Syriacum ejusdem ſignificationis *ſchabak* converſo.

proferτ „Obelus (inquit) aliis haſtá, appoſitus eſt dictionibus Divinæ ſcripturæ apud 70. interpretes poſitis, quæ apud Aquilam, & Symmachum non habentur; nam 70. interpretes has dictiones a ſe ipſis appoſuerunt non fruſtra, ſed potius in utilitatem; cum enim ad defectuoſas dictiones illas appoſuerint, lectionem ad claritatem deduxerunt, ut credamus nos etiam participes ipſos factos fuiſſe Spiritus S. „ Addit inſuper, ubi plus 70. addunt, hoc ipſum ex inſtinctu Spiritus Divini provenire; „ admirari porro licet ob hoc, & minime audere reprehenſionem inferre, ſed potius laudem, cum pius homo intelligat, ex Dei conſilio ſic factum eſſe. „

Rufinus vero L. 2. Invect. adver. Hieron. „ Quia frequenter, ſi diſputatio incidiſſet, vel immutata eſſe aliquanta, vel deeſſe, vel abundare in noſtris ſcripturis mentiebantur, voluit Origenes noſtris oſtendere, qualis apud Judæos ſcripturarum lectio teneretur; ut ſciremus non quid nobis, ſed quid Judæis adverſus nos certantibus, aut deeſſe, aut abundare videretur. „ Auguſtinus quoque dicit L. 18. de Civ. C. 43. Interpretes, qui Græcam 70. viralem verſionem ex hebræo emendandam putarunt, non tamen auſos eſſe detrahere, quod Hebræi non habebant, ſed tantum velut in quoddam indicium virgulis jacentibus, ſicut apud nos (inquit) ſcribuntur unciæ, ſignaviſſe.

Quamvis igitur ſigna Origenes appoſuerit, ut lectionis ſeu per exceſſum, ſeu per defectum diſcrimen illico appareret, ſemper tamen verſioni 70. puræ, atque integræ plus deferebat, quam Hebræorum codicibus in nonnullis locis jam tum vitiatis; ſemper Adamantius noſter

Eccle-

Eccleſiæ authoritatem Synagogæ prætulit; ſemper Judæos, ut infideles, & impoſtores ſpectavit. Hom. 12. in Jer. *Judæi, qui exemplaria nonnulla falſarunt, etiam in hoc loco: peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo: pro peccato Judæ peccatum eorum poſuerunt.* Hom. 1. in Lev. *Sed tempus eſt nos adverſus improbos Presbyteros uti S. Suſannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes, hiſtoriam Suſannæ de Catalogo Divinorum voluminum deſecarunt. Nos autem & ſuſcipimus, & opportuna contra ipſos argumenta proferimus.*

Hieronymi quidem ſententia doctis quibusdam viris pro ratione temporum variaſſe videtur, nempe multa fari ante Eccleſiæ definitionem impune licet, quæ poſtea, quia hæc dubium tollit, dicere eſt nefas; ſic, quemadmodum jam inſinuavi, Lyranus, Chartuſ. & pauculi alii partium iſtarum authentiam ante Concil. Trid. innoxie negarunt. Ego tamen non dubito verba Hieronymi, dum controverſis Danielis, & Eſtheris partibus ſe non ſatis æquum præbere videtur, ad mentem Judæorum explicari oportere, ſecundum quos ut loqueretur, ſui defendendi ratio poſtulabat; nec mirum, ſi, qui Hebraica vertit, & contra reprehenſores acerrime tuitus eſt, ad Hebræorum mentem ſit locutus, licet ipſe partium illarum veritatem agnoſceret; non negat hiſtoriam Suſannæ Scripturæ S. partem eſſe, aut ab Eccleſia velut ſacram, ac Divinam agnoſci, ſolum affirmat ſe adnotaſſe ad aliorum intelligentiam, in Hebræis codicibus non haberi, imo vero L. 5. commentariorum in Jeremiam ad C. 29. hanc hiſtoriam veluti certam, & indubitatam ſupponit,

& a Daniele ipſo profectam, proin originarie Hebraice ſcriptam, & ut talem citat.

Fabulas vocat, *veru antepoſito jugulat* multa, nec cetera ideo intacta relinquit, quaſi neceſſario recipienda eſſent, ſed *ne videretur apud imperitos magnam partem voluminis detruncaſſe;* fidenter pronunciat, ſe non debere reſpondere Porphyrio pro his partibus, quæ nullam ſcripturæ ſacræ authoritatem præbeant.

Sed nempe fabulæ ſunt ex mente Judæorum, nam dicit, quum hac voce uſus eſt, ſe explicaſſe non quid ipſe ſentiret, ſed quid Judæi ad hanc narrationem ſoleant reſpondere; atqui ſi vocem fabula pro ficto ſermone uſurpaſſet ex ſua ſententia, explicaſſet utique, quid ipſe ſentiret; ergo vocem iſtam non uſurpavit pro ficto ſermone ex ſua ſententia. Inſuper vox hæc, ut Græca *mythos*, quandoque omnem etiam verum notat ſermonem, quemcunque fando proferimus, ut Plautus, aliique probabiles authores adhibent, & a Lexicographis adnotatur; ſic certe idem S. vir capit epl. ad Caſtrutium: *brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit*, realem, non fictitium eventum ibi narrat, alioquin ſi accidit, vera relatio fuit; idem in Philem. *totam Sampſonis fabulam* dicit, ac quæſt. in Gen. 10. 28. Hebræorum quamdam traditionem & veram agnoſcit narrationem, & fabulam vocat. Non abſimili phraſi ſcripturæ Luc. 24. 15. profecti in Emaus duo diſcipuli de Chriſto *fabulabantur*, id eſt: ſermonem de veritate eventûs ultro, citroque ducebant, ſeu, ut vulgo dicitur, diſcurrebant; adde, verum ſermonem, ſed qui ſingulares, & creditu difficiles circumſtantias involvit, *fabulam* etiam eo ſen-

ſu

ſu dici poſſe, quod ſpectato communi rerum curſu pro figmento haberi ſoleat, qualis ille E. G. de trium puerorum conſervatione in medio ignis videri potuit.

Jugulantur, vel, ut alibi loquitur: *obelo prænotantur:* quare? ſuorum verborum ipſe ſit optimus interpres: *Nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has viſiones obelo prænotavimus, ſignificantes eas in Hebraico non haberi.* Comment. in Daniel. jugulantur, in ſignum, quod non ſint in Hebraico ſui temporis, & abſint a Canone Hebræorum, nequaquam vero, quaſi falſum continerent. Epl. ad Aug. 89. declarat, ſe priori ſuæ translationi exemplo Origenis ſigna appoſuiſſe, non ut editionem 70. reprehenderet, quam potius emendatam de Græco in Latinum transtulerat, ſed *ut ea teſtimonia, quæ a Judæis prætermiſſa ſunt, vel corrupta, proferret in medium.*

Rurſum præf. 2. in Paral. dicit obelo ſignari, *quid 70. addiderint vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritûs S. auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.* Non legebantur ſcilicet veritates huiusmodi *in Hebraico ſui temporis*, utpote inde Judæorum malitia eraſæ, atque hinc etiamſi partes illas omiſſurus erat, volumen non detruncaſſet *Hebraicum ſui temporis*, detruncaſſet tamen volumen Eccleſiæ, quia vero imperitis diſcrimen iſtud impervium erat, ideo, etſi Hebraica verſaret, tamen etiam ea inſerto ſigno ponere oportuit, quæ præter Hebræum textum Eccleſiæ Chriſti legunt. Porphyrio autem ethnico, Epicuri de grege viro revelationem aſpernanti reſpondere nec Hieronymus, nec ullus alter debuit, niſi ea vindicando, quæ etiam ex Judæo-

dæorum ſententia Divinæ forent authoritatis, quorum libros iſte falſitatis convincere voluit.

Natalis Alex. Tom. 1. Suppl. pag. 53. ab hac objectione ſic ſe expedit: „Hieronymus dum de Danielis partibus loquitur, etſi nævum ſuum emollire exemplo Origenis conetur, qui Porphyrio ſic reſponderit, hæc aſſirmanti Hieronymo nonniſi timidam, & vacillantem fidem tribuimus; ſuis non caruit nævis S. Doctor, non eodem ſemper modo locutus eſt, nec ita recte, dum nimio impetu adverſus 70. virorum verſionem ferebatur, ſic qui citatiori curſu rapiuntur, etiam abripiuntur ultra metas.„

Non tamen videtur neceſſarium de S. Hieronymo ita judicare, cum controverſa hæc fragmenta ipſum pro veris ſcripturæ partibus habuiſſe præter jam adducta, hæc etiam, quæ conſequuntur, non obſcure ſvadeant. 1° Quod ex Cap. 14. Eſtheris velut libro Canonico Verſum XI. citet in C. I. Joeſis „qui eſt miſit me: ad diſtinctionem enim eorum, qui non ſunt, de quibus in Heſter legimus: ne tradas ſceptrum tuum his, qui non ſunt. Et L. 2. contra Jovin. C. 10. exemplo Danielis in lacum leonum miſſi jejunium commendat, indubie non tamquam fabula, ſed veritate.„ Quam pulcra res, quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret: mittitur ad eum (licet hoc in Hebraicis voluminibus non invenerimus) Habacuc meſſorum prandium portans: talem enim diſcophorum inedia meruerat hebdomadis.„

2° Dum a Rufino traditionem Eccleſiæ opponente novitatis tentatæ accuſaretur, manifeſta ſententiæ propriæ explicatio. Sic namque iſte arguebat L. 2 adverſus Hieronymum: *Quis*

ergo

ergo in iſta eruditorum virorum copia auſus eſt inſtrumentum Divinum, quod Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt, & depoſitum S. Spiritus compilare? (h. e. ni fallor, furto, partium ſubtractione diminuere, ut Cicero, & Horatius uſurpant) *an non eſt compilare, cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? nam omnis illa hiſtoria de Suſanna, quæ caſtitatis exemplum præbebat Eccleſiæ Dei, ab iſto abſciſſa eſt, & abjecta, atque poſthabita. Trium puerorum Hymnus, qui maxime diebus ſolemnibus in Eccleſia Dei canitur, ab iſto e loco ſuo penitus eraſus eſt. Quomodo ergo iſti* (Apoſtoli) *qui præcipiebant diſcipulis, ut attenderent lectioni, emendatas eis, & veras non dabant lectiones? & qui præcipiunt, ne attendamus Judaicis fabulis, & genealogiis, quæ quæſtiones magis præſtant, quam ædificationem: & iterum cavere nos jubent, & obſervare maxime eos, qui ex circumciſione ſunt: quomodo non prævidebant per Spiritum, quod futurum eſſet tempus poſt* 400. *fere annos, quando Eccleſia cognito eo, quod ab Apoſtolis non ſibi eſſet tradita veritas V. inſtrumenti, legatos mitteret ad illos, quos illi tunc circumciſionem vocabant, obſecrans, & exorans, ut ſibi de veritate, quæ apud ipſos eſt, aliquid largirentur? modo tu dicis: omnis, qui putat Suſannam nuptis, & innuptis exemplum pudicitiæ præſtitiſſe, erravit, non eſt verum. Et omnis, qui putabat, quod puer Daniel Spiritu S. fuerit repletus, & arguerit adulteros ſenes, erravit, non erat verum. Et omnis Eccleſia per orbem terrarum, ſive eorum, qui in corpore ſunt, ſive eorum, qui ad Dominum per-*

 rex-

rexerunt, ſive illi S. Confeſſores fuerunt, ſive etiam S. Martyres, quicunque hymnum trium puerorum in Eccleſia Domini cecinerunt, omnes erraverunt, & falſa cecinerunt. Modo ergo nobis poſt 400. *annos legis veritas empta prêtio de Synagoga procedit.*

Urget ultro hac ratione: Si ab Hebræis veritas Scripturarum diſcenda ſit, ex gentibus adſcitam eſſe Sponſam ab Apoſtolis, ſed non veris monilibus ab eis exornatam: ſe putaſſe lapides eſſe pretioſos, nunc autem deprehendiſſe, quod non ſunt veræ iſtæ gemmæ, quas ſibi Apoſtoli Chriſti impoſuerunt: erubeſcere ſe ad publicum procedere, falſis, & non veris lapidibus adornatam, ab oſoribus Chriſti veros uniones emendicare debere, quos apud Chriſti diſcipulos habere nequeat, (continuat) *cur Petrus, qui Romanæ Eccleſiæ XXIV. annis præfuit, falſas ſcripturas tradidit? cum ſciret, quod verum eſt, haberi apud Judæos, apud Chriſtianos volebat haberi, quod falſum eſt? poſt* 400. *annos non debere ſimplices Latinorum aures novæ doctrinæ voce pulſari &c.* Quærit ex Hieronymo, an ideo vertere velit, *ut Scripturarum Divinarum libros, quos ad pleniſſimum ſidei inſtrumentum Eccleſiis Chriſti Apoſtoli tradiderunt, nova nunc, & a Judæis mutuata interpretatione mutaret? -- Iſta vero, quæ nunc tu interpretaris, & per Eccleſias, & monaſteria, per oppida, & caſtella transmittis, quomodo ſuſcipiemus?*

Demum animadvertit, Paulum Hebræum de Hebræis ſciviſſe illud idioma, nunquam tamen eo relegaſſe, nec converſas gentes compuliſſe ad Hebræorum exemplaria; Hebrææ pariter, & Græcæ linguæ callentiſſimos fuiſſe ſeculo primo converſos,

ſos, neminem tamen cogitaſſe hoc temerare, quod Spiritus S. in N. T° probaverat. 70. Verſionem Spiritus S. directione confectam ſufficere, neque ab aliquo Barabba diſci oportere, quod 400. annis Eccleſia ignoravit. Hæc accuſationis Ruſinianæ ſumma eſt, quam prolixius retuliſſe ad præſens inſtitutum non parum facit.

Ad quam Hieronymus inter cetera Apol. adverſus Ruf. L. 2. C. 9. ita reponit. *De Daniele autem breviter reſpondebo, me non negaſſe eum Prophetam, quem ſtatim in fronte prologi Prophetam eſſe confeſſus ſum, ſed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis ſuam niterentur probare ſententiam, voluiſſe monſtrare, & docuiſſe lectorem, Eccleſias Chriſti hunc Prophetam juxta Theodotionem legere, & non juxta 70. translatores, quorum ſi in iſto libro editionem dixi multum a veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti judicio reprobatam: non eſt meæ culpæ, qui dixi, ſed eorum, qui legunt. In promptu ſunt quatvor editiones, Aquilæ, Symmachi, 70. & Theodotionis. Eccleſiæ juxta Theodotionem legunt Danielem. Ego quid peccavi, ſi Eccleſiarum judicium ſecutus ſum? quod autem refero, quid adverſum Suſannæ hiſtoriam, & hymnum trium puerorum, & Belis, draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi ſoleant dicere: qui me criminatur ſtultum, ſe ſycophantam probat. Non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſoleant, explicavi; quorum opinioni ſi non reſpondi in prologo brevitati ſtudens, ne non præfationem, ſed librum viderer ſcribere, puto, quod ſtatim ſubjecerim; dixi enim: de quo non eſt hujus temporis diſſer-*

ſerere. Alioquin & ex eo, quod aſſerui, Porphyrium contra hunc Prophetam multa dixiſſe, vocavique hujus rei teſtes Methodium, Euſebium, & Apollinarium, qui multis verſuum millibus ejus veſaniæ reſponderunt, me accuſare poterit, quare non in præfatiuncula contra libros Porphyrii ſcripſerim. Quaſi dicat: Cum Judæis non ſentio, eos tamen fuſius refellendi locus tum, quando ex eorum ſententia in prologo locutus ſum, non erat. Identidem ingeminat, non eſſe ſuæ intentionis, per verſionem aliquid innovare, ſed unicè Chriſtianos adverſus Judæos ex ipſis fontibus præmunire. *Mihi non licebit ad confutandos Judæos etiam ipſa exemplaria vertere? ut, ſi quando adverſum eos Chriſtianis diſputatio eſt, non habeant ſubterfugiendi diverticula, ſed ſuomet potiſſimum mucrone feriantur. - - Reſtituat mihi Deus in futuro mercedem, qui ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione ſudavi, ne Judæi de falſitate ſcripturarum Eccleſiis ejus diutius inſultarent.* 70. viralem ſuſcipit, & veneratur, modo a mendis tardius illapſis repurgetur „Si 70. interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa éſt, editio permaneret, ſuperflue me Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime, atque doctiſſime impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino ſermone transferrem; quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat, etiam noſtro ſilentio comprobari, nunc vero cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa, antiquaque translatio corrupta ſit, atque violata„ &c. Præf. in L. Paral. obſervat mendas transſcriptoribus, non 70. viris attribuendas

eſſe

eſſe „Nec hoc 70. interpretibus, qui Spiritu S. pleni ea, quæ vera fuerunt, tranſtulerunt, ſed ſcriptorum culpæ adſcribendum, dum de emendatis inemendata ſcriptitant.„ Ad Domion. & Rogat. Item Comment. in C. 30. Iſa. in C. 5. Ezech. ſe contra 70. verſionem profitetur nihil locutum, utpote quam & verterit, & in conventu fratrum ediſſerere ſoleat, quaſi vero ideo Hebraica transferret, ut, quæ ibi non leguntur, rejiciat, id vero a ſe etiam laborioſius amolitur L. 2. Apol. adv. Ruf. præf. in libr. Pſal. „ In iis, quæ addita ſunt, (à 70.) non verba conſideranda, ſed ſenſus, ad quem 70. de ſuo nihil addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non ſunt, adjunxerint.„ L. de opt. genere Int. Cum autem vulgata 70. viralis verſionis exemplaria ævo ejus varie fuerint corrupta, addit ſeqnentia: „Ea autem (verſio 70.) quæ habetur in hexaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt, quæ eruditorum in libris incorrupta, & immaculata 70. Interpretum translatio reſervatur. Ab hac quidquid diſcordat, certum eſt etiam ab Hébræis codicibus diſcordare.„ Unde, quando 70. viralem repudiare vir ſanctus videtur, errata *tès koines* h. e. vulgaris editionis tantummodo cenſendus eſt rejicere, minime autem illa capitula, quæ hæc verſio præter Hebræum illius ætatis textum continebat.

Poſtremo: ſingularis illa veneratio, qua in Eccleſiam ferebatur, pro Hieronymo facit, ut credamus, huic in hoc negotio maximo, plus, quam Synagogæ detuliſſe: exemplum in libro Judith præbuit, dum hujus ex Chaldæo ſermone in Latinum translationem poſtulantibus, etſi apud Judæos in canone non contineretur, illico ac-

 qui-

quievit, eo, quod librum hunc a Nicænis PP. receptum fuiſſe intellexit; „Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ. „Accedit ab Hieronymo quæpiam nihilo minus aſpera de VII. devtero-Canonicis V. imo, & N. Tti libris enunciari, pag. 170. quos tamen pro Divinis habuiſſe adverſarii pro certo habent. Ex quibus omnibns confici videtur, Hieronymum quoad controverſa hæc fragmenta non cum Judæis, ſed cum Eccleſia Catholica ſenſiſſe, neque voluiſſe traditioni contravenire.

Opponis: Saltem fragmenta Eſtheris Hieronymum pro verbo Dei nunquam agnoviſſe, ſic enim loquitur: *Librum Eſtheris variis translatoribus conſtat eſſe vitiatum, quem ego de Archivis Hebræorum revelans, verbum e verbo preſſius transtuli; quem librum editio Vulgata laciniosis hinc inde ſinibus* (quædam MSS. funibus, alia finibus ferunt) *trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant, & audiri. Sicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam paſſus eſt, vel ille, qui injuriam fecit.*

Verum hinc illud unum recte deducitur, ejus, quæ ex editione 70. *Communi* expreſſa, & nondum ad puram Hexaplarem exacta erat, *Veteris Italæ* varias lacinias, & mendoſas, ac ſuperfluas *translatorum* additiones ipſum rejeciſſe, editionemque ſuam novam ab iis liberaſſe, quod optime factum; namque inanibus hujusmodi adjectiunculis exemplaria complura fædata fuiſſe, patet ex MS. codice Sangermanenſi, qui Vulgarem, ſeu Italam ante S. Hieronymum uſu receptam complecti videtur, ubi tum alia,

alia, tum C. 15. verſum 5um narratiunculis inſercit prolixioribus. Aliud vir Sanctus judicavit de iis additionibus, quæ hic in quæſtionem vocantur, quas religioſius ſervandas ratus, in calce verſionis ſuæ appoſuit, ſimul notans, quem locum in Græco textu tenerent, inquit Calmetus. Et vero fuerint *ante emendationem Hieronymi quædam* Vulgatæ *exemplaria* ſic depravata, poſtquam tamen vetuſtas, & labor Hieronymi vera a falſis diſcrevit, hodie aliquid demere, vel immutare haud eſt integrum.

Si tamen hæc, aut ſimilia Hieronymi verba contra id, quod proponit Eccleſia, ſonare contendis, dum ille Apoſtolos 70. verſoribus prætulit, ego ipſi Eccleſiam, cujus in interpretandis ſcripturis maximus Doctor, filius tamen erat, fidenter præfero; quod ut facerem, ipſe me docuit, dum ad Damaſum ſcribens; omnem, qui extra hanc domum agnum comederit, prophanum dixit. Si Hieronymus æſtu diſputationis, dum potentius impugnaretur, ſuſceptumque laborem ſuum defendendi zelo, aliquid decreto Concilii, quod jam habemus, minus cohærens locutus eſt, ſemper mihi aliorum Patrum potior erit authoritas, ex quibus loco omnium, quia eos adferre longum foret, ſit Auguſtinus, qui dum ex C. 16° Eſtheris textum adduxiſſet, concludit: *Hoc verum eſſe non conjectura ſuſpicamur humana, ſed evidentiſſima Divinarum ſcripturarum authoritate dignoſcimus.* Suſannæ autem hiſtoriam ſerm. 343. ultimæ edit. Paris. his verbis proponit: *Divinæ lectiones, & ſancta oracula Dei, quæ inſonuerunt in auribus noſtris, nidum faciant in mentibus noſtris. Audivimus de Suſanna lectionem, ædificetur*

pu-

pudicitia conjugalis - - *conſcripta ſunt verba ejus, quæ habuit in paradiſo, hoc eſt, viridario ſuo.* Plane non poterant eſſe controverſa hujusmodi loca ſcripturarum in nobiliſſima Africanorum Eccleſia, ſi Hipponenſium Epiſcopus tam aperte loquitur.

Bene iterum in rem meam Calmetus: licet in multis deſint exemplaribus multijugaque ſit varietas, *nec tamen jure quis in ſuſpicionem revocaverit tamquam minime Canonica fragmenta illa, quæ in noſtris Bibliis poſt capitis* 10mi *verſum* 4tum *ad exitum usque libri leguntur. Eccleſia, & PP. in tot exemplarium, & additionum varietate ſatis diſtingvere noverunt, quid legitimum, quid verum, & Dei afflatu dictatum eſſet.*

Namque in hiſce ſecus interminabilibus obſcuritatibus, atque ortis inde diſſidiis, tutiſſima, breviſſima, nec admodum laborioſa via eſt aſſequendæ veritatis, Eccleſiæ traditio, quam ſolam aliquid novare volentibus, velut clypeum antiqui ſemper oppoſuerunt. Bene Richardus Simonius: *Fieri nullo modo poteſt, ut libri Divini explicentur, niſi ex notionibus, quas de religione invexit traditio.* Nihil certi de religione affirmare quempiam poſſe, niſi traditionem cum ſcripturis conjungat; ex vetuſta hac Chriſtianæ religionis epitome difficilia Bibliorum loca interpretanda eſſe, propterea Patres Conc. Trid. prudenter juſſiſſe, neminem adverſus unanimem Patrum ſententiam ſacras litteras explicare. Hiſt. Crit. procem. *Extitit perpetuo in Eccleſia quædam religionis ſynopſis, a ſcriptura non pendens, ad quam redigendum eſt, quidquid in ſcriptura obſcurum eſt; ordinem hunc ſecuta*

ſunt

ſunt Concilia in deciſionibus, in quibus Epiſcopi narrabant fidem in ſuis Eccleſiis receptam. Non eſt viſum ipſis, confugiendum eſſe neceſſario ad Grammaticos, & criticæ peritos, ut locus aliquis Bibliorum difficilis explicaretur. Hiſt. Crit. L. 3. C. 10. pag. 401.

Occurrunt nihilominus, atque ex ipſis ſanioris Critices (*q*) regulis fragmenta hæc repudiari

(*q*) Critica non utique ad corrigendum Dei verbum, ſed ad illud, quantum quidem poſſibile eſt, ab omni humana admixtione liberandum adhibetur, ut ſacræ litteræ, prout a Spiritu S. ſunt dictatæ, nativæ ſuæ reddantur integritati; quod ubi fit, non in dictata Spiritûs S. (abſit) ſed in falſariam manum hæc dictata temerantium, authoritas exercetur, & fortuitæ corruptelæ præcaventur. Ego vero de Criticis noſtri temporis, ut candide eloquar, quod ſentio: Hodiernæ Critices principia magna ſunt rectæ interpretationis adjutoria, nec exiguæ in ſecretione veri a falſo utilitatis, non tamen abſolute neceſſaria, e quibus, niſi moderata ſit eorum applicatio, hæc incommoda naſcuntur haud toleranda.

1. Quia Critices hujus adminiculo plus ſe effecturos, quam Eccleſiæ magiſterio, ſibi vane perſvadent homines præſidentiſſimi, dum Eccleſiam ſupremum judicem ſtatuere renuunt, in hujus locum, ac dignitatem criticen ſufficiunt.

2. Invehunt novas, ſicut placuerit, explicationes, vocum ambiguarum ſignificationes, quas libuerit.

3. Inſtaurant, reconcinnantque fontes, & verſiones illa ſcilicet Dea dirigente, quam nullibi exiſtere, niſi in cerebro humano, certiſſimum eſt.

4. Sic religionem in ſcripto Dei verbo fundatam non a ſcriptura, ſed humanis in ſcripturam commentis, id eſt: fallacibus opinionibus pendere.

5. Supremam, ac inviolabilem ſcripturarum dignitatem, verumque ſenſum Criticæ, & Grammaticis regulis ſubmitti.

6. Quia

ri debere e recentioribus Lud. Capellus, ſubacti alias judicii criticus, reformatus, & alii: ex antiquis apud Hieronymum præf. in Daniel. Judæi

6. Quia hæc Critica olim exculta non fuit, veterum authoritatem, quippe tam ſalutari medio deſtitutam ſusdeque haberi.

7. Nec in unanimi Patrum expoſitione, nec in Eccleſiæ definitione, nec in ſe ipſo quempiam circa ſcripturarum ſenſum acquieſcere poſſe.

8. Generalem quamdam in ſcripturas incertitudinem, & ſcepticiſmum invehi.

9. Loco Divini ſenſus humani ingenii partum offerri.

10. Demum quod Eccleſiæ negatur, jus ſenſum ſcripturarum declarandi, alia via, ſed indirecta, & tortuoſa privato cuivis homini concedi.

Sufficiat, aliis prætermiſſis in triſte exemplum afferre, quæ Pater Hermannus Goldhagen Tom. 1. Vindiciarum in ſcripturam Præf. pag. 24. ſic eloquitur. „ Cum dolore, ac luctu videmus, a magnis hodie inter Proteſtantes litteratis *apocryphi* (ejus, quod in authoritatem ſcripturæ admitti non debet) notionem ad plures etiam libros protocanonicos, aut inſignes eorum partes extendi, immo non plura tantum vocabula, ſed integras quoque ſententias, ſiqua difficultas, vel varians lectio eos afficiat, a libris canonicis reſecari, & extrudi: ſatis eſt nominare Cel. apud Hallenſes Joan. Sal. Semlerum; & Cel. apud Goettingenſes Joan. Davidem Michaëlis, quorum prior libros nonnullos etiam protocanonicos a Canone excludit, aut longas in iis pericopas, bene multas ſententias, multo plura vocabula exterminat; poſterior in Orientali ſuâ Bibliotheca, primi Evangelii, ſeu ſecundum Matthæum prima duo capita partem eſſe Evangelii negat, apocryphis adnumerans, in quibus tamen palam eſt, gravia religionis Chriſtianæ momenta contineri; in rejicienda a Canone Apocalypſi, quam tamen heterodoxi neutiquam dubitant eſſe Theopnevſton, Semlero, in Eſtheris libro, licet protocanonico, repudiando Oedero conſentit, additque, adhuc pro

dæi urgent: *Incredibile eſſe, tantum ocii fuiſſe tribus pueris, ut in camino æſtuantis incendii metro luderent, & per ordinem elementa omnia ad Dei laudem provocarent.* Præterea: *non magnum fuiſſe in Daniele Divinæ inſpirationis indicium, draconem offà picis interfectum eſſe; vel Sacerdotum Belis machinas deprehenſas, quæ magis prudentia ſolertis viri, quam Prophetali Spiritu eſſent perpetrata.* Nec deſunt, qui obſervent, etiam Chronologicas difficultates nonniſi rejectione harum partium tolli.

Sed in vanum abeunt hæc omnia: ubi enim Deus vim urendi igni eripuit, ſeu naturalem ejus proprietatem, ne in vicina corpora ageret, impedivit, idem erat, atque nullos ignes perſen-

pro Lutherano a ſuis habendum eſſe eum, qui Eſtheris librum Canonicum eſſe negat, aut omnium apocryphorum peſſimum judicaverit. Orient. Biblioth. 2. par. pag. 9. In ſcrutinio de Canone ſcripturarum ad judicium Synagogæ, vel Eccleſiæ Chriſtianæ male provocari affirmat, exquiri debere ſenſum Judæorum Chriſto, & Apoſtolis coævorum, cupere ſe eruditum aliquem Judæum de his audire, qualis nunc Berolini eſſet Moſes Mendelſonius. Scilicet! totum Judæorum ſynedrion, Omnes Patres, & concilia omnia, univerſa Chriſti Eccleſia, quotquot ante nos vixerunt veteres, aberrarunt, & quidem per duo de viginti ſecula, quis igitur in tanta caligine tam cernit acutum, omnes ut ei ſeſe in diſciplinam tuto poſſint tradere, ipſe quoque Michaëlis? heri natus Berolinenſis Judæus Moſes Mendelſonius! O infelicia ſecula priora, quæ talem, ac tantum videre virum non poterant! nempe ſubtilia ingenia obſtetricante privato ſpiritu parturiunt, craſſus, & perniciosſus error naſcitur, famigerata ſeculo noſtro nomina, præcipue de lingvarum Orientalium notitia laudum encomiis in cælum efferuntur, a quibus dum Chriſtiana religio tutamen expectat, ruinam reportat.

ſentiſcere: de quo inſigni profecto miraculo juſtum erat, ut & ipſi Deum exuberanti gaudio laudarent, & elementa omnia, in quorum unum potentiam ſuam altiſſimus in commodum ipſorum nunc oſtendit, ad ipſum laudandum provocarent, metra aut Divino inſtinctu, quo hîc omnia aguntur, edocti: aut oden Euchariſticam vulgari Judæorum uſu ad glorificandum numen conſecratam adhibentes. Draco interfectus, & detectæ ſacrificulorum impoſturæ Danielis prudentiam, & ſagacitatem ita commendant, ut Prophetiæ quidem donum non exigant, neque tamen excludant; Nec enim omnia, quæ Prophetæ agunt, Prophetica ſunt. Capello eruditum Proteſtantem Joan. Druſium oppono, qui formatis hujusmodi in hæc ipſa Eſtheris capita objectionibus hac Critices lege ſatisfacit. *Quum a tempore, quo libri hi ſcripti ſunt, diſtemus maxime, neque hiſtoriæ tam remotorum ſeculorum notitiam habeamus niſi obſcuriſſimam, non licet nobis absque temeritate ob hiſtoricas, aut Chronologicas conjecturas illud rejicere, quod ab auctoribus, qui nobis proximiores fuêre temporibus illis, receptum novimus, quin iis, quæ nos morantur, difficultatibus deterrerentur.* Nonne hæc prudentiæ regula eſt? animadvertunt alii, etiam heterodoxi, difficultates hiſtoricas, & chronologicas ex legibus Critices, libris etiam proto-Canonicis pares objici, neminem tamen ab aſſerenda eorum authentia propterea deſiſtere. Manet itaque harum partium, quamvis deſint in Hebræo, certa, irrefragabilis, & Canonica authoritas.

Co-

Corollarium.

Recepta, & approbata hactenus Vulgatæ lectio ſolum ex eo, quod ipſa hodie in fontibus vel penitus non, vel aliter habeatur, ſolicitanda, & loco movenda non eſt, quia hæc a textu Hebræo, & Græco, qualis hodie circumfertur, non amplius ita ſuſpenditur, ut ad eum velut fontem ſuum, ſicut nonnulli volunt, neceſſario, & ubique reformari debeat. Namque

1o Non pendet, niſi a veris ſuis fontibus, quales hodierni codices non ſunt, quos non tantum antiquitate, verum etiam fidelitate exæquat, imo in non paucis ſuperat. pag. 118. & 121.

2o Fontes, e quibus translata eſt, erant autographis conformiores, proin codices probatiores, verarum lectionum tenaciores.

3o Si hodiernis fontibus abſolute, & in omnibus eſſet deferendum, reſecari e Vulgata deberent ſeptem capita Eſtheris poſteriora, in Daniele hymnus trium puerorum, hiſtoria Beli, & draconis, ac Suſannæ, quæ caſtitatis exemplum præbet Eccleſiæ Chriſti.


4o Falſa, proin rejicienda eſſet Concilii Tridentini definitio, vi cujus tamquam partes verbi Divini ſuſcipere cogimur etiam fragmenta illa, quibus fons Hebræus jam hodie deſtituitur; Tridentinum enim Conc. ut non vane obſervat P. Antoine Tom. 1. Dogm. pag. 61. edit. Venet. 1764. vetando, ne Vulgata quovis prætextu rejiciatur, hanc indirecte, & conſecutive fontibus, qui ſub ætatem Concilii circumferebantur, anteponit, quatenus fontes iſtos ex parte depravatos ſupponit, quia jam ante Concilium conſtabat eſſe corruptos.

5º Cum tam momentoſæ partes ex Hebræis codicibus extritæ ſint, imo integri penitus exciderint libri, quos Hebræo, aut Chaldaico ſermone originarie editos fuiſſe non dubitatur, certis jam conſtat exemplis, quocunque demum fato, originalibus codicibus vitium fuiſſe illatum, nec primæva eos integritate amplius vigere; ex quo ſequitur, lectionem eam, quæ in illis offertur, quando cum lectione Vulgatæ in unum ſenſum cogi non poteſt, ſi non ſemper, tamen frequenter, & plerumque ſuſpectam, & dubiam cenſeri. Valeat hic illud Hieronymi præf. in Job. *fieri non poſſe, ut quos* (Hebraicorum codicum deſcriptores) *plura intermiſiſſe perſpexerint*, (lectores) *non eosdem etiam in quibusdam erraſſe fateantur.*

6º Quodſi Vulgatæ lectio MSS. Codicum, & aliarum verſionum antiquarum fide, SS. Patrum authoritate, & dictorum in textu cohærentia, nec non ceteris veritatis indiciis fulciatur, tamquam Archetypi repræſentativa fontis loco haberi poteſt, ac debet, quidquid interim Vulgares Hebræorum codices exhibeant. Ex quo optime colligit Natalis Alexander Tom. III. Diſſ. XI. ſec. II. edit. Venet. 1776. pag. 417. primas ſemper deferendas eſſe editioni ſcripturæ S. quam amplectitur, uſuque ſuo conſecrat Eccleſia; adeundos quidem eſſe etiam fontes, nempe textum Hebraicum, & Græcum, ſed eruditionis cauſa, & ut contra adverſarios fidei felicius diſputemus, non vero abſoluta neceſſitate. (Supr. pag. 87.)

7º Ceſſet igitur frivola illa, & puerilis ſupra vulgus ſe efferentium, neque tamen ſolide eruditorum jactantia, qua, mox ubi a lingvarum ignaris

ris, licet ſe doctioribus, textum Vulgatæ opponi audiunt, illud crebro ingeminant: *aliter eſt in fonte:* atque ideo receptæ Eccleſiæ Catholicæ lectioni nigrum thēta præfigunt. *Primo* enim non eſt aliter quoad veritatem, ſed tantum quoad verborum diſpoſitionem, & ordinem, nec diverſitas eſt in re ſignificata, ſed in ſolo modo ſignificandi, nec latet aliud intrinſece, ſed tantum aliud apparet in cortice; vel certe profertur e mala verſione ab iis parata, qui Rabbinos cæcos duces ſunt ſecuti. *Secundo*, ubi realis differentia eſt, aut irreconciliabilis diſſenſio, ibi fontes a primæva ſua integritate receſſiſſe, ſaltem in multis, certum, atque evidens eſt.



SECTIO II.

ALEXANDRINÆ VERSIONIS, QUÆ LXXII. INTERPRETUM DICITUR, AUTORITAS DECLARATUR, ET ILLUSTRI VERSIONIS HUJUS EXEMPLO, NEC NON DEDUCTIS INDE RATIONIBUS DOCETUR, HEBRÆUM FONTEM IN ECCLESIA CHRISTI PRO ABSOLUTA LECTIONIS BIBLICÆ NORMA HABITUM NUNQUAM FUISSE.

§. I.

Dum hanc plurimum eminentem in Eccleſia Dei verſionem, quæ vulgo 72. interpretum dicitur, in exemplum, atque aſſertæ ſententiæ confirmationem adduco, propter rerum minus gnaros e re eſſe arbitror, completam, & accuratiorem, quam in compendiis fieri ſoleat, ejus adornatæ hiſtoriam adferre.

I.

Alexandro M. Macedonum Rege defuncto (*r*) & regno ejus in primarios duces diſtracto, Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex, cum eſſet lite-

(*r*) Poſtquam Alexander hujus nominis III. in ſerie Regum XXIII. cognomento Magnus Philippi II. filius ſtupendum Orbis in victoriis, fulguris inſtar celerrime partis, miraculum, de quo illud cum ſcriptura dicere ſufficit: *Siluit terra in conſpectu ejus*, 1. Mach.

literarum amantiſſimus, ex orbe terrarum, undecunque potuit, colligebat libros; atque a Demetrio Phaleræo inſignis Bibliothecæ ſuæ Præfecto admonitus, in manibus Judæorum libros Di-

 vinæ

Mach. 1. 3. a Deo ut in Oriente Perſarum Monarchiam everteret, & Græcorum circa annum Mundi 3653. ante Chr. 331. imperium ſtatueret, excitatus, exactis vitæ ſuæ 32. annis, & 7. menſibus, regni vero annis 12. & 8. menſibus, Babylone ex morbo, quem ebrietate contraxerat, ſive, ut ferunt alii, veneno, ab Antipatro ei in Græcia præparato, & per filios Caſſandrum, Philippum, & Jolam porrecto, anno ante Chr. 319. obiiſſet, *Satrapiis*, ſeu Præfecturis inter Principes diviſis, *Ptolomæus* Lagi filius, qui proin *Lagides*, & quod Rhodios adverſus Demetrium Poliorceten defenderet, *Soter* h. e. Salvator dictus eſt, Ægyptum obtinuit, quo, urbe Jeruſalem obſidione cincta, centum, & amplius millia Judæorum tranſtulit, denatus regiminis 40. Olympiadis 124. anno primo; a quo velut conditore regnum nomenque *Ptolomæorum* (virum bellicoſum vox Græca denotat) fere ſicut a Pythagora ad ſapientiæ ſtudioſos illud *Philoſophorum*, ad omnes poſteros Ægypti Reges pervaſit, qui cognomentis tantum ſuis fuerunt diſtincti, Lagidæ filius, & ſucceſſor Ptolomæus II. *Philadelphus* per antiphraſim (contrariam ſignificationem) quod duos fratres occidiſſet, aut probabilius ex vero in *Ceraunum* h. e. fulminatorem fratrem ſuum amore, quem poſt obtentum ab illo Macedoniæ regnum inito fædere teſtatum voluit, appellatus fuit. III. *Evergetes* h. e. Beneficus Luc. 22. 25. IV. Philopator h. e. amans patris ſui per antiphraſim. V. *Epiphanes* h. e. Illuſtris. VI. *Philometor* h. e. amans matris, eo quod matrem odiſſet. VII. *Phyſcon* h. e. diſtento, craſſoque abdomine inflatus, ventrioſus. VIII. *Lathurus* h. e. Cicero, e cicercula faciem ſignante, dicti ſunt, & Cet. Licet vero Ptolomæus *Lagides* anno demum poſt obitum Alexandri M. octavo & decimo titulum Regis uſurpaverit, quod Alexander Roxanes filius, legitimus hæres, ſed adhuc impuber ini-

vinæ ſapientiæ plenos ſed Hebraice ſcriptos reperiri, illico Jeroſolymas ad Eleazarum ſummum Pontificem nuncios expedivit, qui ab eodem non modo libros, ſed etiam Interpretes, qui illos Græ-

iniqua dein machinatione e vivis ſublatus, expectaretur, initium tamen Regni ejus ab illo ipſo, quo Alexander mortuus eſt, anno ſumitur; hinc ergo Ptolomæi, quorum plures etiam ſcriptura commemorat, regnare orſi ſunt in Ægypto, nam 40. illi tribuntur anni ab Euſebio, & ceteris, qui ab anno M. 3660. quo Alexander exceſſit, ad 3699. uſque perveniunt, hoc enim anno Ptolomæum filium ex Berenice genitum vivus adhuc ſibi regem ſubſtituit. Petavius Rationar. Temp. edit Veronen. an. 1741. pag. 39. 40. 41.

Alexandria hodie Scanderia, Arabibus Escanderia, vel Iſcanderune, a qua verſio 70. Viralis *Alexandrina* denominatur, anno M. 3653. ante Chr. 331. ab Alexandro M. ſeu condita, ſeu reſtaurata fuit; *fama eſt*, inquit Curtius L. 4. de geſtis Alexandri, *cum Rex urbis futuris muris polentam, ut Macedonum mos eſt, deſtinaſſet, avium greges advolaſſe, & polenta eſſe paſtas. Cumque id omen pro triſti a plerisque eſſet acceptum, reſpondiſſe vates; magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram.* Dictorum veritatem eventus docuit. Emporium enim evaſit Ægypti vetuſtiſſimum, & commodiſſimum, quod ab Auguſto Cæſare devicto Antonio ob memoriam fundatoris, ſuam pulcritudinem, & Arium Philoſophiæ in ea Profeſſorem Auguſto honorabilem, conſervatum, Romanis plus pendebat tributorum ſingulis menſibus, quam Jeroſolyma toto anno, & præter pecuniam annonam IV. menſium plebi Romanæ miniſtrabat, Univerſitate ſtudiorum, ſchola Catechetica doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum celeberrimum, cui ad dextram objecta Pharus inſula turrim maximam ſuſtinebat ad 300. uſque ſtadia navigantibus igne lucentem. Hieronymus urbem, quæ in Hebræo *No*, vel *No-amon* Jer. 46. 25. Ezech. 30. 14. Nah. 3. 8. vocatur, in Vul-

Græce vertant, poſtularent. Nec mora: delecti, atque expediti ſunt ex qualibet tribu ſex viri, una proinde 72. qui tamen rotundo numero 70. dicuntur, (ſicut apud Romanos 100. viri,

Vulgata noſtra conſtanter reddit *Alexandriam*, prolepſi videlicet, ſeu anticipatione, veluti cum Virgilius *Lavina* vocat litora, quia tardius hoc nomine innotuerunt, *Lavinaque venit litora* (Æneas) non, quod eo tempore, quo Æneas in Latium venit, Lavina dicerentur, ſed quod poſtea Lavina nuncupata ſunt, ut ipſus exponit; conſentit Corn. a Lap. in Nah. 3. 8. & eruditas ſubnectit animadverſiones, diſſentit Calmetus, quod Alexandria noſtra, in alio loco, quam *No-amon* olim ſteterit, fuerit ædificata prope Rachoten, quod vetus nomen adhuc retinet apud Ægyptios, ut Strabo L. 17. docet, & *Alexandriam eſſe juxta Mareotim lacum, qui antea Rachotes nominabatur*, Plinius aſſerit L. 5. C. 10. *No-amon* quaſi ut Ninive *ſpecioſam*, vel *habitationem amon*, ſeu hamon, h. e. multitudinis, ſive populoſam, hoc enim *No*, quaſi *Navah* valere poteſt: aut *Ammon* h. e. Jovis Ammonii urbem, nempe *Dioſpolim* dicas, quia teſte Herodoto L. 2. C. 42. Jupiter Ægyptiis vocabatur Ammon; Bochartus putat *Thebas* ſuperioris Ægypti metropolim, forte ipſa eſt *Natho* Herodoti L. 2. C. 165. Calmetus locat ad mare, & portum in Delta, inter ramum Nili Bubaſticum, & Buſiricum.

Porro Reginis Ægypti a *Cleopatra* (decus Patriæ ſonat in Græco) Antiochi M. Syriæ Regis filia, Ptolomæo Epiphani deſponſata, & ob eximium formæ decorem *filia fœminarum* h. e. inter mulieres pulcherrima Dan. 11. 17. appellata, commune nomen adhæſit *Cleopatrarum*; præter hanc ſcriptura alteram commemorat, ſororem, & conjugem (lex iſtud permiſit Ægyptiis) Philometoris, Eſther 11. 1. Tertiam vero filiam ejusdem Philometoris Alexandro Antiochi filio nuptui traditam 1. Mach. 10. 57. Aliæ tres in prophana hiſtoria celebrantur, una Phyſconis & ſoror, & conjux, altera Lathuri pariter ſoror, & uxor, ter-

ri, licet inſuper quinque fuerint) doctrina præſtantes, & utriusque linguæ peritiſſimi, qui poſtulato Regis ſatisfacerent; quos ille Alexandriæ huma-

tertia Ptolomæi Auletæ (h. e. Tibicinis a ſtudio tibiarum nomen conſecuti) filia, Ptolomæi *Dionyſi*, ſeu Bachi ſoror, Romanorum hiſtoriis notior, quæ duobus fratribus, & ſorore regnandi libidine peremptis, Ægypto ſola præfuit, cui ex Julio Cæſare filius Cæſarion a nonnullis tribuitur, hæc, dum a Bruti, & Caſſii partibus ſtare obſervaretur, Marci Antonii Triumviri indignationem incurrit, ſed quam arte fæminea, quæ, ſi calliditati ingenii formæ præſtantia (ut hic) acceſſerit, poteſt omnia, in ardentiſſimum ſui amorem convertit, ut Antonius Octavia Auguſti ſorore repudiata, Cleopatram nobiliſſimis regnis ei collatis, ſibi connubio jungeret, filiumque ex ea ſuſceptum Alexandrum *Helion* h. e. ſolem, filiam vero Cleopatram *Selenen* h. e. lunam appellaret; Auguſtus Octavius ex turpi Octaviæ repudio Antonium bello aggreſſus, navali prælio ad Actium Epiri promontorium anno U. Cond. 723. ſuperat, qui, dum Cleopatra quoque ſe mortuam ſimularet, gravi concepto dolore ſuis occubuit vulneribus, muliebri fraude etiam extremùm deluſus, Cleopatra autem in miſeriis nihilominus ambitioſa, ne victa ab Octavio Romam in triumpho deducatur, & ad arbitrium Victoris vivere cogatur, mortem ſibi conſcivit vel alia quapiam machinatione, vel ut paſſim ferebatur, & ipſe credidit Auguſtus, aſpide ſiniſtro brachio admota, quam in corbe ficubus, uvis, & floribus repleta clam ſibi juſſit adferri; ſatius eſſe rata, morti ſe, quam Victori credere anno vitæ 39. ante Chr. circiter 27. ultima e ſtirpe *Ptolomæorum*, quæ 293. annis dominata eſt in Ægyptum, cedentem abhinc in plenam poteſtatem Romanorum; Octavius Ægypto in provinciæ formam redacta, Nicopoli, ſeu victoriæ urbe ad Actium condita, triumphans Romam ingreditur an. Ur. C. 725. Imperatoris, & Auguſti titulo honoratur. Svetonius in Julio edit. Bipont. 1783. pag. 22. 31. 64. 65. Dio, Plutar. & cet. Natalis Alex. Tom. II. V. T. Art. VIII. pag. 230.

maniter, & liberaliter excipiens, ut opus felici cum ſucceſſu aggrederentur, & eo citius perſicerent, in Pharo inſula urbi Alexandrinæ vicina, finem in hunc peropportuna, eis locum ab omni ſtrepitu remotum, & quietiſſimum deſtinavit; ubi, dum 72. dierum ſpatio opus abſolviſſent, illud prius publice lectum, atque a Judæis omnibus Alexandriæ probatum, Bibliothecæ Regiæ illatum fuit, interpretes vero muneribus honorati in propria reverſi ſunt. Res contigit annis ante Chriſtum ferme CCC. Baronius Tom II. ad an. Chr. 231. ex Euſebio ponit ab anno paratæ Verſionis usque ad Chriſtum 70. Olympiades, h. e. quia quævis Olympias ſpatium quatvor annorum continet, 280. annos intercurriſſe. S. Epiphanius putat verſionem adornatam anno XVII. regnantis Philadelphi, & inde usque Chriſtum 291. annos fluxiſſe; extremis Ptolomæi Lagi temporibus, & Philadelphi cum patre regnantis initiis aſſignat Natalis Alexander; aſſerunt alii Ptolomæum Lagi Philadelpho filio ſuo anno integro, & tribus menſibus, aut prope biennio ante mortem ſuam regnum tradidiſſe, ſolumque regnare cœpiſſe Philadelphum an. M. 3721. & anno ejusdem 14. verſionem 70. paratam fuiſſe, qui eſt mundi 3735. ante Chriſtum 265us; ſunt etiam, qui verſionem hanc ad ætatem Ptolomæi Philometoris cum Bocharto Hierozoici L. 2. c. 8. referre malint.

Univerſi Chriſtiani, & Judæi, ad quos hujus rei cognitio pertinebat, per XV. ſecula crediderunt, narrationem hanc quoad ſubſtantiam veritate niti, ſolum de temporis, & adornatæ verſionis circumſtantiis in diverſum abibant: Singulos ſingulis cellulis incluſos omni mutuo inter

dicto conſortio ita totum V. T^{tum} vertiſſe, ut nequidem in verbo unus ab alterius verſione diſſideret, plerique Chriſtiani, & Judæi aſſeruerunt, & mirabilem hanc conſenſionem pro unius, ſibique ſemper conſentientis Divini Spiritus dirigentis indicio habuere. Cellularum quidem diſerte meminerunt Irenæus L. 3. c. 25. Clemens Alex. L. 1. Strom. Cyrillus Jeroſ. Epiph. Euſebius L. 8. præpar. Ev. c. 1. & Hiſt. L. 5. C. 8. edit. Græco-Lat. Aug. Taur. an. 1746. pag. 191. ex Irenæo ita refert: „Ptolomæus cum ſingulorum ſeorſum periculum facere vellet, veritus, ne forte ex compacto veritatem ſcripturæ interpretatione ſua occultarent, ſemotos ab invicem eandem omnes ſcripturam interpretari juſſit, idque in omnibus præſtitit libris, quia vero omnes in omnibus inter ſe convenerunt, gentiles quoque afflatu Divino converſas eſſe ſcripturas cognoverunt.„ Juſtinus Martyr natione Paleſtinus patria Samarita rerum Judaicarum peritiſſimus, dialogo cum Tryphone, & cohort. ad Gentes, dum narraſſet, VII. ſtadiis ab Alexandria Pharum diſtitiſſe, ubi cellulis incluſi, in verſione non tantum quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba inter ſe concordaverint, ut rex ipſe agnoverit Dei opus interceſſiſſe, ſubjicit: „Hæc vobis o Græci fabula eſſe non debent, non ſane aut fabulam, aut confictam narramus hiſtoriam, ſed ipſi cum Alexandriæ fuimus, veſtigia ædicularum reliqua in Pharo vidimus, & quæ ab incolis, qui res Patrias a Majoribus acceperunt, audivimus, commemoramus.„

Domeſticus, & locuples teſtis Philo L. 2. de vita Moyſis narrat, interpretes, ubi contra ur-

urbem Alexandriam ſita eſt inſula Pharus, congregatos, manibus in cælum ſublatis, præmiſſa oratione opus aggreſſos, ut verſione hac vera edoctæ tot nationes Deo convenienter viverent, *tamquam* (addit) *numine correpti prophetabant* (kathaper enthuſiontes proephētevon) *non alia alii, ſed omnes ad verbum eadem, quaſi quodam dictante ſingulis inviſibiliter.* Ex ipſa collatione apparere, quam convenienter fonti verterint, & ſenſum verum apertiſſime declaraverint, ſi quis enim Græce, & Chaldaice (h. e. Hebraica linguâ, quæ apud Judæos etiam in Chaldæa permanſit, & inde allata eſt, nec niſi varietate dialecti diſtinguitur, ut ſi aliquam Theodiſcam dialectum communi nomine Germanicam appellaveris) ſciat, in utraque ſcriptura, Chaldaica, & interpretatione ejus miratur germanitatem, imo rerum, verborumque conſonantiam adorat, non interpretes illos, ſed initiatores, & Prophetas appellans, *quibus datum eſt, ſinceriſſimas Moyſis cogitationes aſſequi Spiritu puriſſimo.* Quamobrem (ſic continuat) hodie quoque ſolemnis celebritas renovatur in Pharo inſula, ad quam non tantum Judæi, ſed & alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi, in quo primum viſa eſt hæc interpretatio.„ Obſervante Baronio verba Philonis cellulas omnino ſupponunt, quarum utrumque Thalmud, Jeroſolymitanum, & Babylonicum Tractatu Megillath. C. 1. §. VIII. commeminit. „Congregavit Rex Ptolomæus 72. ſeniores, eosque in 72. cellulis conſtituit, illis non ſignificans, cur eos convocaſſet, ſed ad ſingulos ſeorſim accedens dixit illis: ſcribite mihi legem Moyſis doctoris veſtri. Inſpiravit Deus benedictus in cor uniuscujusque con-

conſilium, ita, ut omnes in eandem ſententiam convenerint.„ Rabbi Azarias, etſi dicat opus fuiſſe duntaxat humanum, fatetur tamen ab univerſo Iſraëlitarum cætu confirmatum, & eſſe gloriam, & ornamentum Iſraëlis.

Eſt quidem pariter mentio apud Veteres de Judæis quibusdam, qui triſtiſſimam verſionis hujus memoriam 8a menſis *Tebheth* h. e. Decembris jejunii aſperitate commemorant, deteſtanturque, non ſecus, ac illum erecti a Jeroboam vituli diem lugubrem, L. *Tayanith* h. e. afflictionis, ſeu jejunii: „jejunant die 5o.(8o potius) lunationis Tebheth, quia eo die ſcripta eſt lex Græce, diebus Ptolomæi, tuncque per tres dies tenebræ mundo (apud Iſraëlitas) offuſæ ſunt. IIo ratio additur inepta, quod Rex voluerit verba Dei viventis deflectere in hæreſim. Si quid veri continet iſta commemoratio jejunii, indicat populum fine ſancto inter preces ad Deum fuſas ſolito more pro felici tam gravis negotii ſucceſſu jejunaſſe, unde etiam fatentur verpi iſti, 72. verſores a Deo ſpecialiter fuiſſe adjntos; atque ita explicat ipſe Rabbi Azarias. *Illi Sapientes electi, ut proficiſcerentur ad Regem, indixerunt jejunium, & feſtum toti congregationi, ſicut fecit Eſther, quum acceſſit ad regem; propterea tenebræ operuerunt tunc facies Judæorum, metuentium, ne ipſorum legati confunderentur, idque vitio daretur populo noſtro.* Tenebræ igitur obortæ ſunt, h. e. afflictionis, & jejunii dies, eſtque iſtud dictis Philonis multum conforme; & rurſus Gedaljas in Schalſchælæth, hakkabbala h. e. Catena caballæ exponit tantum *de obnubilata facie Judæorum.* Utut ſit, potior eſt etiam Judæorum in laudem ver-

verſionis loquentium numerus, & autoritas: utrique conciliantur, ſi ſtatuas, primo quosdam refragatos, mox tamen omnes conſenſiſſe, lingua *Javanith* ſeu Græca *Jonum* ſcripturam verti, ac legi impune poſſe; ſolet enim in novis conſtitutionibus in parte populi contranitentium murmur oboriri, ferme ſicut contigit, dum nova Hieronymi verſio cœpit uſurpari; quodſi nonnulli etiam poſterius verſioni huic inſenſi fuerunt, quod Chriſtianis faveret adeo, iſtud contra Majorum ſuorum eam, ut ex Philone vidimus, feſtiva commemoratione celebrantium inſtituta, tam fecerunt impie, atque imprudenter, ſicut illud (ſi proprie, & non potius metaphorice accipiunt) ſtolide commenti ſunt, propterea, quod hæc verſio tunc eſt parata, terram triduanis tenebris fuiſſe obrutam. Apage nugas nugivendulorum nugaciſſimas! Antiquitatum libris, quos elucubratus eſt Joſephus Flavius, quippe eandam ſacram hiſtoriam Græce complectentibus perinde hoc miraculum Divinæ ultionis affingere debebant iſti in rebus etiam ludicris thaumatoplaſtæ. Ben Gorion, ſeu pſeudo-Joſephus hiſt. Jud. L. 3. C. 17. ſecundus (ait) ab Alexandro Philadelphus 70. domos eis aſſignavit, & unumquemque a ſocio ſuo ſeparavit. Arabica Præfatio: In ſingulis cellulis binos (quod & Epiphanius vult, & de adjunctis amanuenſibus poteſt intelligi) eſſe juſſit, in omnibus tamen ſine diſcrepantia convenerunt, contigit 300. annis ante Chriſtum. Teſtimonia hujus generis videre licet Tom. II. Bibliothecæ Veterum PP. edit. Venet. 1788. cura, & ſtudio Andreæ Gallandi presbyteri Congreg. Orat. ad calcem pag. 773. & Tomo I. Ugollini. Utiliter aditur etiam Joſ. Flavii editio

tio Sigeberti Havercampi an. 1726. ubi Tom. IV. Ariſteæ libellus ponitur cum notis Fabricii. Hic L. 12. Antiq. Jud. C. 2. iſta habet: „Demetrius *heptaſtadium* transgreſſus, congregavit eos in domum prope littus extructam - in ea ad horam diei nonam elaborabant - - opere 72: diebus abſoluto Demetrius congregatis Judæis omnibus præſentibus etiam interpretibus verſionem recitavit, multitudo approbavit, ſacerdotes, & Reipublicæ adminiſtri poſtularunt, ut, quandoquidem recte haberet interpretatio, maneret, ut erat, neve mutaretur, cumque omnes eorum ſententiam laudaſſent, juſſerunt, ut, ſi quis in lege vel ſuperfluum aliquid ſcriptum videret, vel curtum, id iterum inſpiceret, planumque redderet, ſapienter hoc ipſum facientes, ut quod ſemel rectum judicatum eſſet, id perpetuo maneret.„

II.

An ergo cellulas admittemus? Ita probabilius: quoniam Judæorum, & Chriſtianorum præſtantes, & fide digni ſcriptores teſtantur, quibus alii has prætereuntes non hoc ipſo refragantur. Natalis Alexander Tom. 2. edit. Venet. 1776. Diſſ. VIII. pag. 299. & Tom. III. Diſſer. II. pag. 422. quæ etiam inſerta eſt Theſauri Theologici Tom. VII. par. 1æ pag. 171. ſequentia ſtatuit.

1º Quamvis Ariſteæ libellus de legis Divinæ ex Hebraica lingua in Græcam translatione per 70. interpretes, ſuppoſititius videatur, criticæ intemperantioris pruriginem arbitror, negare verſionem illam a 70. interpretibus Divino conſilio adornatam.

2º

2° Verſio 70. interpretum extremis Ptolomæi Lagi temporibus, & Philadelphi cum patre regnantis initiis adornata eſt.

3° 70. Interpretes non ſolum V. libros Moyſis, ſed libros omnes ſcripturæ S. Hebraice ſcriptos, & in canonem Judæorum relatos in Græcam linguam transtulerunt.

4° 70. Interpretes verſionem ſuam in ſingulis cellulis incluſos edidiſſe, probabilior eſt opinio, ſi PP. Eccleſiæ, & nobiles Judæorum hiſtorici audiantur.

Quod autem in verſione hac tot ab Hebræo textu hodierno aberrationes deprehendantur, inter alia evenire dicit, *ex eo, quod primitivus textus a Judæis ſit depravatus - - - & quidem ſacros codices a Judæis fuiſſe depravatos omnes ferme antiqui Patres teſtantur*, profert Tertullianum, Orig. Chryſ. & ſubdit „*Juſtinus Martyr inſignia iſtius depravationis profert exempla.* Illud ſi demas, quo Ariſteæ librum ſuppoſitionis poſtulat, in ceteris habet me ſibi conſentientem. Et recte hodiernos quosdam criticos arguit: namque agnoſcendam heic Dei providentiam Patrum ſenatus decernit. Chryſoſtomus hom. IV. in Gen. *Divinæ diſpenſationis opus* nominat, Cyrillus Jeroſ. Catech. IV. hanc *ex Spiritu S. Divinarum rerum interpretationem factam eſſe* pronunciat. Auguſtinus L. 2. de Doct. Chr. C. 16. verſionis ab Hebræorum lectione differentia non obſtante, ita loquitur.„ 70. Interpretum, quod ad V. T^tum^ adtinet, excellit autoritas, qui jam *per omnes peritiores Eccleſias* tanta præſentia S. Spiritus interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi ut fertur, *multique non indigni fide præ-*

di-

dicant, ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati, cum interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum codice inventum eſt, quod non iisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris, quis huic autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? ſi autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret, nec ſic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot Seniorum, Doctorumque conſenſum aſpirare oportet, aut decet. Quamobrem etiamſi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus invenitur, quam iſti poſuerunt, cedendum eſſe arbitror Divinæ diſpenſationi, quæ per eos facta eſt; ut libri, quos gens Judæa ceteris populis vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus miniſtra Regis Ptolomæi poteſtate tanto ante proderentur. Itaque fieri poteſt, ut ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere gentibus ille, qui eos agebat, & qui unum. os omnibus fecerat, Spiritus S. judicavit.„ Etiam alibi, uti L. 18. de Civi. Dei C. 44. conſtantiſſime, & conteſtatiſſime docet, verſores iſtos eodem Spiritu Dei, quo Moyſes, & Prophetæ in edendo Archetypo directi ſunt, in translatione ſua actos fuiſſe„ Ego (inquit) pro modulo meo veſtigia ſequens Apoſtolorum, qui ipſi ex utrisque, id eſt, ex Hebraicis, & LXX. teſtimonia Prophetica poſuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quia *utraque una*, & *Divina eſt*. C. 42. „Spiritus, qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat in LXX. viris, quando illa interpretati ſunt, qui profecto autoritate Divina & aliud dicere, & aliquid prætermittere, & aliquid addere potuit.„

Uni-

Unde ſi quæ eſt in ipſis 70. a fonte Hebræo diſcrepantia, in Spiritum S. eos dirigentem, qui congrua ſuis temporibus dici voluerit, nunquam non refundit, aut certo transſcribentium vitio, uti illud de annis Patriarcharum, indubitanter attribuit. Epiphanius quinque linguarum, nominatim Hebraicæ gnarus (pag. 18. f.) manifeſtum dicit in 70. veritatem reperiri, & ſtudioſos veritatis facile deprehenſuros, quod non ſolum interpretes illi fuerint, ſed ex parte etiam Prophetæ, ſicubi additione, vel omiſſione ab Hebræo textu diſcedunt, ex Dei conſilio iſtud eveniſſe. 70. verſionem ab Origene in Hexaplis in medio fuiſſe collocatam, ut aliarum utrinque jacentium menda tolleret. (Sect. 1 pag. 192.) Solum ſi demas Hieronymum, de quo dicemus poſtmodum, creditum fuit a Patribus prope omnibus, immo judicio Baronii ſine exceptione ab omnibus, LXX. verſionem ſpeciali Spiritus S. aſſiſtentia fuiſſe perfectam, neque enim ſolum ii, quos modo nominavi, ſed etiam plerique alii in id pari conſenſione feruntur, quod Irenæus L. 3. C. 25. aſſeverat „Apoſtolos conſonare prædictæ interpretationi, & interpretationem conſonare Apoſtolorum traditioni, nam unum, eundemque Spiritum Dei, qui in Prophetis quidem præconiavit, in ſenioribus interpretatum eſſe bene, quæ bene prophetata fuerunt, eundemque demum Spiritum Apoſtolis annunciaſſe, plenitudinem temporis adoptionis filiorum Dei veniſſe.„ Labore hoc defunctos *tamquam Prophetiæ gratia circumfulgente eos*, etiam Juſtinianus Imp. Novell. 146. C. 1. pronunciavit. Si domeſticis deferendum, Joſephus eos e veſtigio ſequitur plerumque, Philo Divinum in iis

 agno-

agnoſcit Spiritum, præterea longævitate hæc perſvaſio firmata eſt.

Interim advertendum, aliud eſſe, verſionem Divina diſpoſitione gentium converſioni fuiſſe præparatam, & aptatam, quod nemo me judice in quæſtionem jure vocaverit, aliud ſpeciali Spiritus S. afflatu, vel directione perfectam, quod plerique veterum ex Judæis, & Chriſtianis aſſeverant, recentiores vero negandum cenſent, quia peculiaris hæc Spiritus S. directio nec fuit neceſſaria, nec certis docetur argumentis; ponamus eos ſibi relictos, & nonniſi humanis præſidiis munitos verſionem abſolviſſe, ut in minutis, & ad rerum momenta non pertinentibus aliquando etiam erraverint, ſicut de S. Hieronymo dici ſolet; nihil iſtud obſtabat, quo minus opus pararent converſioni gentium & perutile, & accomodum, Deo laborem eorum ad exequenda altiſſima conſilia ſua ordinante. Si itaque non eis adfuit ille Dei afflatus, quo extra omne errandi periculum conſtituerentur, eo tamen communis providentiæ, & ſvavis gubernii munimine haud caruerunt, quod tanti operis gravitas, tam ſolemnis apparatus, præfixus ſcopus, & recta operantium poſtulat intentio; nec enim credendum eſt, Deum precum fervore exoratum, tantam hominum doctiſſimorum collectionem nomine totius electi populi ſui ex ſummi Pontificis autoritate agentem, in neceſſariis ordinariæ gratiæ ſuæ auxilio deſtituiſſe. Quare, etſi non altiore illo inerrantiæ gradu, inferiore tamen quodam modo verſioni opem Dei interveniſſe non incongrue affirmatur, ut quo olim conſilio 72. Seniores rebus civilibus adminiſtrandis Deus ſelegit, eosque diſtrictioribus negotiis

tiis idoneos in Moyſis Spiritu reddidit, eodem ad hanc verſionem conficiendam deputatos voluerit totidem Seniores, ut quod in ordinanda Republica curaverat Moyſes, idem in Divini hujus operis inſtitutione Eleazarus obſervaret, ut comperta eſſet translationis fides, ſumma auctoritas, & inſignis ejus præcellentia nobiliſſimis titulis demonſtraretur, quia futurum idem Deus prænovit, ut ejusdem teſtimoniis uſuri ſint non omnes modo Helleniſtæ, & naſcentis Eccleſiæ Patres, ſed ipſi quoque Apoſtoli, & Evangeliſtæ. Quo præſtabilito nationibus Hebræi fontis loco haberi potuit.

Sed ad cellaria revertamur! contemnuntur ea hodie communiter, & quæ iis velut fundamento fabuloſo innititur, omnium interpretum mira conſenſio negatur etiam a Joanne Dominico Manſi, quin & ab illis ipſis, qui narrationem Ariſteæ in ſumma rei veram eſſe confitentur. Calmetus in Diſſ. V. T. de 70. interpretibus comment. Bibl Libro Esdræ præfixa, & Tom. IV. Diſſert. in 8. ſeorſim edit. Tyrnav. an. 1751. & Vien. Auſtriæ an. 1755. ad doctiſſimorum Criticorum, Ariſteæ librum pro figmento habentium judicium provocans aſſerit, Patribus commentum illud prodigioſæ conſenſionis fucum feciſſe, quod a tanto viro fors minus conſiderate prolatum, parum honorificum, ne dicam periculoſum videtur. An enim in re ſummi momenti tam levi credulitate, quin diſcuterent, Judæis aures præbuerunt? an hiſtoriæ tam rudes fuere, ut, quod contra omnem factorum veritatem eſſet, proni reciperent? ſi hic tam multis conſentienter affirmantibus conſenſus non præſtatur, in aliis quoque nonniſi timide iis ad-

 hæ-

hærebimus, quos in quæſtione circa veram Scripturarum editionem inſigniter deceptos fuiſſe profitemur.

Cellulæ etiam Bellarmino diſplicent L. 2. V. Dei C. 6. advertit una vir ſagaciſſimus, & doctiſſimus, mirabilem illam 70. virorum conſenſionem a venerabili PP. cætu fuiſſe agnitam, & aſſertam, eam itaque adhuc prodigii loco habendam eſſe decernit, quod experientia conſtet, quo plures ad aliquid conſtituendum conveniunt homines, eo etiam plures exoriri ſententias diverſiſſimas, ſæpe e diametro ſibi oppoſitas, & ſicut vulgari jactatur proverbio, *quot capita, tot ſenſus* enaſci, ut breviuſculo tempore in unam condeſcendere ſententiam omnino non poſſint. Sed contra eſt. (1) Primum, quod hæc explicatio ponit, ut plerumque verum ſit, ſæpe tamen fallit. (2) Dein non tribuitur miraculo, ſi 70. homines in unam conveniant ſententiam. (3) Accedit, veteres illos Patres non in ſubtili hujusmodi expoſitione, ſed ſimpliciter in diverſitate cellularum, & convenientia verſionum prodigium agnoviſſe, quodſi prodigium, Dei opus.

Miracula fingi non debent, nec facile admitti. Sed nemo ad hæc tempora clare demonſtravit, cellulas, & conſenſionem illam purum, putumque eſſe figmentum, quæ quidem, ſi proprie loqui velimus, non tam ad apices, & verborum ordinem, quam ad ſententiarum identitatem eſt referenda, & quam nihil demum prohibet reſtringi ad approbationem omnium votis declaratam; eſt enim convenientius, in explicanda conſenſione diverſas vias inire, quam ex toto ipſam negare. Non fingitur, quod relatione,

ne, & adprobatione multorum, & gravium Authorum firmatur, quos ego, donec certiora docear, cum Alexandro Nat. in antiquitatis notitia duces ſequi malim, quam illos e recentioribus, qui conjecturis inanibus antiquam traditionem, ſeu opinionem in Eccleſia ab Apoſtolicis temporibus receptam impugnant, ut Criticæ eruditionis famam aucupentur. Dum apud Judæos vera fides, & religio ſancta perennavit, in opere tot virorum ſummi Pontificis juſſu libros ſuæ religionis fideli translatione repræſentare volentium, aliquod intervenisse miraculum nec inſolens fuerit, nec usque adeo mirandum.

Objicitur: 1° Ariſteas, quamvis multa alia etiam minoris momenti adjuncta enarret, cellularum tamen nullam facit mentionem, imo potius expreſſe dicit, eos *ſingula ex collationibus ad conſonantiam elaboraſſe.* 2° Hieronymus narrationem hanc velut mendacia vulgi riſu excipit. Præf. in Pent. & L. 6. Apol. C. 7. „Neſcio quis primus auctor 70. cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſteas ejusdem Ptolomæi *hyperaſpiſtes* (protector, qui aſpidem, ſeu clypeum obtendit pro altero, cuſtos corporis Regii) & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una Baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert.„ Præf. in LL. Paral. dicit, 70. *cellulas ſine autore jactari.*

Non eſt ardua reſponſio: Ariſteas ſubticet, quod Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alex.

Cyrillus Jeroſ. Epiphanius, Auguſtinus, & alii etiam prophana literatura, Critica, & Philoſophia exculti tam diſerte, & aſſeveranter narrant. Si ergo horum teſtimonia rejiciendi aliæ non ſuppetunt rationes, ſano utuntur judicio, quicunque iis aſſentiuntur; nam argumento, quod negativum ſcholæ vocant, tantam teſtium nubem difficile fuerit diſſipare. Ariſteas fortaſſe rem omnibus Judæis notam maluit præterire, neque enim hiſtorici omnia referunt; conſenſio tam mirabilis ethnicis facto haud præſentibus fidem omnem ſuperare videbatur, ideo Ariſteas, ut credibilis reddatur ipſius narratio, hanc circumſtantiam omiſerit, ſicut feciſſe Joſephum Flavium, in hiſtoria gentis ſuæ ſcriptorem fide digniſſimum, a multis eſt adnotatum; ſæpius ille miracula extenuat, aut ſilentio premit, quamvis & in ſe veriſſima, & ſibi notiſſima, ne incredibilia ſcribere ethnicis videatur. Collatis ipſos egiſſe conſiliis, etiamſi in ſeparatis cellulis laborarunt, verum eſſe poteſt: & ſimul conferre, & tamen diſtinctas operi obeundo habere ædiculas, eſt aliquid, quod contingit ſæpius; ſi hodie ſimile negotium ſelectis præſtantioribus 72. Theologis committeretur, conſultiſſimum judicaremus, ut confuſionis vitandæ, & abditiores ſenſus profundius penetrandi ſtudio in ſuum quiſque conclave primum recedat, dein conferant invicem: atque ita poſſunt diverſa teſtimonia inter ſe conciliari. Natalis reſpondet, in rebus hiſtoricis Chriſtianæ religionis, vel referendis, quæ in populi ſui gratiam Deus edidit, miraculis, Eccleſiæ Patribus plus eſſe deferendum, quam ethnicis, qui diaboli inſtinctu veritatem ſæpius vel adulterarunt, vel occultarunt,

runt; etſi igitur Ariſteas aſſeruiſſet tantum mutua collatione verſionem eſſe editam, potior eſſet authoritas Patrum, qui ex traditione uberius edocti ſunt.

Hieronymum quod attinet, in hac cauſa dimittimus, ut ceteris Patribus, a quorum ſententia ille diſceſſit, in re hiſtorica adhæreamus: frequenter ille omnem captabat occaſionem, quo Alexandrinæ verſionis dignitatem imminueret, & ſuam ex Hebræo fonte commendaret, obſtabat ſcopo huic illa Divini Spiritus ex diverſis cellulis ſibi conſentiens aſpiratio, eam igitur uno, alterove loco durioribus verbis eſt inſectatus.

Sed reponere & nos ſancto viro poſſumus, neſcire nos, quo ipſe fundamento cellulas illas mendacium vocet; res enim ſecundum ſe ſpectata incredibilis non eſt, a plerisque Chriſtianorum, & Judæorum ſcriptoribus adſtruitur, & ab Auguſtino 70. ſeniorum autoritas ceteris antecellere affirmatur, quod non per levidenſes, & nugivendulos quosdam, ſed *per omnes peritiores Eccleſias* tanta præſentia Spiritus S. interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit, multique non indigni fide prædicent in cellis ſeparatis eos egiſſe; addit quidem, *ut fertur*, ſed ut contextus, & loca parallela indicant, traditione vera ſic ferri docet. Non igitur hæc circumſtantia ab uno deridenda fuit, maxime, dum alii Patres ipſam, quæ ſecus contemni poterat, hic ad rei ſummam pertinere rati ſunt, eique innixi in verſione Divinam operationem agnoverunt. Aliud eſt vatem, aliud eſſe interpretem, monet Hieronymus, quod ſane veriſſimum: neque ceteri Patres illo ſenſu

eos vates fuiſſe volunt, interpretes erant, ſed tamen ex aſſiſtentia Spiritûs S. infallibiles, in fidelitate verſionis, non in futurorum prædictione Prophetis pares; neminem latet ſcripturæ interpretationem, qualis eſt omnis etiam verſio, in ipſis Bibliis haud raro *Prophetiam* appellari 1. Cor. 12. v. 10. &c.

III.

Tertia Natalis Alexandri propoſitio de omnibus XXII. libris occaſione illa, tempore Ptolomæi Philadelphi in Græcum translatis a plerisque eorum, qui veritatem narrationis de 70. Interpretibus quoad ſubſtantiam ſupponunt, defenditur. Et merito: iidem enim Patres, & ſcriptores Eccleſiaſtici, & Tertullianus Apolog. C. 18. Euſebius L. 8. Præpar. Evan. C. 1. S. Hilarius in Pſ. II. Theodoretus in Præf. Commentar. in Pſ. Olympiodorus comment. in Job. totum V. Ttum, prout Hebræorum canone continetur, eodem labore, ac tempore verſum fuiſſe conſentienter teſtantur, & tamquam certum, ac indubitatum ponunt, eosdem eſſe ceterorum librorum, ac Pentateuchi in Alexandrina editione auctores; ex quo luculenter docent, parem eſſe hujus verſionis quoad totum Biblicum corpus autoritatem, quorum graviſſimis de hac translatione aſſertis non minimum pondus videtur decedere, ſi a 72. viris ſolus Pentateuchus translatus dicatur, quia hanc frequentius in Propheticis, & Sapientialibus, aliisque libris poſterioribus, quam in Pentateucho laudant.

Ratio quoque non obſcura ſuffragatur, ſi enim vera hæc eſt hiſtoria, Regis intentio non minus in ceteros libros, quam in Pentateuchum ferebatur, plu-

plura enim in Propheticis libris, quam in lege de regnorum converſionibus; de translatione Imperiorum, & aliis mutationibus orbi ſuperventuris prænunciari ille audiverit, quæ profecto ardens libros hujusmodi in linguam ſibi vernaculam transferendi deſiderium excitaverunt. Quod advertens Rabbi Azarias in *Imre Bina* C. 7. ita loquitur: cauſa, quæ movit Ptolomæum ad requirendam interpretationem legis Moyſis, itidem movit illum ad requirendam interpretationem omnium Prophetarum, & Hagiographorum, ut nimirum illis ſuam ornaret, & compleret bibliothecam, nec ullo libro careret „ Aut itaque illico omnes XXII. libros verterunt, quod veroſimillimum eſt, aut, quod Iſaacus Voſſius ex verbis Ariſteæ colligit, aliis quoque temporibus ibidem aliquoties congregati totum V. Ttum. abſolverunt. Deinde: ſi ſolam vertiſſent legem, & quidem ut volunt nonnulli, *collatis conſiliis*, & diſtributo inter ſe opere, non fuiſſet mirabile, quod 72. dierum ſpatio etiam unus, qui neceſſariis dotibus eximie fuerit expolitus, facile præſtabit; nam ſi ex ſectione partium, quæ in Vulgata conſpicitur, decernendum, Geneſis 50. Exodus 40. Leviticus 27. Numeri 36. Deuteronomium 34. totus proin Pentateuchus 187. capita continet, quæ ſi in 72. diſpertiare, intra 72. dies cuivis nec tria obtigiſſent capita convertenda. In textu autem Hebræo, ex Epicriſi Maſoretharum ſumma verſuum totius Pentateuchi efficit numerum: *Chhameſchæth alaphim, uſchmoneth meoth, ve arbayim, vechhamiſchah:* hoc eſt, 5845. quem ſi rurſum per 72. dividas, omni verſori 81. $\frac{13}{72}$ verſus obtingent, quos 72. diebus transferre ſi dixeris miran-

randum, dices. quod eſt cachino excipiendum. Atqui laborem hunc plerique Judæorum, & Chriſtianorum per ſesquimille annos in mirabilibus poſuerunt; ſi dixeris ita opinatos ex ſuppoſitione fictitii illius conſensûs, reponam, ſimul ac hunc pro vero poſuerunt, etiam librorum numerum poſuiſſe.

Aſſerendum videtur, etſi ſolum tunc vertiſſent Pentateuchum, tamen etiam poſteriorem librorum reliquorum translationem a Synagoga pari autoritate fuiſſe donatam, & a Judæis in Ægypto, & alibi terrarum extra Paleſtinam degentibus multo ante Chriſtum tempore uſu publico conſecratam, ut primo naſcentis Eccleſiæ ſeculo certam, & indubiam apud omnes Judæos obtinuerit Authenticæ Scripturæ autoritatem, quia Chriſtus, & Apoſtoli hac verſione inter ipſos Judæos uſi ſunt, tamquam inſtrumento parem cum fonte Hebræo dignitatem conſecuto, quod etiam Joan. Dom. Manſi in notis ad Hiſt. Nat. Alex. Tom. III. Diſſ. XI. Sec. II. pag. 422. etſi narrationi Ariſteæ omnem fidem deroget, palam confitetur, neque enim Chriſtus, & Apoſtoli eam adhibuiſſent, quam noſſent fidem Divinam nequaquam obtinere. *Ita* (ait) *ego quidem ſentio: ſi mea hæc ratio aliis non probatur, meliorem exhibeant.* Iſtud porro nobis ſufficit in praxi, ut verſionis hujus authoritate ad lectionem autographi in variantibus, & ambiguis locis dijudicandam, & determinandam in toto corpore Biblico utamur.

Recepta interim hodie apud pleroſque ſententia eſt, ſolum Pentateuchum a 70. viris fuiſſe ex Hebræo in Græcum idioma converſum, ceteros autem libros ab aliis pluribus labore non

con-

tinuo, ſucceſſivis temporibus translatos, quod diverſitate ſtyli argui monent, & in opinionis ſuæ fulcimentum ex parte Judæorum imprimis Joſephum, qui ſolam legem verſam commemorat, ex parte Chriſtianorum Hieronymum Joſephi verbis inhærentem adducunt. Nempe Joſephus in proœmio Antiquitatum Jud. pag. 2. edit. Havercampi ſuis inſinuat lectoribus, ſe justa de cauſa libros Antiquitatum in gratiam exterorum lingua Græca ſcribere, quia, etſi ſub Ptolomæo Philadelpho facta ſit a 70. viris ex Hebræo in Græcum translatio, tamen „non totam ſcripturam occupavit ille, ſed ſolam legem ei tradiderunt interpretes, qui ob hoc Alexandriam miſſi ſunt.„ Græce: *u paſan anagraphen, all' avta mona ta tu nomu paredoſan:* Hæc contrapoſitio: *non totam Scripturam, ſed ſolam legem*: facit, ut nomen legis proprie, & pro ſolo Pentateucho cogamur interpretari. Verum hac ratione non ſibi conſtabit accuratiſſimus iſte, & veritatis amantiſſimus Hiſtoricus, itaque deſerendus erit; nam alibi L. 12. Antiq. C. 2. dum adornatæ verſionis hujus hiſtoriam fuſius narrat, Biblia Hebræorum verſa fuiſſe, atque ex ipſa Demetrii epiſtola *Ta Biblia nomothe-ſias* h. e. libros legislationis, qua voce univerſum Bibliorum corpus complecti videtur, enunciat, & L. 2. contra Apionem legis nomine totam ſe Scripturam intelligere ſatis clare innuit„ deſideravit (Ptolomæus ſecundus) agnoſcere leges noſtras, & ſacrarum Scripturarum volumina concupivit, miſitque rogans deſtinari viros, qui ei interpretarentur legem „Sacrarum Scripturarum volumina non ſunt ſola lex, & violentius particula copulativa hîc pro exegeti-

ca-

ca acciperetur, ut utraque tamquam Synonyma habeantur. Sane L. 20. C. 4. libros, qui in Synagogis legi conſveverunt, libros *legis* vocat, qui utique etiam Prophetici erant, non ſola Lex. Felicius tamen difficultas ex Originali textu enodatur, ex quo oſtenditur, Joſephum XXII. Librorum translationi non adverſari; vocem enim *anagraphe* non eſt neceſſe pro Bibliis interpretari, ſed latius, nam *anagraphe* idem eſt, ac relatio in ſcripta: acta, & commentarius, & *paſa anagraphe* eorum, quæ memoriæ prodita ſunt, complexus: quaſi dicat: non ille nactus eſt omnia documenta, vel commentaria noſtræ gentis. Locum iſtum indubie impeditum fere in hunc modum explanat Voſſius contra Simonium; nempe ex 70. verſione, etſi omnium 22. librorum fuerit, hauriri non poſſe, quæ Joſ. Flavius IX. poſterioribus Antiquitatum libris tradidit, hoc proin ſenſu Philadelphum non totius Scripturæ hiſtoriam eſſe conſecutum; videlicet ad hiſtoriam gentis XXII. libris contentam ſerius plura acceſſerunt, quæ ex eorum verſione nec Philadelphus, nec poſteriores haurire poterant, commodum proin fieri, ſi libri Antiquitatum ſcribantur. Niſi ita interpretemur, aut futilis eſt a Joſepho producta ratio, aut aſſerto ejus nimium probatur, videlicet nec ætate Joſephi omnes V. T^ti^ libros in Græcum fuiſſe converſos, ſed ſolum Pentateuchum, ut ad eorum, quæ libris ceteris continentur, hauriendam notitiam Joſephina Antiquitatum elucubratione Græci, aliique ethnici eguerint.

Philoni quoque univerſum V. T^tum^ *legis*, vel *legislationis* nomine venire poterat, cum moris ſit apud omnes populos nomen toti tribue-

buere, a primaria, notiore, & præcipua parte. Hæc vulgaris eſt reſponſio, quæ ſolvendis objectionibus ſufficiens judicatur, ad quam firmandam complures textus apud Authores produci videas e libris Scripturarum a Pentateucho diverſis, qui tamen in lege ſcripti dicuntur, voce *legis* pro toto Biblico corpore uſurpatâ, ut quando Salvator Judæis reſpondit, Joan. 10. 34. *Non ne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis vos?* quod ex Pſ. 81. 6. deſumptum novimus. Similiter Joan. 15. 25. in lege ſcriptum ponitur, quod ex Pſ. 24. 19. & 1. Cor. 14. quod ex Iſa. 282. allegatur; facile creditur *legis* vocabulum latiori iſto ſignificatu Chriſtum uſurpaſſe ex more Judæorum, quem Philo quoque, & Joſephus ſecuti fuerint; quamvis enim Judæi, dum inter ſe agebant, Legis nomine paſſim ad ſolum Pentateuchum deſignandum uterentur, dum tamen ſermo ad exteros, & gentiles dirigebatur, legem nominare, erat totum Divinæ revelationis inſtrumentum proferre, ſicut nos Evangelii appellatione totam doctrinam N. Tto contentam non infrequenter ſolemus intelligere. Ita ipſimet Hebræi, ut *Azarias* jam adductus, & Gedalias in catena Cabbalæ, gentis ſuæ magiſtros legis nomine, quam a 70. ſenioribus translatam ajunt, cenſent totum V. Ttum intellexiſſe; nam in Thalmude Tractatu Sanhedrin h. e. de Synedriis, & conſeſſu judicum C. 2. reſurrectionem mortuorum ex Iſaiæ C. 55. v. 8. & Pſ. 84. 5. probant traditionis Doctores, deinde inferunt! *hinc reſurrectio mortuorum ex lege probata eſt.* Non abſimiliter Tractatu Sopherim h. e. de legis peritis, & ſcribis, ab Aquila, Symmacho, Theodo-

dotione *legem* fuiſſe translatam, uti & a 70. viris, commemorant, atqui certò certius eſt ab illis omne V. T^ti^ inſtrumentum intelligi, dum triumviros illos legem vertiſſe dicunt, ergò ita loqui cenſendi ſunt etiam tunc, quando 70. ſeniores legem vertiſſe aſſerunt. Ita exponendus etiam Ariſtobulus Judæus, Philoſophus Peripateticus, qui apud Euſeb. L. 1. Præp. Ev. in libro ſuo ad Ptolomæum Philopatorem hæc ſcribit: Tota vero legis interpretatio ſub Rege Philadelpho cognominato abavo tuo peracta eſt, Demetrio Phaleræo magnum ſtudium adhibente, & totum negotium dirigente; dicit translationem paratam eſſe, *panton dia tu nomu*; quod vertunt nonnulli: totam ſcripturam eſſe translatam, ut per *omnia quæ legis ſunt*, totum V. T^tum^ complexus videatur Ariſtobulus, qui rem totam ex Ariſtea, aliisque potuit cognoſcere. Nihil ſolemnius genti Judæorum, quam voce *Thora* ſeu legis, Chaldaice *Oraäh*, vel *Orajah* totum Dei verbum ſignificare, quod famoſiſſima *legis* diviſio in *Schæbbichthab*, & *Schæbbeyal pæh* h. e. *Scriptam*, & *ore traditam* manifeſtat, qua locutione univerſum doctrinæ ſcriptæ, & traditæ corpus ſolent denotare. Ex his jam liquet, authoritatem Joſephi vel non eſſe hic curandam, vel eum, quando ſolam legem verſam dicit, de tota V. T. ſcriptura in oppoſitione ad ea, quæ ſacris libris non continentur, & tamen ad hiſtoriam gentis ſpectant, interpretandum eſſe.

Hieronymum videamus! proœmio Quæſt. Hebr. in Geneſ. Joſephus, (inquit) qui 70. Interpretum proponit hiſtoriam, quinque tantum ab eis libros Moyſi translatos refert: quos nos

quo-

quoque confitemur plus quam ceteros cum Hebraicis conſonare„ in C. V. Ezech. „Quamquam & Ariſteas, & Joſephus, & omnis ſchola Judæorum V. tantum libros Moyſi a 70. translatos aſſerunt.„ in C. 2. Michææ „Interpretatio 70. (ſi tamen 70. eſt, Joſephus enim ſcribit, & Hebræi tradunt V. tantum libros legis Moyſi ab eis translatos, & Ptolomæo regi contraditos) tantum diſcordat in præſenti loco ab Hebraica veritate, ut nec capita poſſimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare.„

Reſp. Hieronymum opinionem Joſephi referre potius, quam adſtruere, cujus equidem interdum quæſiviſſe præſidium, quo 70. virali verſioni tranſcribentium indiligentia vitiatæ ſuam ex Hebraica veritate deſumptam præferat: communiter tamen, quando ſuam depromit ſententiam, ita loquitur, ut receptæ apud alios PP. ſententiæ de toto Biblico opere per 70. translato diſſidere haud videatur. L. 2. contra Ruf. C. 7. univerſi (inquit) Tractatus mei horum teſtimoniis texti ſunt. Commentarii in XII. Prophetas & meam, & 70. editionem ediſſerunt. Egone contra 70. Interpretes aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos, diligentiſſime emendatos meæ linguæ (h. e. Latinæ) ſtudioſis dedi? quos quotidie in conventu Fratrum ediſſero, quorum Pſalmos jugi meditatione decanto, tam ſtultus eram, ut quod puer didici, ſenex oblviſci vellem? Præf. in Pſ. Pſalterium Romæ dudum poſitus emendaram, & juxta 70. interpretes, licet curſim, magna tamen ex parte correxeram„ Præf. in LL. Salomonis „Si cui ſane 70. Interpretum magis editio placet.

ha-

habet eam a nobis olim emendatam; neque enim nova ſic cudimus, ut vetera deſtruamus.„ Præf. in Iſa. Unde conjicio noluiſſe tunc temporis 70. interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicue Ethnicis prodere, ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent: quæ cum hanc editionem legeritis, ab illis animadvertetis abſcondita - - hoc a faſtidioſis lectoribus precor, ut quomodo Græci poſt 70. Translatores Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem legunt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel ut 70. magis ex collatione eorum intelligant: ſic & iſti ſaltem unum poſt priores habere dignentur interpretem.„ Supponit igitur non ſolum Pentateuchi, ſed etiam Propheticorum librorum eosdem 70. fuiſſe tranſlatores, qui apud Ptolomæum ſunt commorati; quos dicit in C. 16. v. 13. Ezech. quæ prætermiſerunt „ forſan Alexandriæ in Græcum ſermonem ſcripturas ex Hebraica veritate vertentes, timuiſſe hoc edere, ne Regem Ægypti viderentur offendere, dum a Deo Jeruſalem debitum regnum aſſeverant. Illos Ptolomæo Regi Alexandriæ myſtica quæquæ in Scripturis ſanctis prodere noluiſſe, & maxime ea, quæ Chriſti adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille (Rex) ſectator Platonis magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur.„ Procem. Trad. Hebr. Et vero: qui fuiſſent alii, quos vir S. utpote Spiritu Dei afflatos omnia vere, & fideliter transtuliſſe, verum Scriptorum culpa ſubinde depravata clariſſime affirmat, ſi non 70. illi ſeniores? qui ſunt, quos dicit vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritûs S. autoritatem quædam addidiſſe, licet in Hebræis volumi-

luminibus non legantur, niſi Ptolomaici interpretes? aliisne obſcuri nominis verſoribus, qui Pſalmos, Prophetas, & Paralipomena Græce reddiderunt, Spiritûs S. autoritatem, & plenitudinem affulſiſſe cenſet? verba ejus dedimus pag. 195. 200. 201.

Sed inquiunt Hieronymum ſibi conciliari, quod in citatis locis loquatur ex vulgari, & paſſim recepta apud Patres opinione, in iis autem, quæ reſponſioni præmiſimus, ſuam diſertius explicet ſententiam; ipſum firmiter tenuiſſe, a 70. ſolam legem eſſe translatam, licet in commentariis, & dum ad vulgum loquitur, vulgari ſe accomodaverit opinioni. Hieronymum in Vertumnum nempe transformant, qui pro ratione loci, ac temporis opinionis mutabilitate variaverit, cui (ſi ita eſt) nos malumus dextram jungere, dum ille communi Patrum ſententiæ inhæret, quam ab hac cum ipſo diſcedere, dum ad elevandam Alexandrinæ verſionis authoritatem omni contentione fertur in obverſum.

Magnis, quibus ſecula noſtra abundant, Ariſtarchis (*s*) duce Ludovico Vives ad L. 18. Q Aug.

(*s*) Criticis ab Ariſtarcho Grammatico, & Critico celebri ita appellatis. Hic ex Samothracia oriundus, a Ptolomæo Philometore, qui filium ſuum fidei ejus commiſit inſtituendum, Olymp. 150. Alexandriæ magnam inivit gratiam, ut vero ſe celebrem criticum præſtaret, Homeri verſus (prout etiam Pindari, Arati, & aliorum Poetarum) cenſoria virga notavit, & quos minus accuratos, ſibique minus probatos deprehendit, tanto Autori abjudicans, tamquam ſuppoſitos, & rejiculos expunxit, qui anno ætatis 72. relictis duobus hebetibus, & a natura ſtolidis filiis in inſula Cypro inedia vitæ curriculum confecit.

Aug. de civ. C. 4. hæc Ariſteæ, (*t*) a quo Joſephus, Philo, & ceteri eam deſumpſerunt, de Alexandrina verſione narratio ad fabulas amandanda videtur; Natali Alexandro, Calmeto, & Obſtræto de Loc. Theol. Qu. IV. §. III. edit. Venet. 1769. pag. 30. conſentientibus; putant nimi-

(*t*) Ariſteas, qui & Ariſtæus, gente non ethnicus, ſed Judæus, ob dexteritatem, & morum, ac ingenii culturam in aula Ptolomæi Philadelphi familiarium numero adſcriptus, ab intimis Regi excubiis erat: &, cum gratia valeret, ut ſexcenti ſuæ gentis in libertatem aſſererentur, ab Rege obtinuit, dein legatione functus eſt cum Andrea, corporis Regii pariter ſatellite, Jeroſolymas ad ſummum Pontificem, ut ille idoneos Hebraicorum librorum interpretes Alexandriam mitteret, qui dato ad Philocratem fratrem libello legationis ſuæ, & paratæ verſionis hiſtoriam (quæ legitur Tom. IV. OO. Joſ. Flavii, & Tom. II. Biblioth. PP.) deſcripſit, quem *notheias* poſtulant citati Authores, defendunt vero Bellarminus L. 2. de V. D. C. 6. Proſper ab Aquila in Dictionario manuali Biblico voce: *Septuaginta:* etiam Uſſerius, quamvis pro virili nitatur 70. verſionem evertere, Ariſteam contra Scaligerum in Syntagmate C. 1. tuetur; & Cl. P. de Magiſtris Vallicellani Oratorii Presbyter apud Natalem Alex. Tom. II. V. T. in notis laudatus, nihil eorum, quæ ad vindicandam Ariſteæ fidem facere poſſunt, intactum reliquit. Nos, etſi veterum ſententiam pluribus confirmandi nec tempus, nec propoſitum habeamus, librum tamen Ariſteæ commentitium eſſe inficiamur, ne hominibus novandi ſtudio abreptis de rebus omnibus, quas illi magna conſenſione receperunt, dubitandi occaſionem præbeamus.

Primo: enim nulla adferri poteſt cauſa, quæ intellectum omnino convincat, cur Judæi talem fabulam confinxiſſent, & quidem ante tempora Chriſti: gloriam, & auram popularem ex editione Bibliorum apud Ethnicos captare non ſolebant, quibuſcum nul-lum

nimirum Judæos Alexandrinos commentum hoc excogitaſſe, quo Græcæ ſuæ verſioni auctoritatem conciliarent; cum enim in Ægypto, quo Ptolomæus Lagides Philadelphi pater ultra centum millia Judæorum in captivitatem transtulit, Hebræa lingua haud amplius uterentur, comparandi erant codices Græci ſermonis, & quia ſub gravi interminatione vetitum Judæis erat, ne alia, quam ſancta lingua Hebræa ſacros ederent libros, fingenda fuit hiſtoria, quæ prodigium quoddam referens, libris quidem autoritatem, interpreti vero immunitatem a pæna præſtaret: quia demum omne, quod magnificum, ac commendatione dignum ducerent, magni Synedrii authoritate probatum eſſe oportuit, pronum illis erat in vulgus ſpargere, hanc verſionem a magno Synedrio inſignem retuliſſe approbationem, ut nihil addi, nihilve demi amplius poſſit: alioquin Judæis ſolemne fuiſſe numerum LXXII. ſine ratione ſuperſtitioſius obſervare; definito huic numero facile (ajunt) anſam

 de-

lum eis interceſſit in ſacris commercium, &, ubi Alexandrinis iſta inceſſiſſet gloriolæ cujuſpiam appetentia, Jeroſolymitani, quando ab illis diſceſſionem fecerunt (fin. pag. 172.) tam inficetas, & indigeſtas (ut Adverſarii volunt) mendaciorum ſtruices non recepiſſent, ſed ludibrio, ac conviciis oneraſſent etiam, Ethnici vero illa de liberatione tot millium Judæorum, aliaque nimium quantum publica, cum ſermone Græco extarent, niſi vera cognoviſſent, falſitatis redarguiſſent.

Secundo: Omnia, quæ Joſephus, Tert. Euſebius, & Hieronymus ex Ariſtea proferunt, in hoc noſtro, qui nunc extat, ad verbum inveniuntur, luculento, ac gravi indicio, librum hunc, ab illo, qui veteribus præ manibus fuit, diverſum non eſſe.

dederit (ſic namque fabulas damnaturi ad fabulas convertuntur) quod de 72. Grammaticis ad Homeri opera inſtruenda a Piſiſtrato adhibitis narratur, quia ſolent ea, quæ celebrioribus viris contigerunt, ad conciliandum rebus ſimilibus ſplendorem ſæpius adhiberi. Vel quod habetur Exo. 24. Moyſen, Aaronem, & 70. ſeniores aſcendiſſe ad Deum; & quia pro his verbis, quæ habentur in Vulgata, V. 2. *nec ſuper eos, qui procul receſſerant de filiis Iſrael, miſit manum ſuam*, Helleniſtæ in Græca verſione legerunt: *& electorum Iſrael neque unus diſſenſit:* hinc enim & numerus, & mira conſenſio interpretum confingi potuit; Patres vero a Judæis plus, minusve ſemper deluſi miram illam conſenſionem, & quæ hanc eſt operata, Divinam inſpirationem veram, ratamque habuerunt. Neque tamen (inquiunt) error iſte multum erat pernicioſus, quod, poſteaquam conſtat autographum inſpiratum, & Divinæ originis eſſe, idem fere erat verſionem dicere accuratam, ac dicere inſpiratam, ſi enim Originale Divinum eſt, & inſpiratum, fidelis & accuratiſſima verſio non poteſt non eſſe pariter Divina, & inſpirata. Pentateuchum regnante, & poſtulante Philadelpho per quosdam Judæos Alexandrinos verſum fuiſſe adjuvantibus forte etiam nonnullis Paleſtinis, reliquos autem libros tempore ab hoc usque ad Chriſtum intermedio a quibusdam Helleniſtis accuratiore Grammatices, & criticæ notitia deſtitutis, diverſis porro temporibus, ut pro varietate librorum authores quoque fuerint varii, nec certum, an Chaldaico, vel Hebræo, exemplari uterentur. Millerus Geor. Auguſt. Profeſſor ſine ambagibus pronunciat: *Verſio 70.*

vi-

viralis fabula cenſetur ex Hebræo textu, *verum non punctato negligentiſſime facta.* Illud adhuc nempe reſtabat, ut Hipponacteo præconio verſio illa afficiatur, quam Oriens, & Occidens, hoc eſt: orbis Chriſtianus univerſus, cum ante Hieronymum aliud V. Tti exemplar non haberet, tamquam unicam in controverſiis religionis regulam etiam contra Judæos adhibebat.

Compluribus quidem argumentis (*u*) hæc doctiſſimi viri adſtruunt, ſed quæ nondum tam va-

(*u*) *Opponunt* I. Epiſtolam Demetrii Phalerei ad Regem, Regis ad Eleazarum, hujus viciſſim ad Regem unius, ejusdemque hominis ſtylum redolere; Præterea Demetrium quippe Athenienſem eloquentiſſimum fuiſſe, cum tamen epiſtola, quæ ejus eſſe fingitur, non ſine barbarie, humilique decurrat ſermone.

Sed lubricum, ac labaſcens eſſe ſolet hoc de ſtylo ductum argumentum: qui Athenienſis eſt, non ſemper diſertiſſimus, nec continuo Atticos lepores ſectatur. Hoc epiſtolion, quod unius paginæ in 8. una, & 40. lineis clauditur, non ſufficit ad formandum de barbarie, & humilitate ſtyli certum judicium, cultiſſimæ Græcitatis viri, qui linguam iſtam cum lacte materno imbiberunt, orationis vitium iſthic nullum olim viderunt. E recentioribus vero Iſaacus Caſaubonus judex de Græci ſtyli elegantia in primis idoneus Ariſteam hic *elegantem eſſe ſcriptorem* pronunciat, *cujus antiquitatem tum phraſis arguit*, *tum Joſephus*, *qui multum hinc deſcripſit*. *Credimus* (inquit) *admodum antiquum eſſe*, *& plane ejusmodi*, *quem non legiſſe aut Græcæ linguæ*, *aut antiquitatis ſtudioſum pœniteat*; *nam antiquiſſimus eſt auctor*, *nec dubito eum eſſe*, *de quo Joſephus*. *Itaque ille ipſe eſt*, *qui rebus geſtis interfuit*, *quæ hic memorantur*. Dato tamen, ſed non conceſſo: ponas ab Ariſtea epiſtolarum ſenſum propriis verbis referri, diſſipaſti omnia; quod facile confirmabis ex illa diverſitate verborum apud diverſos, ut ſen-

valida eſſe cenſeo, ut ſententiam de veritate 70. viralis verſionis tot ætatum ſucceſſionibus firmiter aſſertam aut evertant, aut de gradu magnæ cujusdam probabilitatis, quæ in hiſce rebus ſuffi-

ſenſum, non verba epiſtolarum dediſſe videantur, ex quo ad epiſtolarum negandam veritatem quam ſiniſtra ſit illatio, quisque videt; an enim ſacris, & prophanis idem non contingit, dum aliorum dicta ſuis reddere verbis malunt?

II. Hecatæum Abderiten in epiſtola Demetrii Phalerei laudari tamquam vetuſtum ſcriptorem, quem conſtat fuiſſe coævum. Magni ponderis putatur hoc argumentum. Vir iſte Abderâ natus in aula Alexandri M. educatus ab officiis erat Ptolomæo Lagidæ, Euſebius vocat eum Philoſophum, Suidas Grammaticum, & Criticum: ſcripſit hiſtoriam Judæorum. Falſum eſt eum velut vetuſtum authorem citari, immo recentioris ſcriptoris teſtimonium tamquam notius de induſtria a Demetrio apud Ptolomæum allegatum fuiſſe, ut præſentis, & notioris authoritas magis moveat, recte obſervat Jo. Albertus Fabricius in notis ad Epitomen Ariſteæ. Præſtat conſiderare verba ipſius Demetrii pag. 107, Tom. IV. OO. Joſ. Flav. edit. Havercamp. „Rectum autem fuerit, & hos libros accurate elaboratos extare inter tuos, (o Rex!) quia hæ leges & Sapientiores, & Sanctiores ſunt aliis, ut quæ ſunt Divinæ. Hinc enim cum alii ſcriptores, & Poëtæ, tum Hiſtorici omnes abſtinuerunt a mentione & librorum illorum, & virorum illorum, qui ſecundum leges has adminiſtrarunt, & adminiſtrant Remp. quia *ut Hecatæus Abderites aſſerit*, plane ſanctam quamdam, & venerandam contineant in ſe ſententiam, & contemplationem.„ Ubi hic Hecatæus antiquus vocatur? unde ejus inferes vetuſtatem?

In vitia Demetrii Phalerei, a Phalero Atticæ portu, natali ſuo hoc nomen indepti multis invehuntur: deſcribi eum ab Ariſtea, veluti cujus eximia fuerit pietas, & erga legem Dei obſequium, qui Regi dixerit, Divinam eſſe Hebræorum legem. Dum tamen con-

licere creditur ad aſſenſum, dejiciant; efficiunt ſolum, ut de narratione ea non omnino adſit certitudo, cui abſolute loquendo falſum ſubeſſe nequeat; verum in hiſtoricis, & facti quæſtionibus

 iſtud

conſtat, virum fuiſſe præter modum prodigum, obſcæuis amoribus implicitum, effæminatiſſimum, qui omni licentiæ, & libidini fræna laxaverit, ut coactus Athenis fugere Thebas primum, tum in Ægyptum venerit, ubi apud Ptolomæum Philadelphi patrem longo tempore fuit, a quo dum interrogaretur, an in filios ex Euridice natos, vel in Philadelphum ex Berenice genitum regni ſucceſſionem transferri oporteat, pro prioribus ex Euridice ſuſceptis ſuffragium tulit, Ceraunum Philadelpho juniori præferri debere pronunciavit, quamobrem Philadelphus vehementius in eum commotus, a morte patris omni dignitate, & officio exutum in cuſtodiam tradidit, donec aliter de illo decerneret, qui exilio dein multatus, aſpidis morſu ærumnis ſuis, & vitæ finem fecit. Quod teſtatur Hermippus apud Laertium, & Suidam, Cicerone pariter pro Rabirio referente: *aſpide ad corpus admota vita eſſe privatum.* Ex his patet: 1. Ariſteam zelum illum pro lege Judæorum Demetrio fallaciter affingere. 2. Demetrium honorificentiſſimo Bibliothecarii munere ſub Philadelpho functum nunquam fuiſſe, ſub quo Zenodotus huic officio eſt admotus.

Reſponſio: Falſum eſt Demetrium a pietate, & veræ religionis amore ab Ariſtea laudari, nominatim unus hic actus ejus commendatur, qui citra dubium multa laude dignus erat; narratur tantum eum aliquo ſenſu pietatis motum, authorem Regi fuiſſe, ut libros tam ſanctæ religionis in Græcum transferri curaret, quo interim animo, quave intentione Demetrius tam ſalutare conſilium Regi ſuggeſſerit, ſcrutator cordium Deus noverit: quoties iniquiſſimi, & nullius religionis homines vel quod ad propoſitum finem valere videant, vel ut Regis gratiam aucupentur, optimis rebus, quas reipſa averſantur, præſtandis operam conferunt? evenit non raro, ut homines in omnem vitæ licentiam, & improbitatem effu-

iſtud non obſtat, quominus tamquam verum ponatur, quod nonniſi veriſimilibus, & ad ſpeciem tantum gravibus rationibus, potiſſimum ex ignoratione adjunctorum illius temporis, & incohæren-

effuſi actus quosdam ponant vere pios, & ſingulari in Deum obſequio commendabiles.

Negamus interim laudes etiam longe majores in Demetrium conferri jure non potuiſſe: ſi ſuis homo ille ethnicus non caruit nævis, fulſit & virtutibus, ac perfectionibus illis, quibus emeruit, ut 10. annis apud Athenienſes ſummæ rerum præeſſet, cujus etiam Cicero L. 2. & 3. de legibus cum laude meminit. Virtutum, ac meritorum ejus teſtes ſunt 360. inſignes ſtatuæ æreæ, quibus ob præclaras animi dotes ab Athenienſibus eſt honoratus, quæ magnifica publici honoris nonumenta invidiam, & odium, ut fieri ſolet, ei conflaverunt. Negari nequit ab ipſo Laertio illum vocari graviſſimum Philoſophum, & ad miraculum ſtudioſiſſimum, qui dum apud Gautier Tom. 1. Biblioth. Philoſ. pag. 419. ſic loquitur. „Facilius ſane fuit Athenienſibus ſtatuas in mei honorem dicatas evertere, quam erigere: ſed nunquam poterunt virtutes, quas olim in me mirati ſunt, ex arce meæ mentis deturbare, aut ex merente demerentem me efficere:„ ſatis indicat, non mollitie ſe difluxiſſe, ſed præcelſæ mentis, ac multarum virtutum ſtudioſum ſemper extitiſſe; induſtriam viri loquuntur, quæ copioſiora, quam ceteri Philoſophi ſoliti fuerint, ſoluta non minus, quam ligata oratione conſcripſit, uti LL. V. de Legibus Athenienſium. II. de Athenienſibus Civibus. II. de modo regendi populum. &c.

Illud autem de ſiniſtro vitæ exitu omnes ex uno Hermippo, obſcuri nominis authore habent; zelum illum libros Hebræorum habendi, officium, & Regis voluntati ſatisfaciendi deſiderium depoſcebant. Eundem Demetrium ſub primordia regni Philadelphi Bibliothecæ Præfectum fuiſſe apud Euſeb. Citt. l. Ariſtobulus apertiſſime teſtatur, quando Philometori dicit: ſub avo illius Philadelpho cognominato to-

rentia factorum petitis, oppugnatur; non eſt conveniens receptam a veteribus ſententiam repudiare, aut malæ fidei, & erroris arceſſere, dum clara, & efficacia deficiunt argumenta, quibus falſi Ariſteas arguatur.

Q 5 Sed

totius legis interpretationem peractam fuiſſe, Demetrio Phalereo totum negotium dirigente (Demetriu Phalereos pragmatevſamenu ta peri tutòn) qui Hermippo prophano, & rerum Judaicarum nulla notitia imbuto anteferendus eſt, Ariſtea, Joſepho, & Patribus adſtipulantibus. Enucleatius tamen difficultatem, quæ ex tempore adornatæ verſionis naſcitur, ſolvit Henr. Valeſius in notis ad Hiſt. Euſeb. L. V. C. VIII. edit. Aug. Taur. an. 1746. pag. 191. Voſſio, Petavio, & Nat. Alexandro conſentientibus: nempe alios veterum hanc verſionem ſub Ptolomæo Lagi, alios ſub Philadelpho dicere fuiſſe apparatam, ex integro loqui eos, qui cum Anatholio ſub utroque perfectam ferunt, Philadelphus enim patri ſuo immediate ſucceſſit, & biennio cum eodem regnavit, quo tempore odio in Demetrium adhuc haud efficaci, neque manifeſtato, verſio perfecta fuerit, nec occurrit alia commodior veteres ſibi conciliandi ratio, cum Ariſtobulus, Joſephus, Tertullianus, & PP. unanimiter narrent, Demetrium ſvaſorem curandæ verſionis extitiſſe, quem conſtat ſumma gratia, & authoritate valuiſſe apud Lagidem, quidquid ſit de fortuna ejus ſub Philadelpho. Præterea omnium temporum docent hiſtoriæ, & quotidiana oſtendunt fata Magnorum, apud ſummos rerum arbitros ſæpe illum, qui hodie eſt cariſſimus, & acceptiſſimus, cras reddi inviſum: & e contrario contemptos, & odio prius habitos, aut neglectos repente in gratiam, & honoratiorem locum aſſumi, alternante vices ſuas fortunæ ludibrio. Gratia Magnatum leporino tergore fertur. Quod porro Vitruvius (ætate Chriſti ſub Auguſto vixit) Præf. in L. VII. Architect. Alexandrinæ Bibliothecæ erectionem ad Evergetem, aut Epiphanem Philadelphi ſucceſſores referat, nihil me movet, neque enim unius authoritas plurium, loco, &

Sed enim eſto! libellum Ariſteæ, ut hodie extat, manifeſte interpolatum eſſe, Authores iſti demonſtrarent, non continuo ſequeretur, ætate Joſephi, & aliorum veterum, qui eo ſunt uſi,

---

& tempori viciniorum relationem poteſt labefactare, aut evertere; forte de altera Bibliotheca, cui ſerapæo nomen datum eſt, non de Bruchio loquitur, quamquam illi ipſi, qui Ariſteam pro impoſtore habent, cum Nat. Alex. Tom. II. V. T. pag. 216. eandem Philadelphi Bibliothecam in ea urbis regione, quæ Bruchium vocabatur, in Serapidis templo collocent.

III. *Obſervant* Heptaſtadii mentionem fieri, quod poſterioris temporis fuerit, quia heptaſtadium, quo inſula Pharus Alexandriæ jungebatur, Ammianus Marcellinus opus Reginæ *Cleopatræ* fuiſſe aſſerit; ſed ſublata difficultas eſt, dum iſtud, quod dicit Ammianus, operis jam a Superioribus Regibus antea cœpti, & conſtituti inſtaurationem ex authoritate Julii Cæſaris L. 3. de bello civ. neceſſe eſt interpretari. Sic enim iſte narrat prope finem: „Pharus inſula a ſuperioribus regionibus (regibus eſſe oportet) in longitudinem paſſuum 900. in mare jactis molibus anguſto itinere, & ponte cum oppido conjungitur.„ Quæ heptaſtadii eſt deſcriptio. Uberius Humphredus Hody diſſerit contra eos, qui ex nomine heptaſtadii Ariſteæ librum longe junioris ſcriptoris commentum eſſe convincere ſtuduerunt. Scimus, quam elumbe, ac plumbeum ſit adverſus clariſſima aliorum teſtimonia tale ratiocinium.

IV. Quomodo (inquiunt) ex qualibet tribu ſex delecti fuiſſent, cum ſola tribus Juda, & Benjamin eſſent illo tempore Jeroſolymis, X. tribubus ſolidis 717. ante Chr. annis in captivitatem abductis, nec deinceps unquam in patriam regreſſis? Verum recte animadvertit Uſſerius nec a Salmanaſſare integras tribus abactas fuiſſe, ſed partem e quavis remanſiſſe; deinde reponit Serrarius nonnullos e ſingulis tribubus reverſos, quod Calmetus ad C. 49. Gen. v. 10. aſſerit ex epl. ad P. Thomam de Charmes Cappucinum,

uſi, talem fuiſſe; profecto ſi liber ille tot, ut iſti volunt, tamque apertis mendaciis & circumſtantiæ loci, ac temporis repugnantibus commentis refertus fuiſſet, viri in Eccleſia omni propha-

num, ſolidum Theol. Tournelianæ epitomatorem data, & Diſſert. de reditu X. tribuum Comment. in Ezech. præfixa multis evincit. Ipſe Joſ. L. 1. Antiq. pag. 408. 24. familiarum Sacerdotalium diviſionem miniſterii dicit manſiſſe ad ſua usque tempora. Satis liquet, longe poſterius ævo Chriſti tribuum diſcrimen fuiſſe obſervatum, & Annam e tribu *Aſcher* Luc. 2. 36. deſcendiſſe, fierique etiam tribuum XII. mentionem. Act. XXVI. VII. Jacobus eplam. orditur: *XII. tribubus, qui ſunt in diſperſione ſalutem.*

V. Incredibile Adverſariis videtur, Helleniſtas (Judæos extra Paleſtinam commorantes, & non Hebraica, ſed Græca lingua utentes) in Hebræa lingua tantum mediocriter verſatos, ex tempore ſententiam tuliſſe: omnia rectiſſime eſſe translata, caveri debere, ne in poſterum quidpiam addendo, aut demendo immutetur, ipſum perſonatum Ariſteam ſuæ narrationi, ne rejiciatur ut commentitia, metuentem animos legentium præoccupare, dum cautius aſſeverat, non fabulam, ſed veritatem ſe narrare.

Sed quis hypercriticis iſtis revelavit, ex tempore, ſine maturo conſilio judicium hoc fuiſſe latum? aut Helleniſtarum primarios viros Sacerdotes, & Rabbinos ita Græciſſaſſe, ut Hebraica, quæ Bibliis comprehenduntur, adeo mediocriter ſcirent? quid quod Jeroſolymitanorum, qui Hebraicam, ſyro-Chaldaica dialecto loquebantur, adprobatio acceſſerit? vel hodie per orbem diſperſi exactis jam inde bis mille annis Rabbinorum præcipui Hebraicum intelligunt, hac lingua commentaria ſcribunt &c. Video authores iſtos alias Hebræorum in ſacros libros, & linguam ſuam ſtudium prorſus ſingulare magnis ubique laudibus extollere, modo vero tam negligentes, & incurios fingere volunt! Si autem, quod omnes antiqui teſtantur, recte, ac Hebræo conſentienter verſa ſunt

phana, & hiſtorica eruditione conſpicui, illis temporibus viciniores, quorum multi Alexandriæ floruerunt, id ipſum advertiſſent, quia temporum, locorumque notitiam habebant longe exactio-

ſunt omnia, & opera 72. virorum perfectiſſime elaborata, ut nihil deinceps immutetur, ſapientiſſime eſt conſtitutum. Ariſteam ſi inſinuet, non fabulam, ſed veritatem ſe ſuſcepiſſe narrandam, quis propterea fabulatorem pronunciet.

VI. *Poſtremo* ad Philadelphi, quem Patres laudibus ornant, vituperationem convertuntur, & ſceleratam ejus vitam multo ſermone traducunt; ſpeciatim commemorant, Regem hunc a prophanis Authoribus deſcribi, prodigum, crapulæ, & voluptatibus deditum, vile Veneris mancipium, qui concubinarum gregem aluerit, & uxori ſuæ Berenice ſororem ſuam adjunxerit, nec geminorum fratrum vitæ pepercerit. Ab Ariſtea autem, Judæis, ac Patribus, qui iſtis nimia facilitate aures præbuerunt, tamquam veri Dei cultorem, & laude digniſſimum Principem proponi. Denique hac occaſione 120. millia Judæorum in libertatem aſſerta, tantaque dona Jeroſolymas miſſa, prout Ariſteas refert, fidem omnem ſuperare contendunt.

Non eſt immodici laboris hæc omnia conciliare. Multos legimus Principes vitiis quibusdam inſigniter maculatos, ex adverſo: virtutibus compluribus, & factis egregiis commendari, laudari ab his, culpari ab illis. Primus e Chriſtianis Imperatoribus Conſtantinus M. vituperatoribus ſuis non caruit, *absque Catone ſuo non fuit ipſe Cato.* Nec qui Bacho, Venerique mancipati, molliter, ac luxurioſe vivunt, Mæcenates eſſe deſinunt; Perſarum, qnibus Græci in imperio ſucceſſerunt, legibus tale matrimonium permiſſum fuit, licet Græcis non probaretur, & plures habere uxores, vel ſi mavis dicere concubinas, moris erat.

Philadelphus vere Mæcenas fuit Literatorum ampliſſimus, & munificentiſſimus, cui in amoribus erant Poëtæ, amænus ille *Callymachus*, Cyrenæs, judice Quin-

actiorem. Præterea, licet quæpiam ſabuloſa, aut relationi aliorum hiſtoricorum contraria Ariſteam narrare doceretur, non eo ipſo in ſubſtantia facti erraſſe, aut ſtudioſa voluntate mentitus fuiſ-

Quintiliano Elegiacorum Princeps: & nativus, faciliſque *Theocritus* Syracuſanus, quem in Bucolicis Virgilius æmulari potuit, æquare multorum judicio non potuit, in exprimenda ruſtica ſimplicitate nulli ſecundus, qui Idyllo XVII. Regis hujus laudes, imperii amplitudinem, & opulentiam canit, edit. Henri Steph. an. 1579. in 12. pag. 146. ab illis verbis: *Polys de hi olbos opèdei* h. e. *multa autem eum opulentia ſequitur*, a quo nemo eruditorum diſceſſit vacuus, cui dignam artis mercedem non præbuiſſet, ſeu ut ait rurſus Theocritus: *hò u dòtinam antaxion òpaſe technas.* Utinam commemoratione laudum ejus, viventium Principum, & potentiorum hominum animi ad literatos viros honoribus, præmiiſque fovendos, & ornandos exſuſcitarentur! næ nos Literas florentiores, majoremque *vere doctorum* copiam haberemus, ut enim bona temperies, & clementia aëris ubertatem frugum: ita honor, & munificentia bonarum artium varietatem, & excellentium ingeniorum multitudinem producere, alereque conſvevit: Sint Mæcenates non deerunt Flacce Marones. ſicut non defuerunt Philadelpho, cujus temporibus extiterunt etiam *Lycophron* Poëta Chalcidienſis, *Aratus* ſolis in Cilicia, cujus velut concivis ſui Hemiſtichion Act. 7. S. Paulus adducit: *Ipſius enim & genus ſumus.* (tu gar kæ genos esmen) *Zoilus* maledicus ille Criticus Homeromaſtix lepido reſponſo a conſpectu Regis dimiſſus. *Manetho* Sëbennyta Hierapolitanus hiſtoriæ Ægyptiacæ Philadelpho dicatæ author. Munificentiæ Philadelphi teſtes ſunt Phliarchus apud Athenæum L. 12. C. 17. Vitruvius Præf. L. 7. de Architect. qui narrante Strabone L. 17. ſuper omnes Ægypti Reges erat cognitionis rerum ſtudioſus, cum propter corporis imbecillitatem ſemper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret, quem Tertullianus Ptolomæorum eruditiſſimum, & omnis literaturæ ſagaciſſimum prædicat.

fuiſſe dicendus eſſet. Nunquam Philonem, & Joſephum Ariſteæ libello delaturos fuiſſe mihi perſvadeo, niſi aut ille, prout tunc extabat, certæ fidei fuiſſet, aut facti hujus veritatem ex Majo-

cat. In cauſam, ob quam duos fratres ſuos e medio ſuſtulerit, non inquiro, multi ad publicam ſecuritatem in invaſores, aut eos, a quibus ſibi, thronoque metuebant, ratione non diſſimili animadvertebant.

Celebratur *Muſæum* Philadelphi jam a patre ejus pariter Muſageta præclariſſimo, in arce Regia erectum, ubi docti viri honorificis ſtipendiis alebantur, loco communis triclinii (refectorium vocant) deambulationis, & privatis pro quovis ædibus ſufficientiſſime inſtructum. Bibliothecam Alexandriæ celeberrimam 200. primum, mox 500. demumque 700. librorum millibus inſignem ex toto orbe Philadelphus comparaverat; ſed quoad numerum librorum Joſ. Flav. L. 12. Ant. C. 2. Gellius L. 6. C. 17. Ammianus Marcellinus, & Seneca variant: iſte quidem de tranquillit. Animi C. 9. ſic habet: *quadringenta* (juxta Gellium 700.) *millia librorum Alexandriæ* (ſub Julio Cæſare bello Ægyptiaco) *arſerunt pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum.*

Ne alia præclara ejus facinora ſilentio prætereamus, quibus nominis ſui celebritatem in ventura ſecula transmiſit, illud dicere ex vero poſſumus, eum, cum infirma eſſet valetudine, pacis magis, quam belli artibus conſpicuum, tam multa ingenii, & ſuæ ad publica commoda liberalitatis monimenta reliquiſſe, ut nullus Regum paria præſtiterit, & ab ipſo elegantia, ac magnifica opera teſte Philone L. 2. de vita Moyſis *Philadelphia* fuerint nominata. Præ aliis cunctis, regnum divitiis, & ſplendore illuſtre reddidit, multis exſtructis, aut amplificatis urbibus. Ex Nilo canalem in mare rubrum deduxit, ut mercibus Arabum, Æthiopum, Indorumque Alexandriam devehendis ſerviret, artem navigandi ad maximam extu lit perfectionem. Ad naturæ ſcrutinium elephantum venationem in Æthiopia multis mercede conductis hominibus in-

jorum traditione, & communi Judæorum perſvaſione habuiſſent. Nunquam Ariſtobulus Judæus, Philoſophus Peripateticus, qui etiam commentarium in libros Moyſis edidit, & anno ante Chr.

---

inſtituit, quibus ad mare rubrum urbem, quæ primum *Ptolomaïs*, deinde a venatione *Theron* dicta eſt, ædificavit. Obeliſcum memorabilem erexit. Annuæ exundationis Nili cauſam primus detexit, & a majoribus pluviis, quæ inter æquatorem, & Tropicum cancri cadere ſolent, repetiit. &c.

Quod autem 120. millia Judæorum libertati reddiderit, quid ſi æquitate rei, & aliis occultis de cauſis id facere jam ante meditabatur? quod epiſtola ad ſummum Pontificem data ſubindicare videtur. Sed (inquiunt) donorum Jeroſolymas miſſorum magnificentia, & amplitudo prorſus incredibilis eſt. Nequaquam: immo hæc veroſimillima videbuntur cogitantibus, quanta magnificentia proſecutus ſit Athenienſes propter Sophoclis, & Euripidis autographa, ſibi ab eis conceſſa: reponit Albertus Fabricius. Nimirum ad aſſequendum, ſi quem ſibi proponunt, ſcopum potentes potenter agunt, & Auguſta molimina nullis cedunt ſumptibus. Talia præſtare, quia ingenti rarioribus libris Bibliothecam nobilitandi deſiderio flagrabat, voluit, & quia immenſis opibus abundabat, potuit; cum Ægypti totius, partis Æthiopiæ, Arabiæ, Syriæ, Ciliciæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Cycladum quoque inſularum dominus eſſet. Teſtatur Hieronymus Philadelphum de Ægypto per ſingulos annos accepiſſe 14. millia, & 800. talenta. Appiani locus ad Philadelphum pertinens ita habet: „Quippe meis Regibus ſolis exercitus fuit peditum ducenties mille, equitum quadragies mille, & elephantes bellis utiles trecenti, currus ad prælia bis mille, arma, quæ perpetuo ſufficerent trecentis millibus. Et hæc quidem ad bellum terreſtre. Ad bellum vero navale naves contis propulſæ, & minores aliæ bis mille; naves vero longæ, a biremibus ad usque eas, quæ quinque ordinibus agebantur, mille & quingentæ; armamenta autem ad duplicem harum numerum ſufficientia: tum vero naves, quæ

Chr. circiter 176. Ptolomæo Philopatori dedicavit, ita apud Euſebium Præp. Ev. L. 13. C. 12. locutus fuiſſet: *Avi tui tempore integrum eorum, quæ ad noſtras leges pertinebant, omnium*

quæ thalamegi dicebantur, aureis cum proris, aureisque puppibus ad belli ornatum, in quibus Reges ipſi vectabantur, octingentæ: pecuniæ in theſauris ſeptingenta, & 40. millia talentorum Ægyptiorum. Namhas opes, & hos belli paratus coegerat, reliqueratque II. poſt Alexandrum Rex, ut ex Regiis commentariis apparet.„ Univerſim 33339. Civitates Philadelpho parebant, quod ex mox laudato Theocriti * Idyllio ſatis clareſcit, cujus Latina verſio eſt apud Grotium in C. XI. Danielis.

Eſt olli dives opum vis
multas ille regit terras, maria undique multa,
Sunt alibi innumeræ gentes; feliciaque arva,
In queis læta ſeges cæleſti paſcitur imbre;
Sed non eſt humus Ægypto fæcundior ulla,
Cum madidat glebas exundans flumine Nilus.
Non alius tot habet florentes artibus urbes:
Oppida namque illi ad decies termillia parent,
Atque aliæ termille urbes, iterumque trecentæ,
Et ternæ undecies, geminatoque ordine ternæ:
Magnanimus regnat Ptolomæus in omnibus iſtis;
Ille Arabum fruges metit, & Phoenicia rura,
Æthiopasque regit nigros, Arabasque, Syrosque,
Pamphylosque omnes, Ciliciumque ferocia corda,
Bellaceſque domat Caras, Lyciumque phalangas,
Et Sparſas pelago tot Cycladas. optima namque
Navigia illius complent mare. Pontus, humusque
Imperio parent Ptolomæi, amnesque ſonantes.
Ingens vis equitum, clypeatique agminis ingens
Perſonat acre, quibus fulgenti tegmen ab ære eſt.
Illius exſuperat cunctos opulentia Reges,
Tantum quæque dies magnis penetralibus infert
Undique. Tum gentes in pace laboribus inſtant.

Spectata tali Regis hujus opulentia, & liberalitate, populi Judaici liberatio, & ingentes illi ſumptus iis ſolum apparebunt ad præſtandum difficillimi, qui, etiam-

nium interpretationem præcipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera (Interpretes) *elaborarunt:* niſi ætate illa hiſtoriam verſionis publica approbatione receptam noviſſet.

R Por-

etiamſi per ipſos ſtaret, in vindicandis tamen ab oblivionis injuria, & propagandis ſacris libris ethnico rege Ægyptio remiſſiores eſſe videntur.

* Hic ipſe, quem verſamus (pag. 253.) Theocritus multis videtur ex Cantico Salomonis profeciſſe. Ita Sanchez a Calmeto ſingulariter laudatus, velut erud itus, ſapiens, ſolidus, omnium, quos noverit, interpretum præſtantiſſimus, putat eundem Alexandriæ in Bibliotheca Ptolomæi legiſſe ex 70. verſione Cantica Canticorum. Quod ubi clare poſſet oſtendi, clarum quoque fieret, 70. etiam Cantica Canticorum, adeoque omnes XXII. libros V. T. vertiſſe. Ipſe Calmetus in Cant. 1. 8. obſervat, comparationem a Salomone adhibitam cum illa Theocriti Idyll. 18. in multis congruere. Procul dubio in Idylliis VII. XV. XVIII. de Arſinoe Ptolomæi filia, nec non in epithalamio Menelai, & Helene Salomoniacis ſimiles, alias inconſvetas comparationes licet invenire. - - Helena inter ſexaginta puellas, ut aurora exoriens decoram oſtendit faciem, ut fugata hieme ver candet: ſic Helena inter nos, procera ut in horto cypreſſus, aut in curſu Theſſalus equus. O pulcra, o gratioſa! tui bene memores, ſicut lactentes agnæ, quæ matris ubera deſiderant. „ Memores uberum tuorum dixit Salomon. Peculiariter notari meretur, Origenem, qui, cum teſte Hieronymo in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum (enucleando) ipſe ſe vicit, in Cant. Homil. I. Tom. III. pag. VII. edit. Venet. 1743. palam dicere, ex hoc Canticorum libro gentiles Poëtas methodum componendi epithalamii deſumpſiſſe, quo aſſerto haud obſcure Theocritum, a quo poſteriores eam didicerunt, indicare videtur. Origenis verba ſunt: „ Ex quo (libro) & Gentiles ſibi epithalamium vindicarunt, & iſtius generis carmen aſſumptum eſt. „ In margine nota ponitur: alludit ad dramata Poëtarum.

Porro quiſquis contra unanimem omnium veterum ſcriptorum, immo totius Eccleſiæ Chriſtianæ ſententiam quidpiam aſſertive, & definite pronunciat, in rebus, quæ teſtimoniis præcipue nituntur, & gravioris momenti negotium complectuntur, non nudas conjecturas, ſed majoris ponderis argumenta, & liquidas demonſtrationes, quibus nemo refragari poſſit, adferre debet, ne ſecus ridendum ſe præbeat, dum fidem, quam pluribus conſentienter teſtantibus, facto viciniori bus, & longo tot ſeculorum uſu autoritatem conſecutis temere negat, ſibi ſoli habendam decernit.

Dicimus itaque verſionem 70. viralem ſub Ptolomæo Philadelpho, prout Ariſteas narrat, reipſa contigiſſe, adeoque narrationem hanc quoad ſubſtantiam, & præcipuas circumſtantias veritate niti, quia Joſephus Flavius, Philo, & Patres communiter referunt, nec certis iſta relatio argumentis eſt hucdum confutata, aut falſitatis convicta.

IV.

Tot inter opiniones de 70. virali verſione variantes hæc indubitata ſunt, & ab omnibus conceduntur.

1° Verſionem hanc antiquiſſimam eſſe, ut ſaltem quoad Pentateuchum etiam ad ætatem Ptolomæi Philadelphi, aut eidem ſatis vicinam referri poſſit, totaque XXII. codicum Hebraicorum Græca verſio epocham Æræ Chriſtianæ multis annis prævertat.

2° Divina providentia gentium converſioni deſtinatam fuiſſe; occupato namque per Alexandrum M. Orientis imperio Græcus ſermo ubique

cœ-

cœpit dominari, quo autem Græcorum potentia non pertigerat, doctrinæ ſaltem exiſtimatio ceteros ita attraxit populos, ut, dum Evangelium promulgaretur, Græca lingua jam totum terrarum orbem pervaſerit, & non ſolum Oriens totus, ſed & Romani Græco ſermone uterentur. Providit itaque Deus, ut Hebræus codex multo ante tempore jam Græce verſus extaret, quo nationibus palam fierent, quæ ipſe per Prophetas de Filio ſuo mundi Soſpitatore olim prædixit; facilior ſic Apoſtolis ad converſionem populorum via præſtructa eſt, cum, quæ modo ab his prædicari audiunt, a ſacris Vatibus prænunciata, in lingua ſibi nota a duobus retro ſeculis legerent, nullaque de Apoſtolorum fraude, vel Judæorum malitia ſuſpicio potuit oriri.

3° Verſionem hanc apud Judæos ad minus eos, qui Helleniſtæ dicebantur, maxime in Ægypto, ſed & alibi locorum extra Judæam commorantes, in ſumma fuiſſe authoritate ante tempora Chriſti: ut enim, quod non admiſi, concedam pauliſper, Ariſteæ narrationem fabuloſam eſſe, hæc ipſa ex mente Adverſariorum ideo tam ingenioſe excogitata eſt fabula, ut authoritas illa, quam ei ineſſe Helleniſtæ voluerunt, credibilis reddatur, faciliusque admittatur.

4° Tempore Chriſti, & Apoſtolorum Authenticam fuiſſe, & publico uſu conſecratam; nam Chriſtus, & Apoſtoli non citant, niſi perraro, loca V. Ti ſecundum Hebraicum textum, ſed ſecundum hancce verſionem; ex quo conſequens eſt, tempore iſto etiam apud Judæos Paleſtinos, ſeu intra Judæam concluſos, authoritatem ejus ratam fuiſſe, ſecus Chriſtus, & Apoſtoli hac nunquam uſi fuiſſent, aut ſi eam addu-

xiſſent, maxime ubi ab Hebræo tam manifeſte abit, reclamaturi erant.

5° Primis quoque ſeculis *usque S. Hieronymum* Authenticam manſiſſe, adſtruendum videtur, licet in particularia quædam exemplaria menda varia irrepſerint: ſecus Univerſa Eccleſia caruiſſet Scriptura S. Authentica, nec ullum ſcripturæ exemplar in uſu publico habuiſſet certæ authoritatis, quod eſt abſurdum, & providentiæ Dei e diametro oppoſitum. *Usque S. Hieronymum* dico, in quantum fieri non potuiſſe creditur, ut verbi Divini ſinceritas nec in Græcis probatioribus codicibus, nec in antiqua Latina editione, quæ authoritatem ſuam habuit a conformitate cum 70., deprehenderetur ante tempora S. Hieronymi; cum quo tamen cohæret, vulgarium 70. viralis verſionis exemplarium multiplicem, nec parvam extitiſſe ſeculis III. IV. & V. deformationem, ut ex parte acquieſcendum ſit accuſationibus, e quibus novæ ſuæ ex fonte verſionis æquitatem, & neceſſitatem vir S. tuetur, & quæ facta claritatis gratia diſtinctione iſthuc tamquam ad fontem ſuum commode revocantur.

Multiplicatis apud Chriſtianos in immenſum apographis, & ſæpe non ſine aliquo errore tranſumptis, dum (*koine* pag. 201. 202. h. e.) *communis* editio variis vitiata mendis circumferretur, Origenes puram, quæ in eruditorum libris ætate Hieronymi adhuc conſervabatur, Hexaplis (*x*) inſeruit. Unde ſeculo V. duplex fuit exem-

(*x*) Hexaplorum tres columnas factæ ex Hebræa lingua in Græcam ſec II. a tribus viris Aquila, Symmacho, Theodotione apud Veteres multum celebra-

exemplar hujus verſionis: *Hexaplaris*, & *communis*, illa veris Hebræorum apographis conſentiens, & ſincera, iſta vero multis contaminata nævis, & ſcatens erroribus. Utriusque hoc diſcri-

bratis tres diverſæ verſiones conſtituunt. Aquila patria Synopenſis e Ponto Aſiæ minoris ſub Hadriano Imp., cui valde acceptus fuit, ut etiam fabricis ad reſtituendam Jeruſalem præficeretur, e gentilismo ad Chriſtianismum tranſivit, ſed cum Aſtrologiæ ſuperſtitioſæ, quæ ex hora nativitatis, & aſtrorum conſtitutione futuram hominum bonam, vel malam ſortem vaticinatur, magno ſtudio eſſet intentus, ejectus ab Eccleſia ad Judæos defecit, (unde ab ipſis Rabbinis Tract. Megilla. C, 1. *Ger.* h. e. pergrinus, advena, & proſelytus dicitur) a quibus Hebraicis literis eruditus, Rabbini Akibæ teterrimi Chriſtianorum hoſtis, teſte Hier. in C. VIII. Iſai. diſcipulus, magiſtro ſuo in Chriſtiani nominis deteſtatione nihilo inferior, novam ex fonte Hebræo V. T. verſionem an. Chr. 129. vel 158. Imperii Hadriani XII, immo juxta plerosque duplicem, unam altera celebriorem *kat' acribeian* h. e. ſecundum accuratiſſimam proprietatem preſſe verbum e verbo reddens, & ipſas etiam etymologias transferens, ut *Lebanah*, quod eſt luna, *albam*, & *chhamah*, quod eſt ſol, *calorem* reddiderit, quia radices harum vocum ſimile quidpiam ſignificant: veluti ſi Hungaricum *vilàg*, quod mundum ſignificat, lumen, & *verö-fény*, quod ſolis ſplendor eſt, verberantem ſplendorem, Latine, aut *Husvét* h. e. *Paſcha*, carnis ſumptionem verteres.

Hieronymus ſcribens ad Pammachium de optimo genere interpretandi Aquilam de nimia iſta verbalis translationis affectatione accuſat. „Aquila contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed etymologias quoque transferre conatus eſt, jure projicitur a nobis.„ Laudat quidem ſcribens ad Damaſum ſtudium ejus quoad expreſſionis germanitatem „Aquila, non contentioſus, ut quidam volunt, ſed ſtudioſus verbum interpretatus eſt ad verbum.„ Damnat tamen conſtanter ejus cacozeliam. „Quis enim pro fru-

ſcrimen aſſignat Hieronymus ſcribens ad Suniam, & Fretellam milites natione Germanos (aut, ſi placet, Hunnos) poſtea Epiſcopos, vir horum ſcientiſſimus. „ Illud breviter admoneo, ut ſcia-

frumento (inqui) & vino, & oleo poſſit vel legere, vel intelliger:, *chevma*, *oporismon*, *ſtilbotèta*, quod nos poſſumus dicere fuſionem, pomationemque, & ſplendentiam? atqui non ſolum Hebræi habent *arthra*, ſed & ille *cacozelos*, qui ſyllabas interpretatur, & literas, ut dicat (Gen. 1. 1.) *ſyn ton Uranon*, *kæ ſyn tèn gèn*, quod Latina lingua omnino non recipit. „ Et Præf. in Job. de famoſa hac triade ita pronunciat. „ Apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotio vel verbum e verbo, vel ſenſum e ſenſu ex utroque commixtum, & medie temperatnm genus tranſlationis expreſſerunt. - - - Judæus Aquila, Symmachus, & Theodotio judaizantes hæretici multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt; & tamen in Hexaplis habentur apud Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis viris.

Porro licet a Judæis teſte Aug. L. 15. de civ. C. 23. Aquila præ omnibus aliis laudetur, a Patribus tamen omnibus illi vitio tribuitur textuum ad Meſſiam pertinentium, aut quaqua ratione Chriſtianis faventium ſtudioſa in alienum ſenſum detorſio, cujus luculentum proferunt exemplum Iſai. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet:* ubi vocem *yalmah*, quam non fecus, ac Gen. 30. 19. ſi etymologiam ſequi voluiſſet, aut *abſconditam*, aut cum 70. ſenioribus *parthenon* h. e. virginem transferre debuiſſet, ficto corruptè vocabulo *Neanis* h. e. adoleſcentula transpoſuit: *Ecce* (communis quædam) *adoleſcentula concipiet.* Quod Hieronymus erroris arguit, quia „ alma non ſolum puella, vel virgo, ſed cum epitaſi (intenſione) virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. „

Sunt hodie, qui defendant Aquilam, eum namque recta intentione etymologiæ ſtudio *Neanis* poſuiſſe aſſerunt, cum enim *yælam* 1. Sam. 17. & Gu- lam

ſciatis, aliam eſſe editionem, quam Origenes, & Cæſareenſis Euſebius, omnesque Græciæ Tractatores *koinen* h. e. *communem* appellant, atque Vulgatam, & a plerisque nunc. *Lucianos*
R 4 di-

lâm apud Arabes *Neanian* h. e. adoleſcentem ſignificet, ſicut ex *roſch* caput, *bereſchith: En kephalæo*, quaſi: *in principiolo* vertit, ita etiam vocem *yalmah* quippe ab *yalam* in Græco *Neanis* vertendum cenſuit. Sed enim præterquam quod *yalam* apud Hebræos adoleſcentem aut non, aut nota Virginitatis perinde inſignem ſignificet, ubi conſtat Aquilam Chriſtianis fuiſſe infenſum, Patribus deferendum eſt, qui intentionem ejus magis perſpectam habuerunt. Cur enim etiam vocem *Meſiachh* non *Chriſtos*, ſed ſubſtituto æque unctum quidem ſignificante, ſed non ita vulgari, & conſecrata voce *eleimmenos* reddidit, niſi quia loca Meſſiam ſonantia occulere voluit? *Symmachus* gente Samaritanus, iterato circumciſus, dein Chriſtianus, demum Ebionita, ſeu Nazaræus, h. e. ex iis Judæis, qui legem veterem cum Evangelio ſimul obſervandam ſtatuebant, tempore Severi Imp. circa an. Chr. 192. verſionem ſuam puriore, ac nitidiore Græci ſermonis ſtylo elucubravit, & ut Hieronymus, qui iſta verſione præprimis delectabatur, in C. 22. Jerem. ſcribit, *non verbum ex verbo, ſicut ante ipſum Aquila, ſed ſententias juxta intelligentiæ ordinem expreſſit.*

Theodotio juxta Epiphanium Ponticus e ſectatoribus Marcionis Hæreſiarchæ ad Judaismum declinans, circumciſus, & Hebræorum linguam edoctus, vel juxta Irenæum Epheſinus, Ebionita, circa an. Chr. 184. ita ex Hebræo in Græcum V. T. convertit, ut 70. virali verſioni quam maxime accederet, atque hæc eſt vera ratio, cur nonnulla, quæ in 70. virali editione jam primis ſeculis deſiderabantur, Judæorum, ut putatur, fraude celata, ex Theodotione Eccleſia ſuppleverit, actuque ſuppleat.

Quinta verſio ſic appellata, quod poſt 70. habita ratione temporis quintum locum teneret, anno VII. Caracallæ Imp. Chr. 217. in urbe Jericho inventa eſt,
hanc

dicitur: aliam 70. Interpretum, quæ & in Hexaplis codicibus reperitur, & a nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa eſt, & Jeroſolymæ, atque in Orientis Eccleſiis decantatur. *Koine* au-

hanc ad priores IV. Origenes adjecit, & inſcriptione facta per quintam Alphabeti literam quinarii numeri ſignificatricem deſignavit.

Sexta verſio teſte Epiph. L. de Menſ. medio tempore Alexandri Mammææ filii in urbe Nicopoli ad Actium Epiri promontorium in dolio occultata in Origenis tunc in Græciam profecti manus pervenit, quam perinde nota numeri ſenarii ſignavit; ſciens autem (proſequitur Epiph.) 70. viralem exactam eſſe, atque ſinceram, ipſam inter quinque haſce verſiones in medio locavit, quo hinc, atque illinc poſitas interpretationes redargueret. Atque ex his verſionibus juxta ſe locatis Hexapla confecta ſunt.

Nempe decumano labore in ſex columnis vaſtioris voluminis juxta ſe collocatis ita V. T. edidit Origenes, ut in ſingulis paginis ſex verſiones antea recenſitæ exhiberentur: & quidem columna I. Hebræus textus nativis ſuis Hebraicis. Columna II. idem textus, ſed Græcis literis in gratiam eorum, qui Hebraicæ lectionis ignari erant, ad eum modum, quo nos quoque Hebraicas voces, prout efferri debent, diſcentium commodo Latinis characteribus deſcribere ſolemus E. G. Gent. 1. 1. Bereſchith bara ælohim. Columna III. Aquilæ verſio, anxia nimirum ſedulitate, & ſtudioſa affectatione ad verbum preſſiſſime confecta; unde hanc legere, fuit quaſi totidem verba Hebraica legere Græce reddita, ex quo cenſent aliqui verſionem hanc nomine Hebræi textus, quod eum examuſſim referret, ſæpe a veteribus laudari. Columna IV. Symmachi. Columna V. ſeptuaginta duorum Interpretum. Columna VI. Theodotionis. Quibus poſtquam *quintam*, & *ſextam* addidit, jam non Hexapla, ſed octapla fuerunt, & dicebantur; quaſi ſextupla, & ab octo columnis octupla. *Septima* vero addita verſione, quæ aliquorum tantum librorum erat, *enneapla* (quia *ennea*, novem ſignificat) vo-

autem iſta h. e. Communis editio ipſa eſt, quæ & 70. ſed hoc intereſt inter utrumque, quod *koine* pro locis, & temporibus, & pro voluntate Scriptorum vetus corrupta editio eſt; ea

 au-

vocabantur. Sed quia vaſtum hoc opus tranſcribere tædioſiſſimum, & immodici laboris erat, plerique contenti, omiſſa prima, ſecunda columna, nec non poſterioribus, ſolis quatuor verſionibus Aquilæ, Symmachi, 70. virorum, & Theodotionis, eas in IV. columnis ſibi deſcripſerunt, quæ Tetrapla dicebantur, 70. virali in medio collocata, ut errata ceterarum hac facilius corrigerentur, & differentiæ illico utrinque apparerent. En Tabellam!

I.	II.	III.	IV.
Columna Textus Hebraicus literis Hebraicis.	Columna Textus idem ſed literis Græcis.	Columna Aquilæ verſio de verbo verbum reddens.	Columna Symmachi verſio.

V.	VI.	VII.	VIII.	IX.
Columna 70. viralis, quoad ſenſum optima, & fideliſſima.	Columna Theodotionis verſio cum 70. maxime congruens.	Columna quinta verſio incerti auctoris.	Columna ſexta verſio, uti prior, non niſi aliquorum Librorum.	Columna ſeptima verſio tantum Pſalmorum, & Prophet. minorum.

Hexapla iſta, quibus S. Hieronymus adhuc uſus fuit, poſt illius ætatem magno Eccleſiæ damno, intoleranda Græcorum negligentia periverunt, incertum quo tempore, dum plerique immenſum laborem vitandi cauſa ſolas ad 70. viralem editionem ceterarum differentias quaſdam adnotare ſatis eſſe duxerunt. Colligere reliquias eruditi conati ſunt partim ex 70. MSS. marginalibus notis, & ſcholiis, partim ex operibus

autem, quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt, quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata 70. Interpretum translatio reſervatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita ab Hebræorum auctoritate diſcordet.„ *Hexaplarem* vocat incorruptam, & immaculatam 70. Interpretum translationem, prout ſua ætate in Hexaplis, & libris eruditorum conſervabatur: ubi poſtremum dicit: quidquid ab Hexaplari iſta editione diſcordat, etiam ab Hebræorum authoritate diſcordare: manet dubium, quid per *to: Hebræorum* intelligat, an voluminum? ſi iſtud: an horum ſui temporis? non: ob clariſſimam, quam diligentiſſime, & ſæpius ipſe producit, utriusque diſcrepantiam. An horum quidem, ſed illius temporis, quo 70. viri ſuam adornarunt translationem? neque iſtud: quia hac ratione Hebræus textus mirum quantum ab antiqua ſua veritate deflexiſſet ipſo Hieronymo judicante. Quid igitur? per Hebræos vir S. ipſos 70. viros videtur deſignare, ut detur intelligi, quidquid a ſincera Hexaplari editione diſcrepat, etiam ab autographo 70. ſeniorum, ſeu a nativa ipſorum verſione diſcrepare; quamvis nec iſtud conſentaneum ſit verbis ejus alibi prolatis, quibus Origenem nimia acerbitate reprehendit, ubi laudare debuiſſet, quod 70. verſioni illam Theodotionis (ſed utique aſteriſcis, & obelis prudenti, & æquiſſimo conſilio ad-

ribus Patrum, in quibus citantur. Bernardus Montfauconius quidem feliciter Tomis II. in folio Pariſiis 1715. Hexapla, quanta potuit diligentia reſtauravit, & edidit. Specimen ſupereſt etiam in Polyglottis Anglicanis, (pag. 157.) Tom. VI.

adhibitis) miſcuerit. Non ſemper eodem modo loquitur Hieronymus, & quandoque in hac quæſtione a ſe ipſo diſcedit. (pag. 196.)

Hexaplarem hanc, quæ ipſi præ manibus fuit, editionem *puram* h. e. omnium, quæ circumferebantur, exemplarium emendatiſſimam nominat, ut veritas 70. interpretum non ex alio, quam ex hoc fonte hauriretur; juxta eundem nihilominus epl. ad Aug. & Præf. in LL. Paral. *Hexaplaris* editio *pura*, & germana non fuit, propterea, quod multa ex Theodotione, aliisque interpretibus habebat immixta, que Origenes aſteriſcis prænotaverat; quam ob cauſam Hieronymus dicit libros 70. Interpretum ab Origene eſſe corruptos, in quo certe iniquior videtur Hieronymus adverſus Origenem, (inquit Pagius in notis ad Baron. ann. Chr. 231. pag. 489.) qui quod bono, ac pio conſilio fecerat Origenes, tam acerbe reprehendit, non enim ſolum ab omni culpa vacuum, ſed immortali laude dignum ſe præſtitit Adamantius, dum Herculeo labore effecit, ut 70. Interpretum, prout ab ipſis editi fuerant, etiam Hieronymo teſte *puram* lectores haberent editionem, & lacunas, quæ in eorum editione extabant, ex Theodotionis, aliorumque interpretum editionibus, adpoſitis conſpicuis ſignis cernerent expletas: non debebat Hieronymus in Origene damnare, quod ipſe poſtmodum laudabili ſtudio duxit eſſe imitandum, (pag 189.) & gloriam operis, de quo ille immortale nomen eſt conſecutus, nullis rationibus fulſultæ ſiniſtræ accuſationis maculis aſpergere. *Hoc* enim, ut S. dicit Epiphanius, licet alias Origeni infenſiſſimus, *utiliter fecit*. Et eodem comment. de Menſur. „eodem modo etiam Ori-

Origenes recte fecit. - - Sex columnas interpretum alternatim collocans., magnam utilitatem cognitionis exhibuit. Utinam autem in operum ſuorum ſcriptis non excidiſſet!,, &c. Hieronymus ipſe Præf. in Pent. epl. 104. ,, Origenis me ſtudium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco, & obelo (pag. 189.) opus omne diſtinguens, dum aut illuceſcere (ſtellâ) facit, quæ minus ante fuerant, aut ſuperflua quæque jugulat, & confodit.,, In epl. ad Tit. C. III. *Hæc* (Hexapla) *immortale illud ingenium ſuo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimeſcamus ſupercilium Judæorum, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliva, & raſa fauce* (qua ad gutturales literas profundiori ſono efferendas opus) *gaudentium.* Quæ vera, & emendata 70. viralis verſionis ſint exemplaria, ab aliis caute rurſus ſecernit L. comment. 16. in Iſai. C. 58. *ſed ne in 70. quidem emendatis, & veris exemplaribus.* &c.

§ II.

Quæ ætate S. Hieronymi vulgari uſu terebatur 70. viralis editio, qualis fuerit, & quid de ea ipſe Hieronymus ſenſerit, porro declaratur, & expenditur.

Dum emendatiora exemplaria ab inemendatis, & Hexaplarem editionem a vulgari circumſpecte ſic diſtinguit Hieronymus, mâgnam 70. virali verſioni tribuit authoritatem, veluti quæ fonti vero ubique conformis ſit, diſerteque aſſerit, ſuperfluam fuiſſe ſuam ex Hebræo verſionem, ſi 70. pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſi quid enim 70. viri

ri præter Hebræum addiderunt, *ob Spiritus S. auctoritatem* contigiſſe (pag. 195. & 201.) nunc vero in tanta varietate, & corruptione vel ex fonte opus eſſe novam verſionem adornare, vel tot inter editiones minime corruptam ſeligere, illudentibusque Judæis, & ob hanc variationem nihil rectum eſſe, niſi quod Hebraicum, aſſerentibus, cornicum, ut dicitur, oculos configere, maxime, poſtquam „Alexandria, & Ægyptus in 70. ſuis Heſychium (qui exemplar 70. viralis verſionis a ſe emendatum Eccleſiis Ægypti tradidit) laudat auctorem; Conſtantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris (cujus editio Nicomediæ reperta eſt ſub Conſtantino M.) exemplaria probat; mediæ inter has provinciæ Paleſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius, & Pamphilus vulgaverunt, totusque orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat.„ Præf. in LL. Paral. Ceterum ſi ab illapſis nævis abſtrahas „lure 70. editio obtinuit in Eccleſia, vel quia prima eſt, & ante Chriſti facta adventum, vel quia ab Apoſtolis, in quibus tamen ab Hebræo non diſcrepat, uſurpata. L. de opt. gen. interp. (Immo vero uſurpata etiam ubi ab Hebræo quam maxime diſtat, ut mox declarabo.) Alibi, dum 70. editionem a veritate multum diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti judicio reprobatam dicit, aut nimius eſt fervore diſputationis: cum potius ex Auguſtino evidenter ſciatur„ hanc tamquam ſola eſſet, ſic receptam fuiſſe ab Eccleſia, omnesque Græcos Chriſtianos ea uti, & pleraſque Eccleſias, an ſit alia præter hanc, ignorare„ aut, quod omnino dicendum videtur, valde corrupta reſpicit exemplaria.

Ve-

Vehementius quidem inſurgit, quando hosce viros mutati, aut ſuppreſſi textus reos peragit. „Ubicunque ſacratum aliquid ſcriptura teſtatur de Patre, & Filio, & Spiritu S. aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, ut Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.„ Præf. in Pent. ne videlicet hæc verſio Regi occaſio eſſet ad polytheismum, Chriſtum ea de cauſſa clare Deum ab illis non aſſeri ingeminat, multaque fidei myſteria celaſſe, qui opus ethnico Principi pararent„ Neque vero 70. interpretum (ut invidi latrant) errores arguimus, neque noſtrum laborem illorum reprehenſionem putamus: cum illi Ptolomæo Regi Alexandriæ myſtica quæque in Scripturis Sanctis prodere noluerint, & maxime ea, quæ Chriſti adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere: quos ille Platonis ſectator magni idcirco faciebat, qui unum Deum colere dicerentur.„ Præf. Trad. in Genes.

Dicam, quod res eſt: Hieronymus dum contra Alexandrinam verſionem argumenta quærit, ut ſuum laborem defendat, ſe ipſo minor eſt, ut merito Hieronymum in Hieronymo requiras. Bene Calmetus: „ hanc S. Hieronymi regulam (de arcanis fidei a 70. ſtudioſe occultatis) generatim veram non eſſe fateamur oportet. „Nec Bellarmino videtur Hieronymi aſſertum eſſe ſolidum, dicenti L. 2 de V. D. C. 6. cum exemplaria multum eſſent corrupta, Patres pie quæſiviſſe rationes excuſandi, & defendendi illam verſionem, qua tunc Eccleſia utebatur: nec tamen mihi hæc addita a Bellarmino ratio probatur, namque res ipſa loquitur, de Trinitate Perſonarum in Deo ſive in verſionibus, ſive in He-

bræo

bræo textu *diſtinctis*, ut ajunt, *terminis* in V. T. parum inſinuari. Loca vero de Meſſia ſonantia in 70. non celari, vel ſupprimi, imo vero recte haberi ſciverat vir eruditiſſimus, textus equidem adducit aliquos, qui ad Meſſiam ſpectantes in N. Tto laudantur, & tamen in 70. fruſtra quæruntur. Verum illis nihil quidquam adverſus 70. effici, nec argumenta Hieronymi valida eſſe, & omnes agnoſcunt viri limatioris judicii, & demonſtratur facillime. Videamus! *Multa* (inquit) *de V. Tto legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur, ut eſt illud: Ex Ægypto vocavi Filium meum: & : Quoniam Nazaræus vocabitur: & : Videbunt, in quem compunxerunt; & : Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et: quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: & multa alia, quæ proprium ſyntagma deſiderant. Interrogemus ergo eos, ubi hæc ſcripta ſunt: & cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum teſtimonium eſt in Oſee, ſecundum in Iſaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum æque in Iſaia.* Eadem inculcat S. Pater Præf. in L. Paral. Præf. in Esdr. Procem. Quæſt. in Gen. in C. 6. Iſa. & L. de Opt. genere interp. Ergo Apoſtoli ſcripturam V. Tti citant non juxta 70. viralem verſionem, ſed juxta fontem Hebræum. Proſequitur in C. 28. Iſai. *Et hoc in Veteri obſervavimus Teſtamento, abſque paucis teſtimoniis, quibus Lucas ſolus abutitur, qui magis Græcæ lingvæ habuit ſcientiam, ubicunque de V. inſtrumento quid dicitur: non eos* (Apoſtolos) *juxta 70. ſed juxta Hebraicum ponere, nullius*

ſe-

ſequentes interpretationem: *ſed ſenſum Hebraicum ſuo ſermone vertentes.* L. 15. Comment. in Iſai. ad Euſtochium Virginem: „Crebro dixiſſe me novi, Apoſtolos, & Evangeliſtas, ubicunque de veteri inſtrumento ponunt teſtimonia, ſi inter Hebraicum, & 70. nulla diverſitas ſit, vel ſuis, vel 70. interpretum verbis uti ſolitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in Veteri editione ſenſus eſt, Hebraicum magis, quam 70. interpretes ſequi. „Ergo judicio Hieronymi 70. viralis verſio ab Apoſtolis fonti Hebraico poſtpoſita, & ubi ab eodem diſceſſit, neglecta fuit. „Certe, ut Hieronymus loquitur, Apoſtoli, & Evangeliſtæ 70. Interpretes noverant, & unde eis hæc, quæ in 70. Interpretibus non habentur? qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. 7. utique ſcriptum eſt, quod Salvator ſcriptum eſſe teſtatur. Ubi ſcriptum eſt? 70. non habent, apocrypha neſcit Eccleſia; ad Hebraicos igitur revertendum eſt, unde & Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt. „

Reſpondeo allatos quinque textus minus apte adduci ab Hieronymo, primus duntaxat non habetur in 70. legitur vero in textu Hebræo, cujus loco 70. transferunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus* nec tamen reprehenſionem merentur, dum optimorum interpretum funguntur officio; quod quidem facere cenſendus eſt, quisquis (ſicut illi) claritatis cauſa, & ut ſenſum exprimat maxime literalem, ſingularem plurali commutaverit. Porro *ſingulariter* (in Hebræo) *dicitur*, *ſed pluraliter intelligitur*, inquit apud Corn a Lap. ipſe Hieronymus. Itaque *Primus textus* Oſee XI. I. qui in fonte ſonat: *mimmitzraim*

Ka-

Karathi libni: h. e. *ex Ægypto vocavi filium meum:* ſenſu literali ad populum Dei, ſive Iſraëlitas, ut ipſe contextus ſvadet, refertur, quos Deus miſerabili illa ſervitute Ægyptiaca liberavit, & in avitam hæreditatem in Chananæam revocavit; gens autem tota inſtar dilecti unius filii, veluti una dilecti Iſraelis, ſeu Jacobi progenies ſpectatur, ideo ſingulari numero *filius* appellatur, ſicut Ex. 4. 22. *Filius meus primogenitus Israel:* &: *dimitte filium meum, ut ſerviat mihi.* Quod præ oculis habentes 70. verterunt *filios ejus* nempe Israëlis, quia reſpexerunt ſenſum literalem, quo to *filius* in fonte collective ſumitur, ut quando Moyſes dicit: volucris volitet in firmamento: aut nos dicimus: Turca irruit in Hungariam. Non debebat Hieronymus ob hanc verſionem 70. viris dicam ſcribere, cum manifeſtum ſit literalem ſenſum ad filios Jacobi ex Ægypto in patriam reverſos pertinere. Quia vero hæc filiorum Jacobi, ſeu electi populi liberatio, & ex Ægypto exitus prævia ſignificatio, ſive Typus, ac velut umbratilis delineatio fuit, futuri ſimilis cujusdam eventûs, h. e. exitûs, & revocationis Chriſti, Filii illius ſingularis ex Ægypto in Judæam, bene Matthæus dicit, iſtud olim præſignatum, & modo impletum fuiſſe, non in litera, ſed in antitypo, in quantum hodie contigit Chriſto, quod olim Israelitis: deſcenderunt hi, qui ſimul ſumpti erant quaſi unus Dei filius adoptivus, in Ægyptum, poſtea iterum revocati ſunt in Judæam; ita & Chriſtus naturalis Dei filius primum a facie Herodis fugiens illuc eſt receptus, ſed ab ejus morte fuit revocatus. Putant aliqui, Matthæum neque hic reſpicere textum Hebræum, ſed ex

70. plurale *filios* reddere ſingulari, in quantum typus in antitypo ſingularem hunc filium deſignat; ſed do Matthæum præferre Hebræam lectionem, quia ſcopo ejus eſt accomodatior; verum hoc ſit ab ipſo ſemel iſto loco, dum alibi & ipſe, & ceteri ſcriptores ſacri 70. verſionem paſſim ſequuntur, & præferunt. Aliqui apud Hieronymum cenſent 70. ideo vertiſſe plurali, ne Deus ponatur habere filium, quo lecto Ptolomæus Philadelphus in polytheiſmo fuiſſet confirmatus; ſed inanis, & frivola hæc eſt commentatio; dicendum 70. ſenſum reſpexiſſe, vel, ut Maldonatus in C. II. Matth. & Natalis Alex. obſervant, in Hebraico ſuo exemplari legiſſe *Beňav*. h. e. *filios ejus*, *vav* porro vel excidit ad tempora Matthæi, vel ab eodem Evangeliſta pro rejicula litera habebatur. unde legit, *beni*, vertitque *filium meum*. Quidquid ſit, integrum eſt interpreti claritatis cauſa a verbis textus paullulum deflectere; verſio 70. viralis quoad literalem ſenſum maxime eſt vera, ergo minime reprehendenda.

Contendunt quidem aliqui poſt Tarnovium, Schmidium, & alios, quos refert, & ſequitur Henr. Ben. Starckius, textum hunc apud Oſeam in litera de Jeſu Chriſto ſonare, ſed majori pietate, quam veriſimilitudine, contextu ſermonis repugnante.

Secundus textus Iſai. XI. I. Egredietur virga de radice Jeſſe, & *flos* de radice ejus aſcendet. loco *flos* Hebraice eſt *Nætzær* h. e. tener ramus, ſurculus, vel quaſi *netz: flos*. Inconvenienter iſthic 70. viralis verſio arguitur, quæ judice Hieronymo optima ſit oportet, cum neque ipſe aliter, ſed, prout illi, *flos* transtulerit. Sed Hieronymus ſibi ipſi contradicit, alia ſenſa aliis

fo-

fovens temporibus, quod humanum eſt; neque animum advertit ad locum iſtum Iſaiæ, quando in C. 2. Matth. & de optimo genere interp. dixit: in Hebræo eſſe: *Nazaræus de radice ejus conſcendet.* Immo clare docet Hier. non eſſe vertendum *Nazaræus* Iſa. XI. I. dum locum hunc exponit: *Illud* (ait) *quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt Eccleſiaſtici, & non inveniunt, ubi ſcriptum ſit: quoniam Nazaræus vocabitur: eruditi Hebræorum de hoc loco aſſumptum putant.* Dein iſtud evidenti argumento e veſtigio refutat: *ſed ſciendum, quod hic netſer per tſade literam ſcribatur; porro Nazaræi per zain ſemper ſcribuntur.* Quaſi dicat: Nazaræus Matth. II. V. ult. per z ſcribitur, nætzer vero Iſa. XI. per tzade, ergo Matth. II. *quoniam Nazaræus vocabitur*: ad Iſai. XI. referri nequit, quia ipſa literarum diverſitas obſtat. Unde mox init viam tutiorem, atque ita interpretatur: „Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret: quod dictum eſt *per Prophetas:* ſed ſimpliciter: quod dictum eſt *per Prophetam:* nunc autem pluraliter Prophetas vocans, oſtendit, ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus *Sanctus* interpretatur, Sanctum autem Dominum futurum omnis ſcriptura commemorat.„ Dicit proinde non in certo aliquo loco, ſed in omni ſcriptura, quæ Chriſti ſanctitatem prædicat, prænunciatum fuiſſe, quod Matthæus affirmat eſſe prædictum. Ego autem puto, Matthæum dicere velle, ex eo, quod Chriſtus eſſet ex vico Galilææ viliſſimo Nazareth, impletum fuiſſe, quod prædictum eſt de abjecta, & coram hominibus vili Meſſiæ conditione; nempe inculcant Prophetæ Meſſiam fore

 alie-

alienum, ſeparatum ab hominibus, vilemque, & contemptibilem habitum iri, ſicut vilis, ignobilis, & abjectus habetur, qui in Nazareth loco Galilææ viliſſimo naſcitur. Namque *a Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Joan. I. 46.

Nullibi eſt in V. T^to^ prænunciatum, Chriſtum in Nazareth educandum, & ab hoc oppido appellandum Nazarethanum; ex eo vero, quod veluti ſurculus ex Jeſſe, patre Davidis ſit oriturus, inferri neutiquam poteſt, eum ab oppido Nazareth Nazaræum appellandum; quæ enim conſecutio, *nætzœr*, ſeu flos ille eſt Chriſtus, ergo Chriſtus concipietur, & educabitur in Nazareth, & ab hoc oppido Nazaræus vocabitur?

Ad defenſionem Hieronymianæ argumentationis dici id ſolum poteſt, eſſe aliquam inter *Notzeri* (ſic Chriſtum, & Chriſtianos Judæi vocant) & *nætzœr* convenientiam, paronomaſiam aliquam ex Hebræo, non item ex verſionibus intelligi, ut ſi dicam nummum Florentiæ an. 1252. primo cuſum, florem habuiſſe inſcriptum, qui florenus vocatur, & thalerum Germanis appellatum illud monetæ genus, quod ex *valle* Joachim primo prodivit. Diſceptant Authores apud Corn. a Lap. in C. II. Matth. per *Tzade* ne, vel per *Zain to:* Nazaræus, prout Chriſti epitheton eſt, rectius ſcribatur; ipſe dicit, ſe Romæ in titulo Venerandæ crucis literas ſæpius inſpexiſſe, verum longævitate adeo exeſas, diſcernere ut nequiverit; Ex Syriaco, Arabe, & communi *tòn Notzerim*, ſeu Chriſtianorum appellatione per *Tzade* ſcribendum nullus dubito, & ita Matthæum in Syro-Chaldaico ſuo Archetypo habuiſſe, prout etiam hodie in Evangelio ejusdem Hebraico ſcribitur. Obſervant alii Chriſtum *No-*

tzeri

tzeri h. e. floridum, floreſcentem dici, quod & alibi *tzemachh* h. e. *germen* appelletur. Minimum refert: dum conſtat Matth. II. V. ult. ad Iſaiæ XI. I. male revocari, quaſi ibi prædictum fuerit, quod incaſſum urget Hierenymus, a loco *Nazareth* Meſſiam *Nazaræum* appellandum, ſatis eſt, 70. accurate, ut Hieronymus vertit, transtuliſſe.

Tertius textus: Zach. XII. X. *aſpicient ad me, quem confixerunt.* Hebr. *Hibbitu elaj, eth aſchær dakeru.* 70. videntur in ſuo codice legiſſe *rakedu*, *reſch*, & *daleth* propter ſimilitudinem figuræ permutatis, & tranſpoſitis, *rakad* namque Hebraice ſonat *ſaltavit*, quod pro ſignificatione compoſiti *inſulto* uſurpari poſſe rati transtulerunt: *aſpicient ad me, pro eo, quod inſultaverunt.* Senſus eſt: ideo, quod antea inſultaverunt, pænitudine ducti oculis miſericordiæ me reſpicient; unde quod verſione ſua exprimunt, conforme eſt Hebrææ lectioni, & hoc docente ipſo Hieronymo: „diſcrepant Evangeliſtæ (Joan. C. 19.) 70. interpretum, noſtraque translatio, & tamen ſermonum varietas Spiritus unitate concordat.„ Tract. de opt. gen. interp. & in expoſitione ipſius loci: „verbum *katòrcheſanto* a ſaltatione compoſitum eſt, quod ſcilicet contra Dominum quaſi ludendo ſaltaverint, quando dicebant: vah qui deſtruis templum, & in tribus diebus ædificas illud: ſalvum fac te ipſum deſcendens de cruce; hæc, & alia illudentes, & quodam amentiæ tripudio ſaltantes loquebantur.„ Ergo lectio hæc ſenſum verum non mutat, nec falſum offert, in cujus defenſionem adferri & illud poteſt: Hebræum *dakar*, quod eſt configere, valere etiam idem, ac probris inceſſere, affice-

re contumelia, fere ſicut verbum *proſcindere* Latinus ſermo uſurpat. Minus ferenda Judæorum quorumdam perfidia, qui pro *ad me: ad eum* legunt, ut textum a Chriſto ad Judam Machabæum transferre poſſint. (pag. 5.)

Optima tamen videtur reſponſio, 70. primitus habuiſſe: *in quem transfixerunt*: Græce: *eis hon ekentèſan*, vel: exekentèſan. Quem quaſi ſtimulis compugerunt. Sic enim Barberin. & Aldina exemplaria habent, & Grabius reſtituendum cenſuit, nam contra Tryphonem Juſtinus ita legit, item Irenæus, & S. Cyprianus, & Tertullianus, qui adverſus ipſos Judæos rem Chriſtianam defenſarunt, nec alia uſi ſunt verſione, niſi Latina ex editione 70. virali tranſumpta. Vide Nobilium Flam. in Polyglot. Anglic. Tom. VI. Arbitrantur alii, 70 originarie Vulgarem hanc lectionem: *cui, vel eo quod inſultaverunt:* habuiſſe, poſtea deſcriptores aliquos lectionem, ut Hebræo congrueret, commutaſſe. Spectatis his omnibus, varians in exemplaribus erat lectio, & quidem ejusmodi, ut una Hebræo prorſus conveniret, ſed quam Hieronymus in æmulos ſuos commotior prætermiſit, altera vero teſte eodem, veritate ſenſus, & Spiritus unitate fonti ſuo concordaret.

Quartus textus: Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. VII. Etiam hic incaſſum laborat Hieronymus, dum putat Prov. 18. idem dici, ut Marianus Victorius in ſcholiis ſuper præfatione Hieronymi in Pent. exiſtimat: ubi legitur juxta Hebræum: *aqua profunda ex ore viri; & torrens redundans Sapientiæ:* 70. habent: *aqua profunda ſermo in corde viri, flumen autem ſcaturit, & fons vitæ.*

tæ. Atque hac expreſſione 70. propius Joanni accedunt, ex quo colligunt non pauci Joannem potius uti 70. virali verſione, Hebraica lectione neglectâ. Solent verba Salvatoris, prout a Joanne laudantur, referri ad Joel. II. 28. Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & Prophetabunt filii veſtri, ac filiæ veſtræ: aut ad Iſa. 58. 11. Implebit ſplendoribus Dominus animam tuam, & erit quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Sed totum iſtud incertum manet; alicubi ſcriptum eſt, cum Chriſtus teſtetur, ubi vero, & an totidem verbis, vel tantum quoad ſenſum, univerſus orbis ignorat, & in hac ignoratione manſurus creditur usque ad conſumationem ſeculi, donec Elias venturus forte explicet. Dico ego, ſermonem iſtum revera nullibi eſſe ſcriptum, ſed aliquid ei affine, veritati ſignificatæ vicinum, & metaphoricum; nimirum prædicit ſcriptura, ubertatem gratiæ in N. T^to^ effundendam in fideles, hoc vero aquæ ſymbolo notari neminem fugit. Sed quibus in locis iſta veritas prædicatur, in iis fons quoad ſenſum nihil plus habet, quam verſiones, ut inſpicienti clarum fit. Ezech. 36. 25.

Quintus textus: Nec oculus vidit, nec auris audivit &c. 1. Cor. C. 2. ignotum eſt, an, & ubi in V. T^to^ contineatur; ſi ille Iſaiæ 64. 4. locus: A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deus abs te, quæ præparaſti expectantibus te: huc eſt referendus, tum 70. æque clare habent, ſicut Hebræus: S. Hieronymus de opt. gen. interp. dicit Paulum non verbum e verbo expreſſiſſe, ſed paraphraſtikòs (uberiori expoſitione) aliis ſermonibus eundem

 ſen-

ſenſum indicaſſe. Sed nempe 70. idem faciunt, reprehendi ergo nullo jure poſſunt.

De cetero 70. citaſſe videtur Apoſtolus, cum teſte Hieronymo comment. in C. VI. Iſa. etiam quando ad Hebræos ſcribit, Hebraico textu ſepoſito, 70. verſioni adhæreat, nam *Pauli idcirco ad Hebræos epiſtolæ contradicitur, quod ad Hebræos ſcribens utatur teſtimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non habentur.* (pag. 170.) Comment. in C. 2. Habac. docet Hieronymus Paulum Hebræum ex Hebræis, dum ſcribit ad Rom. non Hebraico, ſed 70. virali textu fuiſſe uſum „ Porro quod Apoſtolus 70. magis teſtimonio abuſus eſt ad Romanos ſcribens: *juſtus autem ex fide mea vivet;* & non eo, quod habetur in Hebraico, cauſſa perſpicua eſt. Scribebat enim Romanis, qui ſcripturas Hebraicas neſciebant: nec erat ei cura de verbis, cum ſenſus eſſet in tuto, & damnum ex eo præſens diſputatio non haberet.„ Ex his perſpicuum eſt, quod omnes confitentur, argumentum Hieronymi ex allatis quinque textibus adverſus 70. viralem verſionem nullius eſſe ponderis, & aliis ipſiusmet dictis ſufficientiſſime confutari.

Dixit vir S. talia apte quidem ad propoſitum ſcopum, ut Hebræum fontem, & ſuam ex illo verſionem illo tempore omnibus inviſam commendaret, nec tamen ſolide ad convincendum, quando ex adverſo conſtanter docuit, aut non eſſe in ſenſu, ſed in ſono tantum verborum diſcrepantiam, aut aberrantes a fonte lectiones, & errores non 70. viris, ſed deſcribentium oſcitantiæ attribui oportere. „Nec hoc 70. interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea, quæ vera fuerunt, tranſtulerunt, ſed ſcriptorum culpæ adſcri-

ſcribendum. &c. (pag. 195. & 200. 201.) *Si Spiritu Sancto pleni*, ut non dicam plus, commendabili fidelitate hoc labore functi ſunt: cur igitur arguendi? „ Datur mihi ſuſpicio, non eos erraſſe a principio, ſed paullatim ſcriptorum vitio depravatos. „ Comm. in C. 30. Iſa. „ nec hoc dicimus ab illis factum, quibus vetuſtas auctoritatem dedit: ſed per multa ſecula ſcriptorum, atque lectorum vitio depravatum. „ In C. V. Ezech. In iis, quæ (a 70.) addita ſunt, non verba conſideranda, ſed ſenſus, ad quem 70. de ſuo nihil addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non ſunt, adjunxerint. „ L. de opt. gen. interp. 70. Interpretes quædam ob Spiritus S. auctoritatem addidiſſe, licet in Hebræis voluminibus non legantur. „ Præf. Paral. ad Domn. ſi Spiritûs S. auctoritate regebantur, ut quid culpantur? „ Audiant quapropter canes mei idcirco me in volumine laboraſſe, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, ſed ut quæ ibi obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certe ſcriptorum vitio depravata, manifeſtiora noſtra interpretatione fierent. Audi igitur æmule obtrectator, auſculta! non damno, nec reprehendo 70. ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero. „ Præf. in Pentat.

Liceat mihi quoque reciprocare! non damno hodiernum fontem Hebræum, quem Maſoretharum (pag. 8.) mihi labor ſuppeditat, ſed confidenter toti illi Rabbinicæ rapſodiæ, ubi 70. verſioni adhærent (adhærent autem valde frequenter) Apoſtolos præfero. Et vero: Si 70. tam infidi ſunt verſores, & Apoſtolicæ lectioni diſcordant, illud deinde, quod Hieronymus ipſe nobis inculcat, quomodo verum erit? *poſt* 70. *nihil*

in ſacris literis poteſt immutari, vel perverti, quin eorum translatione omnis fraus, & dolus pateſiat. Præf. in IV. Evang.

Inſtat tamen Hieronymus, & majori quadam parrheſia (libertate dicendi) urget: „æmuli noſtri doceant, aſſumpta aliqua de 70. teſtimonia, quæ non ſint in Hebræorum literis, & ſinita contentio eſt.„

Verum I° Hieronymum ſibi opponimus, qui Lucam Actuum Apoſtolorum ſcriptorem non Hebræo, ſed Græco textu uſum fuiſſe dicit, & Quæſ. in Geneſ. hanc regulam proponit: *generaliter obſervandum, quod ubicunque Sancti Apoſtoli, & Apoſtolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque teſtimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* h. e. teſtimoniis 70. verſionis.

II° Eccleſiam totam, quæ multa in Divino Officio tamquam ex ſcripturis ſanctis deſumpta, uſu non interrupto frequentat, quæ non ſunt in Hebræorum codicibus (pag. 176. & ſeqq.)

III° Si innuere velit, in N. T^to^ in allegandis locis potiorem haberi fontis, quam 70. verſionis rationem, & e converſo nequaquam fieri, ſolertiſſimum hunc veritatis indagatorem humano more iſthic falli, ex claris ſcripturæ textibus, qui non juxta Hebræum, ſed juxta 70. aſſumuntur, oſtendi poteſt. Juvat aliquos in medium proferre.

Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, ait Paulus ad Hebr. 12. 6. ex Prov. 3. 12. juxta 70. Hebræus enim habet: *& tamquam pater volet filium.*

Qui

Qui credit in eum non confundetur. Ad Rom. IX. 33. ex Iſa. 28. 16. Hebræus loco: *non confundetur*, habet *non feſtinet*, ex inverſa figura litera *beth* in *chheth* male converſa.

Et adorent eum omnes Angeli ejus, ad Hebr. I. ex Deut. 32. nec poteſt dici, ut jam S. Juſtinus adventente Salmerone contra Tryphonem obſervavit, ex Pſ. 96. adduci.

Videbit omnis caro ſalutare Dei h. e. Salvatorem a Deo olim decretum Luc. III. 6. ex Iſa. 40. 5. Hebraice: Videbit omnis caro *pariter*, quod os Domini locutum eſt. 70. Non *jachhdav* pariter, ſed *jechhido* aliis punctis, h. e. unicum, ſeu *unigenitum*, qui ore Domini prænunciatus eſt, legerunt. Chriſtus dicit in verbo Dei ſcriptum eſſe Matth: 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ex Deut. 6. 13. vis reſponſionis, qua maligni veteratoris impudentia reprimitur, in addito *ſoli*, quod Hebræus non habet, ſed ſoli ponunt 70. conſiſtit; ibidem v. 4. *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Hebræus fert, - - *ſed in omni egreſſione oris Dei.*

In vanum colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum, Matth. 15. 9. Mar. 7. *to: in vanum* tantum 70. ferunt. Act. 7. 27. Jacobum deſcendiſſe in Ægyptum cum animabus LXXV. ex Gen. 46 27. Alexandrina ponit verſio, Hebræus autem textus cum animabus LXX.

Inter ſale, & Arphaxad 70. Cainan interferunt, quæ res tantis diſputationibus præbuit argumentum, Gen. 10. 22. Hebræo textu de Cainan nihil habente, Luca C. III. eundem Cainanem in genealogiam Jeſu Chriſti inferente.

Vi-

Videte contemptores. Act. 13. 41. Hebr. tantum: videte in gentibus.

Non autem ſolum verba 70. viralis verſionis ſed & ipſam Theologicam expoſitionem Apoſtoli ſæpius neglecta lectione fontis ſequuntur, ut, quando Hebræus Prov. 3. 34. offert: *Deus deridet deriſores:* Jacobus cum 70. C. 4. 6. transponit: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam:* & Paulus ad Hebr. 10. 5. *corpus autem* (ait Filius ad Patrem) *adaptaſti mihi:* nempe per incarnationem. Ex Pſ. 39. 7. Hebræus: *aures autem perforaſti mihi,* h. e. famulum, & obedientem me tibi feciſti, ut juſſa tua explerem.

Nobilis, & erudita Virgo Euſtochium Hieronymo objecerat, ad Rom. 3. ab Apoſtolo ex Pſ. XIII. octo verſus laudari, qui tantum in 70. neutiquam in Hebræo legantur; cœpit vir ſanctus ad hanc objectionem tacitus æſtuare, & ſtuporem mentis vultûs pallore ſignare, atque diei unius ſpatium ad ſolutionem poſtulavit, quo exacto hancce dedit: Apoſtolum octo illos verſus, vel ſi aliter diſtribuantur tantum tres, nempe Pſ. XIII^i^ verſum V^um^ VI^um^ VII^um^ *ſepulcrum patens eſt guttur eorum*, h. e. omni fæditate, & turpiloquio plenus eſt ſermo eorum ad innocentes corrumpendos, *linguis ſui doloſe agebant* &c. non ex 70. deſumpſiſſe, cum multa hujus editionis exemplaria iis omnino careant, neque, dum eos ſcriberet, Pſalmum XIII^um^ in mente habuiſſe, ſed contexuiſſe centonem ex variis ſcripturæ locis, in quibus textus Hebræus harum ſententiarum aliquam exhibet. Plerique hodie poſt Corn. a Lap. Calmet. Bellarm. Toletum, Hieronymi reſponſioni acquieſcunt. Hos

ta-

tamen VIII. verſus 70. editioni jam primitus adhæſiſſe, tamquam nativos, pluribus antiquitatis monumentis adſtruit Natalis Alexander. & ſubdit „ cauſſæ ſtudio abreptum S. Hieronymum hæc ſcripſiſſe, ut quoquomodo ſe a difficultate ſibi propoſita extricaret, nec ſateri cogeretur, Apoſtolum additionem textui Hebraico Pſalmi 13i a 70. interpretibus factam comprobaſſe.„ Et ego cenſeo, verſus iſtos ex ſerie Pſalmi XIIIi moveri non debere: 1o ob reverentiam Antiquitatis, quia jam ævo Hieronymi in hoc Pſalmo legebantur, ut ex præfatione ejus in librum 16. ſuper Iſaiam patet, & in multis 70. exemplaribus olim jam eundem tenebant locum, & actu tenent in editione Syxtina, agnoſcit eos Juſtinus M. Pſalterium Romanum, Arabicum, Æthiopicum, ex Græcis Diodorus, Theodorus, Cyrillus, Didymus, ex Latinis Auguſtinus & alii. Quæ omnia non tantum ſvadent retinendos, ſed etiam veroſimiliter arguunt olim de Hebraico tranſumptos. Sed his, velut quæ ad præſens inſtitutum minus pertinent, prætermiſſis, poſteaquam multa loca adduximus, quibus adhuc plura accumulare non ægre poſſemus, quæ in N. Tto adducta, in Hebræo ita non leguntur, pari nos alacritate, jure autem longe potiori inſtamus: æmuli noſtri doceant, aſſumpta aliqua de Hebræo teſtimonia, quæ non ſint in Vulgata Latina, aut 70. virali verſione, quod ſi præſtare nequeunt, victoria ad nos inclinavit, & cauſſa finita eſt.

Illud porro, quod Hieronymus in verſionis ſuæ commendationem inculcat, & ad vivum reſecat, 70. ſi non male, obſcure tamen, & imperfectius vertiſſe, quæ incarnati Dei œconomiam

miam complectuntur; nec omnino verum eſt; & me parum moratur, nec enim in eorum vituperationem cedere debet, quod nobis, impletis Vatum oraculis, viſa jam re explicatius licet enarrare; data opera, certove conſilio quædam ſilentio præteriiſſe, ne Regi arcanum panderent, Hieronymi eſt opinio, firma ratione deſtituta. (pag. 270.) Quodſi quæpiam minus clare tranſtulerunt, nonne commune hoc fatum cunctos veteres, & novitios, ne ipſo quidem Hieronymo excepto premit? accuſantur; quoniam ubi ex Hebræo legimus Iſa. IX. 6. Parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis - - & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis pater futuri ſeculi, Princeps pacis. LXX. editio Romana inſignibus his prædicatis, quæ in Originali Meſſiæ tribuuntur, omiſſis ſolum fert: *Magni conſilii Angelus: adducam enim pacem, & ſanitatem ei ſuper Principes.* Poſterius comma norunt Hebraice docti ex lectione Hebræa ſimilium literarum permutatione, & trajectione, qua *abi al ſcarim ſchalom*, *ve*, aut: *le marphe* legebatur, enatum. Sed ad priora: *nominum Majeſtate perterritos* 70. *non eſſe auſos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus eſſet*, cenſet Hieronymus, verum

Primo.

Hæc ſtatim corruit ratio, ſi in vetuſtiſſimis codicibus hæc omnia legebantur, quemadmodum apud vetuſtos PP. habentur; unde Irenæi L. 4. contra hær. C. 33. Euſeb. Demonſt. L. 7. aliorumque auctoritate ſtatuitur, e manibus 70. verſorum integre fluxiſſe, breviorem autem lectionem imperfectiori tranſcriptioni natales ſuos debe-

bere. Codex Alexandrinus notante etiam Reineccio edit. Lipſ. 1757. omnia hæc attributa, niſi quod to: Deus fortis: per fortis potens exprimat: Complutentis editio prorſus ut Vulgata habet, Deus fortis, ſeu *Theos iſchyros* &c. Itaque demum varians eſt lectio, & vera in codicibus pluribus, ac editionibus hodiedum conſervatur, licet brevior, & deminuta altera pariter circumferatur.

Secundo.

Si 70. hic caſtigandi, tum reprehendenda magis Hebræo codici puncta apponentium vel inſcitia, vel temeritas, qua lectionem *vocabitur* in *vocabit* transformarunt, fidem eorum cum Luthero, & Calvino deſideramus, quorum prior Tom. 8. Jenen. Germ. de ſchem hammephoraſch h. e. de expoſito Dei nomine pag. 135. dicit apparere, hinc Judæorum pertinaciam: paſſive enim, non active *jikkare*, non *jikra* legi oportere; omnia enim nomina ſunt in nominativo. Appellamus omnes antiquos Hebræos, ipſos quoque minus fideles triumviros Aquilam, Symmachum, Theodotionem, qui, licet to *El: Deus* ſtudioſa pravitate occuluerunt, paſſivam tamen expreſſerunt lectionem, Chaldæum paraphraſten, Syrum, Arabem, veteres Rabbinos, qui omnes, prout 70. *vocabitur* tranſpoſuerunt. Porro inter utramque lectionem hoc intereſt, quod ſi paſſive legatur, non jam aliorſum, ſed ad parvulum referenda veniant omnia, atque illud præprimis: *El gibbor*: *Deus fortis*. Si active: *& vocabit:* jam cerei inſtar naſi in omnem partem flexibilis erit ſenſus; hinc Grotius magnus phraſeon Biblicarum, & ſolertiſſimus literæ ſcrutator, ſed in oraculis Prophetarum, & in iis, quæ tangunt Di-

vi-

vinitatem Jeſu Chriſti merito ſuſpectus, vertit: *& vocabit eum* (unusquisque) admirabilem, conſultorem Dei fortis. Alii: vocabit nomen ejus Deus fortis admirabilem, conſiliarium, patrem futuri ſeculi, principem pacis. Qui accentuationis Hebraicæ, quam velut e cælo delapſam amplexantur, rationem habent, cum Henr. Bened. Starckio in notis ſelectis Criticis Lipſ. 1723. pag. 26. ſic interpungunt: *Et vocabit nomen ejus* (Deus Pater, qui eſt) *mirabilis, conſiliarius, Deus fortis Patrem æternitatis, Principem pacis:* ut ſolum duo poſteriores tituli ad Meſſiam, priores ad Patrem referantur: ſunt, qui cum Rabbinis nonnullis, & Socinianis epitheta omnia Deo adjungentes nonniſi ultimum *Princeps pacis* parvulo reliquum faciunt in hunc modum: *Et vocabit nomen ejus mirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater æternitatis* (nam *yad* & ſeculum, & proprie æternitatem valet, illud autem *futuri* abeſt ab Hebræo) *Principem pacis.* Verum contra mentem Prophetæ, qui non Patrem, ſed parvulum his attributis illuſtrem reddere vult, ad quem ſolum glorificandum toto contextu tendit.

Non abſimili vafritie, aut ſaltem inſcitia Jer. 23. 6. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum: Jehova juſtus noſter.* Vel abſtractè: *juſtitia noſtra:* quod in ventre eſſe debere omnis Hebræorum vetuſtas credidit, capiti imponentes, accentu *peſik* addito, ut ſic vox *Jehova* a voce *juſtitia* ſeparata, verbo *vocabit* copuletur, Rabbini poſteriores effecerunt, jamque ſingulari numero prolatum vertitur: Hoc eſt nomen, quo vocabit eum Jehova, juſtitia noſtra: eſt nimirum Jehova, ſeu prout veteres efferebant Jahvo,

vo, vel Jao nomen anekphónéton (ineffabile) creaturis incommunicabile, quo Chriſtum a Prophetis condecorari moleſtiſſime ferunt. Lego Symmachum vertiſſe loco Jehova *juſtus noſter*: Domine juſtifica nos: puncta ſubjecerit *tzaddeknu*, adeo incerta omnia, ſi a veterum traditione diſcedas, adeo, ut devient certius, ſponte labyrintho ſe inferunt, quibus quod vetuſtum eſt, placet nihil.

Ultro concedunt etiam magni fontium Patroni, Judæos damnabili calliditate ex odio Chriſtianorum e duabus lectionibus eam alteri præpoſuiſſe, & in ipſum textum retuliſſe, quæ nobis minus faveret, quod ubi in confeſſo fuerit, quo minus textum quoque vitiaſſe dicantur, quid obſtet, non video. Hos ipſos textus, prout hodie in Hebræo leguntur, Bellarminus, & Salmeron pag. 46. laudati in corruptis numerant. Quod vero in ſcholis communi traditur explanatione, tertiam perſonam verbi activæ formæ ſignificatione paſſiva quandoque uſurpari, aut *kara* h. e. *vocavit*, notione *occurrit*, *obvenit* ſumi, futilius eſt, quam ut confutari mereatur; nimis quam manifeſto oſtendunt allatæ ſenſûs depravationes, quantum pro activa ſignificatione præſtet ſubſidii novitia punctatio, nec quæritur, an & ſic aliqua ſuperſit excuſandæ lectionis ratio, quæ textui notio determinate tribui debeat, quæritur; quis erit, qui active legentem, ſi vertat Judæis ad placitum, redarguat? communiſſima, & propria hæc eſt verbi poteſtas, quam extraordinaria aliqua uſurpatio nequit convellere.

Tertio

Verſio recentiorum, nominatim illa Lutheri nec hilo melior eſt: *vocatur mirabilis*, *conſi-*

lium, *potentia*, *Heros*, *æternus pater*, *Princeps pacis* (er heiſſet Wunderbar, rath, Kraft, Held, ewig-vatter, friede Fürſt) nomine Dei, quod præcipuam attentionem merebatur, in *to: potentia* converſo; quamobrem dicam ei ſcribunt Socienni Calovius, & Pfeifferus. Nec probanda illa nomine Vatabli To: *Deus fortis* in *Heros fortis* commutantis. *El* iſti pro adjectivo habent, ſed perperam. 1° Quia *el* in ſingulari poſitum non uſurpatur adjective, aut certe uſurpatio talis rariſſima eſt, & præter ordinem, dum ex adverſo vulgo conſtat *el* ſubſtantive unum eſſe ex decem nominibus Dei. 2° Eadem duo vocabula *el gibbor* ſibi conjuncta eidem Prophetæ Iſa. 10. 21. ac Jer. 32. 18. Deum fortem ſine controverſia ſignificant, ergo & hic. 3° Quia *gibbor* poſtponitur in ſignum, pro adjectivo haberi, quo conſtituto *el* ſubſtantivum eſt, alioquin ut quid duo adjectiva idem ſignificantia copularet? 4° Si accentuationi Rabbinicæ adhærendum, *el* per *Munach* continuativum voci *gibbor* jungitur, quæ indubie fortem ſignificat, *el* itaque Deum. 5° Cetera prædicata *admirabilis* &c. etiam alibi Deo tribuuntur, ex quo hic quoque voci *el* in ſignificatu Dei aptiſſime cohærent.

Reſtat, ut jam exemplis doceamus, nonnullos ſcripturæ locos ad incarnati Dei œconomiam pertinentes, in quibus fontis Hebræi obſcurior eſt enunciatio, 70. viros clarioribus commutaſſe, ut, unde Hieronymo eos accuſandi nata eſt occaſio, inde laudandi materia deſummatur. Mariana apud Menoch. pag. 77. obſervat, ab Origene dici, 70. ſæpe non verba, ſed ſenſum paraphraſtice reddere, ut Chriſti myſte-

ria

ria apertius explicarent, id quod & Chaldæus Paraphraſtes facere ſolet. Nos brevitatis ſtudio, qui præ manibus eſt, Prophetam potiſſimum perſcrutemur. Iſa. XI. 10. radicem Jeſſe ſtare in vexillum populorum Hebræus fert, quod 70. manifeſtius pro Chriſto eloquuntur: eum dominari in nationibus, in quem illæ ſunt ſperaturæ, quod Paulus ad Rom. 15. 12. ſequitur. Idem C. 42. 4. legem ejus inſulæ expectabunt: in loco, quem Matthæus totum in Chriſto impletum eſſe C. 12. aſſeverat, ſeniores reddunt: *Et in nomine ejus gentes ſperabunt*, totidem verbis promente Matthæo, qui tamen vulgo exiſtimatur Hebræi textûs ceteris curatius veſtigia premere. C. 50. 6. Hebræus: corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. 70. dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas. Matth. 26. 67. faciem meam non averti a confuſione ſputorum: tunc exſpuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt. Rurſus Iſa. C. 65. 5. expandi manus meas tota die ad populum incredulum. 70. addunt: & contradicentem: quam additionem, ut inſpiratæ Divinitus veritati conſentaneam Doctor gentium ſequitur Rom. 10. 21. ibidem verſu præc. inventus ſum a non quærentibus me &c. prout Paulus citat, tantum 70 habent, pariter 1. Cor. 15. 55. ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? in locum Hodierni Hebræi: ero mors tua, ero exitium tuum. Oſe. 13. 14. Corn. a Lap. 1. Cor. 15. 55.

Liceat mihi duos adhuc textus adducere, quibus ſvaderi videatur, 70. Meſſiam usque adeo non occultare, ut quærant magis, prodantque, etiam ubi non facile fuerit in fonte eum mani-

ſeſtare. Amos IV. 13. ut in occurſum Dei Iſraelis ſemet præparet, populus admonetur, quia „ecce venit formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium ſuum: Dominus Deus exercituum nomen ejus.„ Suſpicio cuipiam poſſet ſuboriri, an non *eloquium* hoc ipſe *Logos*, ſeu Chriſtus ſit. Hieronymus quidem ita interpretatur apud Calmetum: *præpara, ut venias in occurſum Meſſiæ.* 70. in locum *maſchechho Meſchichho* legentes, & voces, quæ hodie ſunt ſeparatæ, pro unica voce junctim accipientes ponunt: *annuncians in homines*, ſeu hominibus *Chriſtum ſuum*, Perinde etiam Habac. 3. 2. *in medio annorum vivifica illud:* videlicet opus tuum; quaſi dicat: audivi Domine Deus! quam mira olim opera feceris cum Patribus noſtris, fac illa redire, vivifica. inſtaura, iterum mirabilibus ejusmodi operibus *in medio annorum* h. e. intra hos annos, hiſce adhuc labentibus annis, expedi nos ab ærumnis captivitatis, abbreviato tempus ejus! & quamvis antea iratus fueris, oſtende te intra hocce tempus noſtri recordari. Reſpici iſthic etiam tempus Meſſiæ, cujus typus fuerit illa ex captivitate liberatio, ab interpretibus inſinuatur. 70. transferunt: *in medio duorum animalium cognoſceris.* Legerunt: *bekæræbh ſchenajim Chhajtho*, vel *chhajoth*, quod redditur, ut mox dictum: nec poſteriorum Grammaticorum præceptiunculis, quin ſic redderent, paſſi ſunt ſibi legem poni. Eſt, qui vertendum cogitet, *chhajjehu*, quod eſt, *vivifica: indica*, quaſi chhavvehu, *indica illud*: ex Syriſmo. Aquila in appropinquando *be kerob* punctandum cenſuit. 70. he loco ſimillimam literam chheth

vi-

videntes chhajoth, vel chajtho tam bene *animalia* transponere potuerunt, quam apte Gen. 1. 24. idem chhajtho communiter Syriſmum putant, alii vero metatheſi vitiatum pro chhajoth ſtare contendunt. Accentus vero minus accurate poſitus eſt in quibusdam 70. editionis exemplaribus in medio (dyo zoón) duarum vitarum loco (dyo zóon) duorum animalium, ubi etiam Hebræus ſermo *animal*, & *vita* eodem effert vocabulo. Addit Mariana Ó. verſionem Eccleſiam in precibus quotidianis amplexam eſſe, vocum Hebraicarum aliquantula mutatione id quod Ó. habent, poſſe conſtare, ut ſuſpicari poſſimus Hebraica eſſe variata, quæ tamen varietas etiam in editionem Vulgatam ſit illata, (pag. 84. apud Menoch.) Ceterum de duobus animalibus, bove, & aſino ad præſepe Chriſti, quod pietas fidelium pro vero aſſumit, Calmeto caſtigatius Honoratus a S. Maria Carmelita diſcalceatus egregius Criticorum criticus, ſubacti vir judicii Animadv. in Reg. & uſum Critices Tom. 2. edit. Venet. 1768. pag. 100. diſputat. (*y*)

 §. III.

(*y*) Ad fidei obſequium ſufficienter expreſſa veritas eſt, Chriſtum natum in Bethlehem oppido Tribus Juda, (pag. 6. & 27.) in quantum non in alia civitate, ſed ſecundum clara Prophetiæ, & Evangelii verba in hac eſt in lucem editus; diſtat duabus horis, aut fesqui milliari Germanico ab Jeruſalem, & jam civitas Davidis, quod ei natalis eſſet, jam vicus (Græce *kome*) dicitur, quod ſecundum ſe nec amplitudine, nec magnificentia commendaretur. Stetit in monte ficis, oleis, & vineis, agris item frugum valde feracibus circumſito, unde *Ephratæ* h. e. urbis *fructiferæ*, vel *Bethlacham*, h. e. *domûs panis*, quia

§. III.

Diſquiritur, an hodiedum ſuperſit vera **LXXII.** *Interpretum verſio, ſeu quod idem eſt: an quæ hodie circumfertur, ea ipſa dicenda, quam a Patribus novimus tam excellenti ſtudio commendatam?*

Primis Æræ Chriſtianæ ſeculis, ut ex Hieronymo pag. 269. vidimus, 70. viralis verſionis maxime triplex editio obtinuit: 1° Hexaplaris, ſeu Ori-

---

quia *Beth* domum, *læchhæm* vulgo panem denotat, (ſi non aptior eſt alia *tu* læchhæm h. e. carnis ſignificatio, ut domus incarnationis audiat.) nomen jam temporibus Joſue loco eſt inditum, rupibus præruptus eſt, inter quas incolæ effoderunt domos, & ſtabula uſibus ſuis, & commodo pecorum ſuorum.

Nec tamen ſequitur Salvatorem intus in urbe natum eſſe, cum etiam ille, qui in exteriori, ut vulgo dicimus, civitate, vel adjacentibus villis naſcitur, in urbe tali natus dicatur, præpoſitione *in* præprimis apud Hebræos *juxta*, *penes*, *proxime* pro exigentia adjunctorum ſignificante. Nempe Auguſtus Cæſar Octavius, ſeu Octavianus, Julii Cæſaris ex ſorore nepos, juxta multorum calculum anno Imperii ſui 40. ab Actiaca victoria 29. Ur. C. 750. Olympiadis 194. I. Herodis M. 37. Periodi Jul. juxta Calmetum 4709. Mundi 4000. ante Æram vulg. IV. orbem univerſum (intellige Romano Imperio ſubjectum) conſcribi jubet: omnibus in civitatem, cui tamquam loco familiæ ſuæ principi adſcripti erant, ut Romanis Dominis ſuis nomen, & ſubjectionem ſuam profiterentur, diſcedentibus, dum Joſephus, & B. Virgo e Nazareth vico Galilææ itinere tridui in Bethlehem venirent, Divinæ prolis 25. Martii conceptæ, exactis IX. menſibus 25. Decembris adveniente nativitatis tempore, conſtituto Bethlehemi pro advenis hoſpitio (*caravanſera* ſtylo Orientis, ubi præter tectum citra mercedem patens offertur nihil) ab iis, qui prius venerant,

Origeniana, quæ in varia exemplaria tralata, quia in Regionibus Paleſtinæ, eique finitimis erat in uſu, & ab Euſebio, & Pamphilo eſt evulgata, *Paleſtina*, vel *Euſebii*, vel *Pamphili* dicta fuit,

rant, occupato, *quia non erat eis locus in diverſorio* in antrum urbi vicinum, quod pecoribus ſtabuli loco fuit, ſe receperunt, ubi ex adjunctis hyemis, quamvis in regionibus illis minus aſperæ, & præſentia paſtorum veroſimile redditur, pecora ſaltem nocte reipſa fuiſſe ſtabulata, ubi, ſi Myſtice loqui liceat, nam litera ſonat de exterminio primogenitorum Ægypti ſub Pharaone, *cum quietum* (medium in off. Div.) *ſilentium contineret omnia*, *& nox in ſuo curſu medium iter haberet*, *omnipotens ſermo tuus* (ho pantodynamos *logos* ſu) o æterne Pater! *de cælo a Regalibus ſedibus venit.* Sap. 18. 14. *Ecce in hoc parvo foramine cælorum conditor natus eſt! hic involutus pannis*, *hic viſus a paſtoribus*, *hic demonſtratus ab ſtella*, *hic adoratus a Magis.* Verba ſunt Hieronymi in epl. ad Euſtochium S. Paulæ Matronæ Romanæ hic defunctæ filiam.

Pro nativitate in urbe articulum Græcum adducit Caſaubonus, ſed notante Calmeto neque præpoſitus eſt ille voci *phatne* h. e. *præſepe* in omnibus exemplaribus, neque ſolida conficitur ex fictitia articuli poteſtate argumentatio, reclinavit igitur eum mater in præſepio Luc. 2. 7. non ejusdem diverſorii in urbe, ſed alterius extra pomæria urbis exiſtentis ad extremam oppidi partem verſus meridiem, ubi & hoſpitium peregrinis qualibet hora venientibus, ut cenſet Hieronymus, & in contigua abditiori ſpecu ſtabulum præſto fuit, in quo excavatum in ſaxo præſepe arculam ligneam inſertam habuerit, quæ Romam translata, velut ligneum Domini præſepe in Baſilica S. Mariæ Majoris viſitur. Hinc uno, vel duobus quadrantibus horæ aberat *Migdal yader* h. e. *turris gregum*, ſeu paſtorum tugurium Mich. 4. 8. antiqua ætate Jacobi tabernaculo celebris Gen. 35. 21. ubi Angelus paſtoribus gaudium magnum evangelizavit, qui cum de loco nativitatis mapalibus ſuis vicino cer-

& duæ tēs koenēs, ſeu Vulgatæ, nimirum: 2° *Lucianea*, quam Lucianus Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, vir laude continentiæ, & ſcientiæ ſcripturarum exeunte ſec. III. clarus, ſub Diocletiano, &

certis indiciis fuiſſent edocti: *Et hoc erit vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum*, non in lecto, & domo, ut paſſim fit, ſed *poſitum in præſepio:* ſtabulo vobis quippe bene cognito, & in vicinia iſta non occulto: *loquebantur ad invicem: transeamus usque Bethlehem!* h. e. usque pomæria ejus.

In aſſerendo antro Patres, quo vetuſtiores, eo ſibi magis conſentientes inveniuntur. Juſtinus M. Paleſtinus, adeoque indigena in Dial. cum Tryph. dicit, in ſpelunca vico proxima a B. V. Chriſtum recens natum in præſepe fuiſſe depoſitum. Origenes L. 1. contra Celſum aſſerit „in Bethlehem ſpeluncam oſtendi, ubi ille natus ſit: quod utique & in illis locis celebre eſt, & vel apud eos quidem, qui a fide ſunt alieni, fama, & nomine circumfertur, in eadem ſpelunca Jeſum quemdam, quem Chriſtiani adorent, & demirentur, genitum eſſe. Euſeb. L. 7. C. 5. Demonſtr. Evang. ait Incolas Bethlehemi, ut a Majoribus ſuis acceperant, inviſentibus loca ſacra, agrum demonſtrare, ubi virgo enixa infantem poſuit. „ Hier. epl. 18. ad Marcellam. Quo ſermone, qua voce ſpeluncam Salvatoris exponam? & illud præſepe, in quo infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infirmo ſermone honorandum eſt. „ Epiph. L. 1. prope fin. Petrus Chryſol. Athan. Damaſcen.

Sed de bove, & aſino Calmetus in C. 2. Luc. V. 7. decernit, eos ad præſepe Chriſti usque ſeculi V. dimidium a nemine conſtitui, qui ita ſentiunt, eos aut eſſe recentiores, aut leviſſimæ authoritatis; gemina habet in C. 3. Habac. & pictorum culpat licentiam. Rmus. Viſer (pag. 87.) Herm. par. III. pag. 223. ſic habet: Critica docet Chriſtum natum eſſe non in diverſorio, multo minus in ſtabulo, ſed in ſpelunca (quaſi eadem ſpelunca ſimul ſtabulum eſſe nequiret) nam 1- - credibile non eſt inter pecora natum eſſe; nam indecens videtur propter ſordes, quæ in

& Maximiano Martyr, communem editionem 70. ad meliores ejuſdem verſionis codices recenſendo emendatiorem dedit, quæ manu ejus deſcripta Conſtantini M. tempore Nicomediæ reperta eſt; contuliſſe cum fonte Hebræo ſine fundamento aſſeritur, ſolum correxit menda, atque

T 5 ſic

in ſtabulo ſunt, (quaſi boum excrementa fulgori Solis hujus officiant, vel ſordeſcant magis, quam concharum) neque combinari poteſt cum ſtudio puritatis apud Hebræos obſervato, aut cum periculo, quod ſubibant, poterant enim a pecoribus conculcari, neque poteſt concipi, quomodo tale ſtabulum ingredi potuerint, nox enim erat, (mirum, ſi & paſtores tam denſa noctis caligine præſepe invenerint!)

His aſſertis refragatur 1. authoritas PP. complurium, non (ut Calmetus putat) leviſſima. Hieronymus ſcribit Euſtochio de Paula: „In ſpecum Salvatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum Virginis diverſorium, & ſtabulum, in quo agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: ut illud impleret, quod in eodem Propheta ſcriptum eſt. &c. Eadem de bove, & aſino habent Gregorius Naz. Nyſſenus, Paulinus, Cyrillus Jeroſolymitanus loco tam vicinus, Prudentius, Damaſcenus, Beda a Baronio citati; qui autem Speluncam dicunt, ſtabulum non negant, imo Hieronymus utrumque jungit, & certa locorum illorum, in quibus antra pro ſtabulis fuerunt, circumſtantia ſuffragatur. 2. *Phatne* ex ejuſdem Evangeliſtæ authoritate C. 13. 15. certiſſime notat boum, & aſinorum præſepe: *hypocritæ! unusquisque veſtrum ſabbato non ſolvit bovem ſuum, aut aſinum a præſepio* (gr. a *phatne*) *& ducit adaquare?* ſicut etiam *Katalyma* diverſorium: quemadmodum & vetuſtæ verſiones, & lexica conſentiunt. An ergo ex eo, quod *phatne* improprie, & ex ſimilitudine omnem aliquando cavitatem, in qua aliquid reconditur, deſignat, jus naſcitur a vocis proprietate recedendi? 3. Ex Angeli verbis ad paſtores deduci videtur, locum fuiſſe vulgo notum, eo quod ibi ſtabulum eſſet, & præ-

ſepe

ſic *communem* editionem emaculavit collatione meliorum codicum Græcorum. De iſto viro Hieronymus in Catal. Script. Eccl. ſic loquitur. „ Lucianus vir diſertiſſimus tantum in ſtudio ſcripturarum laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria ſcripturarum Lucianea nuncupentur. „ 3° *Heſychiana*, nempe Heſychius urbis cujusdam in Ægypto Epiſcopus, & juxta Euſebium L. VIII. Hiſt. C. 25. in 10ª perſecutione Martyr eodem fere, ac Lucianus tempore eundem laborem præſtitit, Vulgari 70. editione ad meliores codices reformatâ; Alexandria, & conſequenter omnes Eccleſiæ Ægypti hac utebantur, quam titulo exemplarium Alexandrinorum L. 16. Comm. ad C. 58. 11. Iſai. laudat Hieronymus.

Variantibus in hunc modum exemplaribus, quæ rerum curæ hominum commiſſarum eſt viciſſitudo, atque inconſtantia, non tantum Archetypon, ſed ipſum quoque exemplar Hexaplis Origenianis inſertum, neſcimus quando, interiit, magno Eccleſiæ damno, intoleranda Græcorum negligentia; cauſam, quantum ad Hexapla, fuiſſe reor, operis vaſtitatem, quæ ut primum conſpecta eſt, deſcribere volentes a propoſito deterruit. *Tón* Ó. Archetypon in Alexandrina Bibliotheca ſervatum fuiſſe ad Julium Cæſarem

us

ſepe, ut quid igitur authores iſti in omnes partes ſe convertunt, ut bovem, & aſinum a præſepi, ad quod omni jure præſertim hyeme pertinent, avellere poſſint? quibus ad commendandam Chriſti humilitatem ipſa etiam Eccleſia in off. Div. hunc locum tamquam ipſis proprium aſſignavit, *O magnum myſterium, & admirabile ſacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præſepio!* ſed hoc extra cauſam ſatis, ac fortaſſe etiam nimium.

uſque, ſed regnante ipſo expugnata poſt Pharſalicum prælium anno Ur. C. 707° ante Chr. circiter 40° vel 48° Alexandria, una cum aliis 700. librorum millibus conflagraſſe multi cum Baronio ad an. Chr. 230. pag. 497. contendunt: ita enim de funeſtiſſimo hoc incendio ſcribit Gellius L. 6. C. ult. *Ingens poſtea numerus librorum in Ægypto a Ptolomæis Regibus vel conquiſitus, vel confectus eſt ad millia fere voluminum ſeptingenta: ſed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non ſponte, neque opera conſulta, ſed a militibus forte auxiliariis incenſa ſunt.*

Rurſus: Anno 2° Commodi Imp. Serapidis templum combuſtum eſt, itaque ſi in hoc templo Archetypon Ó. verſionis aſſervabatur, Vulcano ceſſit, ut verum eſſe nequeat, quod Tertullianus Apologet. C. 18. aſſerit: *Hodie apud Serapeum* (templum Serapidis Dei Ægyptiorum) *Ptolomæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis exhibentur:* libri videlicet 70. viralis verſionis autographi, cum Bibliis Hebraicis, de quibus ſunt tranſlati.

Urgent: Aſſenſum eo minus mereri, quod Chryſoſtomus Orat. 1. adverſus Judæos nr. 6. edit. Latin. Roboreti an. 1753. Tom. 1. pag. 372. his verbis (locum Baronius non reperit) enunciat: *Ptolomæus Philadelphus* libros ſcripturæ S. in Græcum converſos *in Serapidis templo repoſuit, & in hunc diem uſque librorum Propheticorum interpretatio ibi ſervatur. Ergone templum Serapidis propter libros ſanctum erit? abſit.* Ita & Judæos propterea quod libros ſacros retineant, ſanctos non eſſe &c. Aſſertum hoc illi ſollicitant, atque rejiciunt, neque

enim

enim Serapidis templum jam tum ſtetiſſe, quod conſtat ſub Theodoſio Juniore funditus eſſe dirutum Ruf. L. 2. C. 23. ut iſtud Chryſoſtomus cum veritate dicere non potuerit.

His tamen difficultatibus multifaria reſponſione occurritur. 1° Tertullianum, Juſtinum Mar. Chryſoſtomum incendia illa non latuiſſe, ſupponebant igitur exemplar flammis fuiſſe ereptum; nec caret probabilitate, in perturbatione illa aliquos fuiſſe repertos, qui etiam media inter diſcrimina vitæ conatum omnem impenderint, ut ſumptuoſiſſimæ, & celeberrimæ illius Bibliothecæ libros quospiam ab incendio, & interitu vindicarent. 2° Non eſt combuſtum totum templum, ſaltem porticus illæ, in quibus erat Bibliotheca, manſerunt ſuperſtites, ſicut opinatur Uſſerius. 3° Nec ſuum huic opinioni deeſt argumentum, nam Ammianus Marcellinus Latinus ſec. IV. Hiſtoricus agens de templis Alexandrinis ſua ætate extantibus, eminere inter ea dicit Serapeum, in quo Bibliothecæ fuerint inæſtimabiles. Chryſoſtomus porro verum dixit, quia orationem illam habuit adhuc qua Diaconus ante annum 386. Serapeum vero ſub Theodoſio anno 389. fuit everſum poſtea exactis jam tribus annis; Profecto ſi Imperator, qui in regionibus illis rerum potiebatur, & cujus præſentia facta populum non latebant, Serapeum, aliaque ethnicæ impietatis monumenta per totam Ægyptum ſolo æquari jam tum juſſiſſet, Chryſoſtomus facti non immemor ad concionem nihil tale protuliſſet. Si cui hæc non probantur, teneat ille firmiter, Archetypon tempore Julii Cæſaris bello priore Alexandrino conflagraſſe, ſufficit, quod negari nullo jure poteſt, ſincera,

&

& fideliſſima apographa præ manibus Judæorum extitiſſe, quæ usque ad tempus hujus incendii per duo ſecula ſæpius deſcripta, & uſu ipſo multiplicata per Ægyptum, Aſiam, Græciam, quocunque Helleniſtarum aliqua propago pertigit, diſperſa fuerint; nam apud Ariſteam pag. 131. edit. Joſ. Fl. legitur, Demetrium a Judæis precibus interpellatum, ut iſtam legem ſic deſcriptam ſuis etiam Principibus, ſeu Præpoſitis (Græce habet *Hegumenis*) dare velit: fuiſſe exemplar hoc ſideliter, & integre, ut nihil adderetur, nihilve demeretur (ſicut definitum fuit) illico, & ſæpiſſime deſcriptum, ipſa communis boni ratio, & paratæ verſionis ſcopus ſvadet, ut videlicet Helleniſtæ Scripturam S. in lingua ſibi nota haberent, & in Synagogis ſuis lectitarent. Si ergo in conflagratione templi, & captivitate Babylonica libri ſacri non periverunt, quod exemplaria multorum manibus tererentur: nec 70. viralis translatio in caſu ſimili amiſſa eſt, quod pii Helleniſtæ apud ſe exemplaria procul dubio multa habuerint, quibus, cum ſcripturam ſingulis Sabbatis in Synagogis legere tenerentur (Act. 13. 15. & 15. 21.) carere non potuerunt.

Cleopatra Bibliothecam novam mox in eodem, ubi prior ſteterat, loco in templo Serapidis, vel porticu ejus erexit, quam teſte Epiphanio L. de pond. & menſ. exquiſitiſſimis libris inſtruxit, ut priorem illam fatali incendio in cineres redactam velut filia matrem referret: huc libros omnes, quos nanciſci undecunque potuit, transtulit; unde apud Plutarchum in vita Antonii legitur, hoc contra Antonium objectum fuiſſe, quod Cleopatræ donaſſet Bibliothecas,

quæ

quæ Pergami erant, in quibus eſſent 200. millia librorum ſimplicium.

In hanc germanum hujus cimelii exemplar collocatum fuiſſe non ambigitur, ſi non de Archetypo, de hoc ectypo, & aliis ſinceris hujus editionis exemplaribus Juſtini, Tertulliani, & Chryſoſtomi verba citra errorem, & falſitatem poſſunt intelligi, quorum exemplarium miram cum Hebraico ætatis ſuæ textu conſonantiam Philo Tiberii, & Caji, temporibus vir Alexandrinus & primariæ apud Judæos dignitatis prædicat; habuit itaque Origenes apographum fidele, quod octaplis inſereret, a quo quidquid diſcrepabat, ab ipſis etiam Hebræorum voluminibus diſceſſiſſe tamquam certum dicit Hieronymus, qui & ipſe Hexaplis uſus fuit; hæc igitur verſio in melioribus exemplaribus usque ad tempora Hieronymi Authentica manſit. Quod ſi quiſpiam inficietur, omnium ille Patrum, & totius antiquitatis ſe judicio opponet, & illud principii loco conſtituet, quo univerſam ſub cælo Chriſti Eccleſiam veris, integris, ac Authenticis ſcripturarum exemplaribus caruiſſe non difficulter oſtendetur.

Sed quæ hodie extat, cujus tandem erit authoritatis? num Authentica? num eadem, atque illa veterum? affirmant permulti, & meliori, ut videbimus, judicio, aliis numero, & authoritate non multo inferioribus repugnantibus: nimirum ſuperſtitis hujus verſionis tres principes editiones celebrantur, ad quas omnes aliæ reducuntur:

1ª Eſt Complutenſis in Polyglottis Card. Ximenii, e variis codicibus Græcis concinnata an. 1514. excuſa, ac ſubinde in Belgio, Gallia repe-

repetitis typis edita, ad Hebraicum propius conformata eſt, detractis, vel aliunde ſuppletis, quæ vel redundarent, vel deficerent; unde quidam cenſent ex multis permiſtam: alii ex adverſo ceteris præferendam ſtatuunt, ut quæ Hebraicum Archetypon accuratius referat. Richardus Simonius (pag. 65.) editionis hujus authores redarguit, quod ad Hebræum reformantium talis labor corruptio potius fuerit, quam inſtauratio.

2ª Eſt Veneta, ſive Aldina an. 1518. e prælo Aldi Manutii, Venetiis in lucem prodiit cura præprimis Andreæ Aſulani, qui in epl. dedicatoria perhibet eandem e collatis vetuſtiſſimis exemplaribus procuſam eſſe; ejusdem plures ſubinde mutationes in variis editionibus Argentorati, Baſileæ, & an. 1591. Francofurti ad Mœnum prodiverunt.

3ª Eſt Romana, ſive Vaticana, omnium, ut multis videtur, præſtantiſſima, auſpiciis Sixti V. e vetuſtiſſimo, Hieronymi tempora fortaſſe prævertente, codice Bibliothecæ Vaticanæ accuratiſſime expreſſa, & egregiis Græcorum Patrum, & commentariorum annotationibus locupletata, nitidiſſimis typis Romæ prodiit an. 1587. cumque anno ſequente 1588. Flaminius Nobilius veterem 70. verſionem Latinam, Italam vulgo dictam, e Latinis monumentis reſtituere conatus eſſet, utramque hanc Romanam editionem Joan. Morinus conjunxit, & unam Græco-Latinam Pariſiis an. 1628. evulgavit, recuſam in Polyglottis Anglicanis. Morinus, & Valtonus huic primas deferunt, ille ſtrenuus licet, & eruditiſſimus editionis hujus vindex fatetur, aliquas dictiones, & verſiculos nonnullos in hac quoque ſupereſſe, qui in exemplaribus Ori-

ge-

genianis aſteriſcis erant notati, fuiſſe præterea lapſu temporis, & amanuenſium incuria in codicibus exſcriptis de ipſis Origenianis nonnunquam deletos aſteriſcos (pag. 190.) aut præpoſtere inſcriptos.

Sicut jam præmiſſum eſt, haud infimi ſubſellii viri non ſolum heterodoxi, verum & Catholici poſt Bellarminum, Huetium, & alios ſatis multos concludunt, hanc, cujuscunque demum editionis, quæ hodie ſupereſt, 70. viralem verſionem adeo eſſe corruptam, ut a primæva illa, quæ naſcentis Eccleſiæ fidem roboraverat, etiam illa ipſa, quæ a Sixto V. publici juris facta eſt, omnino diverſa videatur, proin nec Authentica. Verba Bellarmini L. 2. de V. D. C. 6. ſunt: eam quidem adhuc hodie ſupereſſe, ſed *adeo corruptam, & vitiatam, ut omnino alia eſſe videatur, nec jam tutum ſit Hebraicos, vel Latinos textus ex Græcis codicibus emendare.* Venerabilis vir dixerit iſtud obiter, ac velut in procinctu, dum ad majora tractanda properaret, alia enim ſenſa fovit, dum rem ex propoſito discutiebat, poſſumusque Bellarminum ſibi ipſi opponere, qui in explanatione Pſalmorum pluribus in locis Hebræos codices vitiatos, 70. habuiſſe meliores, eorumque verſionem, prout extat hodie, ſequendam affatim docet.

Sixti V. hodiernam 70. editionem approbantis, & proponentis verba, in diplomate an. 1586. poſita, ne ludamus omnia, ut ſonant, ſine violenta explicatione accipienda ita ſe habent: *Volumus, & ſancimus ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, ut Græcum V. Ttum juxta 70. ita recognitum, & expolitum, ab omnibus recipiatur, ac retineatur; prohibentes, ne quis de-*

de hac nova editione audeat in poſterum vel addendo, vel demendo quidquam immutare; ſiquis autem aliter fecerit, quam hac noſtra ſanctione comprehenſum eſt, noverit ſe in Dei omnipotentis, Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli indignationem incurſurum. Voluntatis ſuæ fuiſſe idem Pontifex indicat, ut labore multo parata hæc editio ad eam, quam 70. Interpretes Spiritûs S. auctoritatem ſecuti ediderunt, quantum per veteres libros fieri poteſt, quam proxime accedat. In cit. editione Morini an. 1628. præfatio lectu digniſſima eſt, in qua menda quædam Hebræi codicis, qui prout hodiernis punctis inſtructus circumfertur, humana eſt accedens ſcripturæ Divinæ interpretatio, in medium producuntur, & 70. viralis verſionis lectiones, ubi ab hodierno Hebræorum textu diſſident, tamquam Archetypo propinquiores, & conformiores defenduntur.

Inter eos, qui verſioni huic, prout hodie extat, infenſi ſunt, *Heterodoxi* quidem Pontificio decreto haud attento, omnem ejus autoritatem repudiant: Jacobus *Uſſerius* Armachanus Archi Eppus. & Primas Hiberniæ non genuinam, ſed alteram *communem* ætate Ptolomæi Phyſconis Alexandriæ negligentiſſime elaboratam, quæ in Cleopatræ Bibliotheca repoſita fuerit, & priori illi genuinæ ſuccreſcens in locum, & nomen ejus ſucceſſerit, hodie ſupereſſe, varie mixtam, & corruptam, quam etiam ipſi Patres ſec. III. IV. V. incaute, ac per errorem loco prioris uſurpaverint, in Syntagmate ſuo de 70. Interpretum verſione commentus eſt, ab Henrico Valeſio in epl. Tom. I. Euſeb. edit Aug. Taur. an. 1746. pag. 777. adnexâ re-

futatus. *Druſius* obſerv. L. 6. C. 9. non eſſe hanc, quæ circumfertur, veram 70. verſionem nemini hodie dubium eſſe debere pronunciat, quod innumeri in ipſa loci, prout translati leguntur, magnam ſermonis Hebraici arguunt imperitiam, & oſcitantiam tantis viris indignam. Sunt, qui ſerio affirmare audeant, ſtabulum Augiæ vix majore labore quemquam fuiſſe purgaturum, quam ſi omnes in 70. occurrentes errores colligeret; cenſura, ut præceps, & iniquiſſima, ſic a vero maxime aliena. Alii longam erratorum ſeriem ex parhermenia, (mala interpretatione) literarum permutatione, præpoſitione, ſublatione, trajectione, aliisque paroramatis ortam lectori proponunt, integros verſus, & complures quidem jam omiſſos, jam immiſſos &c. de quibus loqui inſtituti noſtri brevitas vetat, paucula quædam in ſequentibus attingemus.

Catholici autem diploma Pontificis ita interpretantur, ut eo tantum valere intelligatur, ne quis in eadem verſione quidquam immutare audeat, recipique, & retineri debeat ab omnibus non infinite, ſed *præ aliis ſcilicet exemplaribus* „Pontificia diplomata ibi præfixa ejusmodi ſunt, ut has editiones ſupra ceteras ejusdem generis efferant, non ut Latinæ Vulgatæ pares faciant, quod eorum præfationes aperte declarant: eo totus hic Pontificis labor, & cura pertinuit, ut 70. interpretum verſio, quæ de Chriſti Eccleſia eſt adeo bene merita, ab ipſa nec repudiata, nec prorſus relicta, non vero etiam, ut in integrum reſtituta videretur.„ Ait Ant. Caſſinus in Rom. collegio S. Scripturæ Profeſſor Encycl. Diſp. 4. alioquin in præfatione dici, quædam ibi relicta, ſi minus menda, certe ſuſpicione mendi

di non carere „ Ita verſioni laudem, qua omni tempore ab omnibus ornabatur, detrahunt, heterodoxi, ut eam in Hebræos codices, catholici, ut in Vulgatam tanto ſecurius, certiusque transferant.

Ego vero multum vereor, ut hæc ad fontis Hebræi, aut Vulgatæ commendationem, quam Authores iſti pro ſcopo habent, magnopere faciant; reliquum eſſe videtur, ut inferat quispiam, etiam fontis, aut Vulgatæ, quam tanto ſtudio ſtatuminant, authentiam exiguis his finibus conſtringi, fontem *uſualem* ſupra ceteros codices *ejusdem generis* efferri, non Vulgatæ parem fieri: & rurſus: Vulgatam retinendam, donec melior aliqua verſio prodeat; vel nullo, vel latiori ſenſu Authenticam eſſe, quatenus data opera non ſit corrupta, eſto ſit in lectione maxime erronea; in præfatione enim ſatis indicari quædam, etſi viderentur corrigenda, permiſſa fuiſſe; pro humana imbecillitate difficile eſſe affirmare, hanc numeris omnibus abſolutam &c. Deinde ſi tam eſt hodie corrupta 70. viralis verſio, nihilominus Pſalmos ſecundum eam habemus in Vulgata, hæreticis cavillandi non deerit occaſio, hanc ſcripturæ partem apud Pontificios usque adeo vitiatam eſſe, ut plane diverſa ſit a verbo Dei; nec dici poteſt, retineri Pſalmos ſecundum eam, ut antiquam, & nondum demutatam, vel demum, ut ab Hieronymo emendatam, nam collatio demonſtrat evidenter, Latinam noſtram Pſalmorum editionem 70. virali hodiernæ communiſſime eſſe conformem.

Inſuper levia ſententiæ ſuæ adferunt argumenta, quibus paria Vulgatæ opponi poſſunt, quin ei eminentem prærogativam, & Authentiam ſect. I. ſatis, ſuperque diſcuſſam eripiant.

Primo enim menda librariorum ſerius illapſa tolli & poſſunt, & debent, nec ipſis 70. viris tribuenda, cum haud minus, quam in Vulgata citra dubium orta ſint ex vitioſa tranſcriptione, nec Authentiæ officiunt, quoniam extra doctrinam fidei, & morum, ac in valde minutis rebus verſantur. Sic Prov. 8. 22. Dominus *poſſedit* me in initio viarum ſuarum, (operationum ad extra) antequam quidquam faceret a principio. Hebraice: Jehova kanani reſchith darcho: Jehova poſſedit me principium viæ ſuæ: Vulgatus cenſuit *beth* ſubintelligendum, *bereſchith* in initio. 70. in codicibus multis habent, loco *poſſedit*, quod Græce eſſet *ektéſe*, ſeu uſitatius, & vulgo: *ektéſato*, *ektiſe* loco *ita*, vocalem *jota*, quod eſt *creavit*, unde ajunt Arianam hæreſim, quæ æternam, & increatam Patris ſapientiam, ſeu Filium creaturam profitetur, exortam fuiſſe. Falluntur oppido: orta quidem impietas illa eſt aliunde, fulcimentum vero ex hac lectione nullum habere potuit, niſi damnabili interpretandi licentia. 1º Niſi præjudicatus error mentes Arianorum occupaſſet, advertere poterant *ktizo* h. e. creo poni pro eo, quod eſt conſtituo, præficio, ſicut B. Athanaſius interpretatur; ita Latine dicitur creare conſulem: Dominus conſtituit me, præfecit operibus ſuis principem. 2º Hebraicum *kanah* quod eſt poſſidere, ubi de conceptu, & nativitate prolis ſermo inciderit ſumi pro eo, quod eſt gignere, parere, ut Gen. 4. 1. atque ita *bara* quaſi a *bar* filius, a Chaldæo transponi, quia *creare* liberos pro: gignere variarum nationum linguis dicitur, & *procreatio* pro eo quod eſt productum, vulgo uſurpatur. Proverbio

bio fertur apud Arabes: *qui creat*: h. e. generat, & relinquit poſt ſe liberos, *non moritur*, quia vivit in ſucceſſoribus ſuis. (ellezi chhallaka má máthe.) Vulgatus noſter vocem: *creatura* ſicut eſt in Græco: pro *conſtitutione* ſumit: ſubjecti eſtote omni humanæ *creaturæ* 1. Petr. 2. 23. pro *filiis* item: *erunt in confirmatione creaturæ illius*: Eccli. 4. 17. h. e. liberos firmos, valentes, & longævos habebit. 3º Cur Ariani lectioni incertæ determinate tam pertinaciter inhærent, cum legant in codicibus perinde multis aliam *ektêſato* h. e. poſſedit, quæ in Sixtina editione notatur, & a Reineccio retinetur? & qua uſos fuiſſe Euſebinm L. 3. Dem. Ev. Epiph. hær. 69. Baſilium L. contra Eunomium, aliosque veteres conſtat? quæ vim Hebrææ vocis immediate ſiſtit, proin nativa credi poteſt, cui Symmachus, Aquila, Theodotion conſentiunt, quæ demum, unius literulæ mutatione, dum *ita*, ut *jota* forte pronunciabatur a quibusdam, ſimilitudine ſoni enata eſt. Interim nihil periculi video in lectione *creavit*, ſicut nec in illa: *ab initio, & ante ſecula creata ſum*: quia contextus evidentius determinat ſumi pro: *genuit*, *genita ſum*. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar. Si cui lectio *creavit* aliquid offenſionis habere videtur, nativam lectionem eſſe *ektéſe*, ſeu ektéſato h. e. poſſedit, aſſeveret, & ſoluta quæſtio eſt. Epiphanius in Hebræo *kinneni*: nidificavit, ſeu quaſi pullum in nido excluſit me, aliis punctis legendum cenſuit.

Secundo: Pleraque menda, quæ majoris momenti eſſe videntur, jam ſeculis III. IV. V.

 co-

codices onerarunt, puta: Chronologia de annis Patriarcharum antediluvianorum, ubi jam ſolum usque ad diluvium 586 annis noſtram iſta verſio excedit ſupputationem: & tota illa enormis differentia, qua usque ad æram Chriſtianam ſecundum 70. annis prope bis mille mundus adultior efficitur, quam Hebræi codicis, & Vulgati ſupputatione, quæ 4000. annos ut paſſim numerari ſolet, offert, cenſeatur. Quorum prius duce Aug. L. 15. de Civ. Dei C. 13. ſcriptoris tribuitur errori, qui de Bibliotheca Regis Ptolomæi codicem deſcribendum primus accepit, dum enim annos hos erronea perſvaſione menſtruos eſſe credidit, eorum, qui tali ratione jam anno noſtro, qui XII. menſes complectitur, V° VI° & VII° generaturi erant, generationis tempus, ne, quod incredibile eſt, impuberes generaſſe narrentur, centum annorum additione ampliavit. Quod num recte dicatur, in conſequentibus diſcutiemus.

Atque illud de annis Mathuſalem, qui 16. aut 14. annis vixiſſet a diluvio, quod conciliari nequit cum veritate 1. Petri 3. 20. ferente octo ſolum animas in diluvio ſalvas factas fuiſſe ab aquis. Sed hunc quidem valde novitium puto errorem, nec univerſalem. Alexandrinus codex Hebræo, & Vulgato noſtro conſentit, & Aug. l. cit. dicit in tribus codicibus Græcis, quos veraciores nominat, reperiri ſex ante diluvium annis fuiſſe defunctum.

Demum: Jonæ 3. *Adhuc tres dies, & Ninive ſubvertetur.* Loco 40. Amanuenſium incuria eſt, dum ex litera *my* ſeu *m* quæ in numeris 40. valet, *gamma* ſeu *g* quæ valet 3. ob intercedentem aliquam figuræ ſimilitudinem effe-

ce-

cerunt, ut obſervat Theodoretus, vel M. detritum eſt in III. qui numerus jam integre *treis* ſcriptus circumfertur, errore antiquo ipſa vetuſtate firmato.. Juſtinus M. contra Tryphonem utramque jungit lectionem tres, & 40. Hanc tamen mutationem Auguſtinus L. 18. de Civ. C. 44. ipſis 70. viris ſubinferre non veretur, ita dirigente (ut explicat) eos Divino Spiritu, ut myſterium reſurrectionis Chriſti innueretur. An cogitari poſſet, Prophetam etiam tertio ante deſtinatum, ni convertantur, ruinæ diem pœnitentiam inculcaſſe, ut 37. diebus per varias ampliſſimæ urbis plateas prædicans, dixerit tres ſupereſſe ad avertendum malum dies?

Jam paucis declarandum, a multis eorum, qui 70. verſioni ſimilia ob iciunt, *in numeris* Hebræum fontem, & Vulgatam erroris redargui, & quandoque potius originalem textum, quam 70. viralem in mendo cubare.

Primo: Gen. 2. 2. Vulgata, ut quæ fideliter. quod in Hebræo jam tum fuit, expreſſit, & Hebræus legit: complevitque Deus *die ſeptimo* opus ſuum, quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat. 70. Syrus, & Hebræus Samaritanorum (z) codex

 ha-

(z) Hic non aliorum librorum, ſed ſolius eſt Pentateuchi textus Hebraicus, ſive Hebraicum eſt MStum. antiquiſſimum vetuſtis Hebræorum, & Samaritanorum Characteribus ante tempora Esdræ uſurpatis deſcriptum: Nempe textus Pentateuchi Hebraicus, & Samaritanus ſunt duo ejusdem Archetypi Moyſaici ex adverſo poſita apographa (Sect. 1. pag. 63.) in cuſtodia duarum gentium invicem æmulantium, & mutuis odiis ab antiquo ſe proſequentium, quorum unum de alterius aut integritate, aut defectu, & interpolatione

habent: complevit Deus *die ſexto* opus ſuum, & requievit die ſeptimo. Multi hodie poſt Lud. Cappellum, Houbigantium, & alios putant e manibus Moyſis fluxiſſe: complevit die *ſexto*; quibus

ne teſtatur, ut nulla fraudis, & conſpirationis ſuſpicio eſſe queat. Non latuit Origenem, & Scholiaſtas veteres, qui ad Gen. 4. 8. notas appoſuerunt, multo minus Hieronymum, qui codicem hunc in dubiis ſæpe conſuluit, ut ex iis, quæ de annis Mathuſalem, & comment. in C. III. epl. ad Gal. ſcribit, eluceſcit, quem Hebræorum codici in loco Deut. 27. 26. controverſo manifeſte prætulit. Poſt ſeculum V. apud noſtros interpretes mentio ejus nulla occurrit, donec poſterius ætate noſtra ex Oriente exemplaria quædam deducta ſunt. Editio per P. Morinum ex unico exemplari facta in Polyglottis Pariſienſibus an. 1645. prodiit (pag. 156.) moxque XVII. alia Manuſcripta collata ſunt, & editio in Polyglottis Anglicanis Valtoni cum animadverſionibus Samariticis tomo VI. inſertis repetita. Collationem Hebraici, & Samaritici Pentateuchi Uſſerius inſtituit.

Judicia eruditorum de hoc exemplari variant: quidam ut autoritatem ejus imminuant, ad Græcam verſionem 70. recenſitum dicunt; alii Doſithæum quemdam Simoni Mago contemporaneum, Samaritarum pſeudo-Apoſtolum etiam Rabbinis notum, ab Eulogio apud Photium Cod. CCXXX. commemoratum, & a Lightfooto in diſquiſit. Chorograph. Joanni præmiſſa edit. Carpzovi Lipſ. an. 1684. pag. 934. productum, illatæ corruptionis accuſant, qui exemplar iſtud fæde vitiaverit. Complures tamen, & magni nominis Critici concludunt, ectypon hoc Archetypi Moyſaici eſſe longe fidelius, quam ſint quæcunque hodierna Maſorethica exemplaria. Houbigantius præcipuum emendandi Hebræi textus fontem conſtituit, ex quo Maſoretharum lectionem frequentiſſime corrigit; obiter & pro ſpecimine ſit Gen. 2. 2. die *haſchiſchi* h. e. ſexta V. 24. *ſchenehem* h. e. duo ipſi. Quod ex Hebræo excidit ideo, quod immediate repeteretur. Chaldæo Paraphraſta primum ex errore prætermitten-

bus prorſus conſentio ex rationibus iſtis. 1° Si 70. legiſſent die 7° , ſi Hebræus Samaritanorum codex, dum juxta nonnullos 700. circiter ante Chriſtum annis ipſis traditus eſt, ita habuiſ-

U 5 ſet,

tente, cum Judæi paſſim in exemplarium deſcriptione hunc ſequerentur, error in omnia hodierna exemplaria dimanavit. Gen. 30. 11. & Gen. 49. 10. in vexatiſſimo loco *mibben daglav: de vexillis ejus* non auferetur dux: loco *mibben raglav* h. e. de inter pedes; quod jam de fæmore, ſeu partibus genitalibus, jam aliter interpretantur, quidam vero ſolum valere: *ab eo* contendunt; Houbigantius vero multis ſvadet, lectionem *daglav* codicis Samaritani, h. e. *de medio vexillorum ejus*, loco & contextui accomodatiſſimam eſſe. Laudatus Morinus Hebræo textu incorruptiorem eſſe cenſet. Joan. Clericus ſaniorem Hebraico arbitratur in hiſce locis: Gen. 11. 4. VII. 2. XIX. 19. XX. 2. XXIII. 39. XXXIV. 14. &c. Ludov. Cappellus L. 3. C. 20. Nec de loco Deut. 27. 4. ubi juxta multos, ut gentis hypotheſi faveret, pro monte *yebal Garizim* poſuerit, omnes conſentiunt, poterant Judæi potius demutare.

Occaſio, & origo Pentateuchi hujus veriſimillime refertur ad tempora occupatæ poſt triennalem obſidionem per Salmanaſſarem Aſſyriorum Regem Samariæ, & totius *regni Iſraelis* in ſuam poteſtatem redactæ anno Mundi 3280. adeoque ante Chr. 720. vel al. 3146. juxta Calmetum 3329. ante Chr. 677. Hiſtoriam habes IV. Reg. 17. Salmanaſſar Iſraelitis in Aſſyriam translatis, regno Iſraëlis, poſtquam a diviſione X. tribuum 254. annis ſtetiſſet, finem fecit, in vacuum eorum locum colonias e Cuthæis, mixtis etiam pluribus aliis gentibus eo deduxit, quæ ad frequentandam Samariam numeroſæ venerunt. Urbs *Samaria*, quæ cum totius Regni metropolis eſſet in Paleſtina, toti regno X. Tribuum nomen dedit, celebris eſt etiam arctiſſima illa per Benadad obſidione IV. Reg. 6. dum matres ob inediam filios ſuos comederunt, & pecoris immundi, aſini videlicet caput væniit 45. imperialibus, ſeu 67. flor. & medio, cabi

vero

ſet, quare in ſextum diem commutaſſent, non eſt facile divinare: ex adverſo: in codice Hebræo loco: *ſexto die*, prorſus non difficulter ſubrepſit *ſeptimo die*, ſi olim numerus litera Alphabeti fuit deſignatus, quod ita contigiſſe val-

vero pars quarta, h. e. capacitatis ovorum XXIV. proin quaſi media, ſive ſextarius ſtercoris columbarum h. e. ut poſt liquidas demonſtrationes nemo dubitare debet, ſic dictorum minutorum cicerum (quod aliter Arabibus dicitur *uſchnen*, vel *kali* h. e. frictum cicer. Bochart. Hieroz. par. II. pag. 47.) 3: florenis, & 15. gr. Porro novi incolæ, quippe ethnici non timebant Dominum, qui iratus in eos leones immiſit, qui interfecerunt eos: nunciatur Regi, pœnam ex eo venire, quia advenæ ignorant legitima Dei terræ illius: mandat igitur: ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos abduxiſtis, & vadat, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ, qui eos poſtmodum docebat in *Bethel*, quomodo colerent Deum; quia vero in Moyſis Pentateucho ritus colendi Deum Iſraëlis proponitur, Sacerdos ex Aſſyria in Samariam reductus dedit iis Pentateuchum antiquis Hebræorum literis deſcriptum, quæ cum genuinæ regionis eſſent literæ, Samaritani nunquam permiſerunt eas immutari, dum Esdras contraria de cauſa, quando Hebræi in captivitate Babylonica in civili commercio characteribus Chaldaicis, vulgo quadratis aſſveverunt, eos etiam Bibliis intulit, quibus hodiedum utuntur. Origenis, & Hieronymi indubitata hæc eſt de mutatis Hebræorum characteribus opinio, & apud pleroſque eruditos hujus temporis obtinet, licet non contemnendis rationibus impugnetur. Samaritani (ait Hier.) Pentateuchum Moyſi totidem (ac Hebræi) literis ſcriptitant, figuris tantum, & apicibus diſcrepantes; *certumque* eſt Esdram poſt captam Jeroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint.„ (Prolog. Galeat.) Hinc *jod*, ſeu *jota* jam ætate Chri-

ſti

valde multi tenent, probantque. Complevit Deus opus ſuum die *vav* h. e. ſex, librarii literam *vav* altera proxime ſequenti, & quoad figuram (ſaltem hodiernam) ſimillima *zain*, quæ ſep-

ſti minima litera fuit Matth. V. 18. quæ apud Samaritanos ſatis magna, & tripes litera eſt.

Samaritani Deum Iſraelitarum ceteris Diis ſimilem opinati, idololatriæ ſuperſtitiones cum ejus cultu conjunxerunt, & *Diis quoque ſuis ſerviebant*, quod etiam fecerunt poſteri eorum. Dum ſoluta captivitate ſub Zorobabel templum Judæi ædificarunt, in operis ſocietatem, quam expetierunt, non admiſſi, dum ædificationem penitus impedire non poſſent, iniqua tamen ſua machinatione multam operi moram injecerunt, ex eo tempore pertinaciſſimi Judæorum hoſtes effecti, per impoſturas ab Alexandro M. operante Sanaballat obtinent, ut ſibi liceret in monte *Garizim* templum erigere Jeroſolymitano ſimile, in gratiam Judæorum, quorum multi in Samariam ſe receperunt, cum Nehemiam de lege ſervanda ſolicitum ferre nollent, *Jaddi* fratre Pontifice creato Sacerdotum complures, modo ipſis liceat uxores ducere alienigenas, illis adhærent, eliminata idololatria habito jam in *Garizim* templo omne cum Judæis commercium e medio tollunt, odio adeo increſcente, ut nequidem una veſci Judæis liceret, *Garizim* montem templo conſpicuum, ſolum eſſe, ubi etiam veteres Patres adoraverint, & ubi Deo cultus offerri debeat, non vero in Jeruſalem, ſibi perſvadent. Ex his mulieris Samaritanæ, a qua Chriſtus potum aquæ petiit, verba illuſtrantur. Joan. IV. 9. *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* V. 20. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Summo opprobrio ceſſurum Chriſto putarunt Judæi, ſi Samaritanum vocarent: *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Superſunt adhuc gentis reliquiæ in urbe *Sichem*, ſeu Neapoli, Gaza, Damaſco, Cairo pauculæ, ad quas dum Scaliger ſcripſiſ-

ſeptem in numeris valet, permutarunt. 2° Impeditior, non ſatis naturalis, immo violenta eſt lectio: complevit Deus die 7° opus ſuum: & requievit die 7°; dixiſſet potius, prout & in Hebræo poterat: *& eodem die requievit:* oppoſitionem ipſa elocutio indicat, quæ arguat die ſexto opus jam fuiſſe completum: complevit opus ſuum die ſexto, atque ideo ſeptimo requievit; nam ſi die ſeptimo complevit, eodem die ob omni prorſus opere non ceſſavit, complementum operis non eſt nulla actio, & a perſectione operis ſumma laus, & merces naſcitur; akyrologia cedat proprietati, obſcura manifeſtis: inter variantia exemplaria, quibus Moyſis Archetypon poſteritati tranſmittitur, iis adhærendum, quæ ceteris antiquiora ſunt, & proprietati ſermonis, ac cognitæ veritati de ſex diebus creationis accedunt propius. Imaginare tibi, factum quodpiam pluribus teſtibus diverſe referri, iis fidem adjunges, quos veritati jam aliunde tibi cognitæ convenienter loqui deprehendes. Veritas abſoluta eſt, opus creationis completum ſex diebus *terminative*, *& proprie*, ut 7° die Deus jam prorſus nihil operaretur: unde non eſt hærendum in diſtinctiunculis: *incluſive*, *& excluſive;* nec plauſibilis putanda eſt verſio: *ad diem ſeptimum;* ad hæc enim effugia tunc ſolum utiliter recurritur, dum adjuncta rationem oſtendunt diverſæ enunciationis, nec alia expeditior ſuperat ratio conciliandi. Ab impropriis his terminorum abuſibus procul remota

ſiſſet, literas ad ipſum, & arrogatos Angliæ fratres viciſſim ſcripſerunt, e quibus conſtare dicitur eos Majorum veſtigiis inſiſtere.

ta eſt ſimplex, & nativa Moyſis narratio, qui dicit in die in ipſo ſeptimo, ſeu prout ille ſcripſit *in die in ipſo ſexto.* 3° Alteri ejusdem Moyſis textui hæc diei ſeptimæ expreſſio non cohæret Exodi 20. 11. qui Deut. V. 13. rurſus repetitur: *ſex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eam.* Separando nimirum velut diem ceſſationis: ita Iſraelitas quoque ſex diebus opera, ut dici ſolet, ſervilia, ſed nihil ejusmodi die ſeptimo impune facere poſſe; cui argumento vis aliqua decedit, ſi die ſeptimo Deus opus ſuum compleviſſe dicatur. Non itaque Gen. 2. 2. radiat Hebraica veritas, ſed obſcurat ſubreptitia falſitas, ita tamen, ut ſuperſint adhuc MSS. codices Hebraici primigeniæ veræ lectionis, quæ una tantum e manibus Amramidæ prodivit, illi Exod. 20. 11. ex æquo reſpondens.

Secundo: Gen. 8. 4. Reverſæque ſunt aquæ de terra euntes, & redeuntes: & cœperunt minui poſt 150. dies. *Requievitque arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ.* Hebræus legit: *decimo ſeptimo die:* alterutrum evidenter falſum eſt: quod? Hebraicum profecto: lapſu prono tranſcribentium, una voce in duas male ſectà. *beſchibha yæſcer jom:* ſeptimo decimo die: quia ultimam ſyllabam rati diem ſignificare, *vav* proin excluſum eſſe, ſeparatim *jom* ſcripſerunt: cum melius 70. & Hieronymus conjuncte: *ſchibha yæſcrim:* ſeptimo vigeſimo: die videlicet tranſtulerint. Diſputent viri magni, ut libuerit, aſſerat Calmetus confidenter, utra lectio melior

ſit,

ſit, non facile dijudicari: dico ſtante veritate narrationis Moſaicæ, ſpectata etiam navis antea ſtabiliter ſupernatantis æquabili juxta leges gravitatis preſſione abſurdum eſſe, ut die 17° jam carina verticem montis raderet, & adhæreret, quod poſt 10. dies commode fieri poterat. Ratio eſt, quia juxta narrationem Moyſis aquæ non niſi ſenſim, lentaque diminutione ſubſidebant, ita, ut, dum aquæ minui cœperunt die 19° menſis 7ⁱ, non ante, ſed decimi menſis die primo apparuerint montium cacumina Gen. 8. 5. principio nimirum infinita hæc moles aquea altiſſimos montes 15. cubitis ſuperaverat, Gen. 7. 20. ut optime vertit vulgatus, quamvis alii ex incerta particulæ *vav* ſignificatione tantum hunc efferant ſenſum: *XV. cubitis ſurſum verſus creverunt aquæ, adeo, ut tegerentur montes.* Sed non XV. cubitis, ſed ſimpliciter ſolum dici tectos, XV. cubitos autem ad incrementum aquarum referri. Veroſimile putatur, arcam XV. cubitis, ideſt: altitudinis ſuæ dimidio aquis innataſſe. Doctam lucubrationem leges Tom. 3. Menoch. edit. Baſſan. 1771. pag. 342. ubi deducitur ſecundum hodiernos Hebræorum codices arcam hæſiſſe in monte vel eodem die, vel potius jam biduo ante, quam cœpiſſent aquæ deminui, quod per ſe aſyſtaton eſt. Nimirum aquæ imminui cœperunt die duntaxat 17° menſis, aut etiam 19°, nempe in fine 150. dierum, quibus currentibus aquæ invaluerunt ſuper terram, adde 46. dies, qui præceſſerant, deprehendes aquas cœpiſſe minui die 196° anni illius, quos ſi ad menſes per 30. dividendo reduxeris, invenies aquas cœpiſſe imminui die 16° menſis ſeptimi, ergo, ſi lectio Hebraica vera eſſet, arca in monte Ararat hæ-

ſiſ-

ſiſſet illa ipſa die, qua aquæ cœperunt minui; immo, quia probabilius menſes erant alternis cavi, & pleni, aquæ nonniſi 19° die menſis 7ⁱ cœperunt minui, ergo biduo ante imminutionem aquarum arca in jugo montium hæſiſſet. Ergo codex 70. Interpretum, & Hieronymianus recte habet, Hebræus autem hodiernus erronee.

Tertio: Gen. 11. 13. vixit Arphaxad poſtquam genuit Sale, 303. annis, melius juxta multos in Vulgata legi videtur, cum Hebræo Samaritanorum codice, quam cum Hebraico noſtri temporis ferente cum Syro, & Arabe 403. annis, quod Lutherus ſecutus eſt. Editiones Alexandrinæ verſionis hic variant, Sixtina, & Baſileenſi Vulgatæ ſuffragantibus. Ita Bukkentop. Lux de luce L. 2. Error eſt in Calmeto ad hunc locum notante annos 300. haberi in Hebræo, Chaldæo, Syro, & Arabe, namque 403. annos iſti habent, Chaldæo 430. numerante in Polyglottis Anglicanis. Talia numeri, & temporis ſphalmata in libris Regum, & Paral. inter ſe comparatis in lectione ipſorum fontium interdum non pauca deprehendas, de quibus, quoad ejus fieri poterit, alibi fortaſſe plura dicemus.

Quarto: Vulgatam iidem commiſſi erroris accuſant, dum Moyſe in vituli adoratores animadvertente Exod. 32. 28. fert cecidiſſe in die illa 23. millia, cum ex fonte verti debeat: *quaſi tria millia*, XX. millibus citra rationem, ut ipſi quidem cum Natali Alexandro volunt, additis. En eosdem, qui 70. in numeris reprehendunt, Vulgatæ pariter non parcentes! ſcio a multis Vulgatæ de cetero patrocinantibus errorem hic agnoſci, ad cujus tamen defenſionem momenta non pauca, neque levia poſſunt adduci.

ci, ut error dici certus non debeat. (a) Authoritas Hieronymi quoad Vulgatæ hujus author habetur, aut emendator, (b) S. Pauli 1. Cor. 10. 8. quem non hujus idololatriæ ſub nomine fornicationis, nimirum ſpiritualis, meminiſſe nondum eſt efficaciter oſtenſum, qui tamen 23. millia numerat. (c) Patrum multorum, & MSS. codicum judicio P. Martianæi plerorumque. (d) Hebrææ lectionis flexibilitas: *Chiſchloſchæth alpe iſch: quaſi tria millia viri.* Recta indubie hæc verſio. Sed pari certitudine *Chaph* nota eſt & ſimilitudinis, & numeri XX. Vulgatus utrique ſignificationi locum eſſe ratus, *chaph* & tamquam mere redundans, ut *to: ſicut* ſumi in hujusmodi numeratione conſvevit, & unà tamquam numeri XX. ſignum reſpexit. In Polyglottis Antverpienſibus, & Pariſinis, ac in poſtrema editione S. Hieronymi ipſa Vulgatæ lectio ad *tria millia* reformatur. Sed quis amabo ambiguam fontis expreſſionem, qua *chaph* a *ſcheloſchæth* in ſignum notæ numericæ ſeparatim ſtare poterat, certo determinabit? quis Dictatoria authoritate decernet? quis in dubio arbiter ſedebit? nihil demum dicit Vulgatus, quod ex Hebræo textu aliqua ratione defendi nequeat, ſi igitur in hac ambiguitate veritas tria tantum millia admitteret, illud ſolum eſſet conſequens, Vulgatum hic minus dextrum fuiſſe, neque ſatis accuratum in numero exprimendo. Conſuli iſthic meretur Calmetus.

Quinto: Si verſio Alexandrina usque adeo eſt corrupta, ut jam nec eadem amplius, quæ primitus prodivit, & V. ſeculis in Eccleſia obtinuit, ſuperſit propter errores ſuos, quibus ſcatet, quomodo declarata per Eccleſiam Vulga-

tæ

tæ ſubſiſtet authoritas, quæ in Pſalmis, aliisque libris eosdem habet errores, ſi in Alex. verſione pro talibus agnoſcuntur, etiam in Vulgata ſine omni tergiverſatione palam confitendos? cui veritati quippe evidentiſſimæ prolixiorem facere demonſtrationem neque præſentis eſt temporis, neque ullius neceſſitatis. Paucis illuſtremus! Pſ. 3. 8. ex 70. legimus: percuſſiſti omnes adverſantes mihi *ſine cauſſa*: Hebræus loco: ſine cauſſa exhibet: *Lechhi:* maxilla, ſeu *in maxillam*, ſequente antiſtropha Strophæ præcedentis, ut fieri ſolet, explicativa: dentes peccatorum confregiſti: namque ad dentium concuſſionem percuſſio in maxillas quadrat accomode. Verum hoc etiam loco duo ſunt, quæ in 70. ſeniorum defenſionem non temere dicuntur.

Primum: ipſos reipſa vertiſſe *mataeós* h. e. ſine cauſſa, quia *lechhi* conſiderarunt tamquam in carmine per apocopen (ablationem literarum finalium) Poetice prolatum, ſed decurtatum loco *lechhinnam*, quod ſignificat ſine cauſſa; nam hujus apocopes maxime in Poeticis libris, ſed & alibi in Bibliis exempla occurrunt, ut quando Pſ. 141. 3. *dal* pro *dalæth* h. e. porta, *ches* thronus pro chiſſe Exod. 17. 13. ponitur; qualia leges in Gramm. Hebr. Geor. Mayer Soc. Jeſ. pag. 260. Non ſit grave audire Bellarminum hunc verſum explanantem „Credibile eſt 70. Interpretes legiſſe pro lechhi, quod ſignificat maxillam, lechinnam, quod ſignificat in vanum; & credibile etiam eſt, codices, quos habuerunt 70. fuiſſe meliores iis, quos nos habemus„ legiſſe eos lechinnam, quod dicit vir Eminentiſſimus, mihi quidem non perſvadetur, cur enim

lechinnam in lechhi Judæi corripuiſſent, ratio aſſignari vix aliqua poteſt, dum prius contextui apprime conſentit, niſi caſui raſuram literæ *nun*, & *mem* tribuas, *lechhi* itaque nativa lectio 70. viris præ manibus erat, non *lechhinam*, ſed correptam vocem *ſine cauſſa* ſignificare, ſeu loco lechhinam ſtare judicaverunt.

Secundum: 70. ſcripſiſſe *mathéas*, ſeu *mathéias*, quod ſine controverſia valet maxillas, librariorum incuria factum eſſe *matæos*, quod ſonat ſine cauſa. Senſum quod attinet: certum eſt, ſine cauſa, h. e. immerito fuiſſe adverſatos, dum vero a Deo percuſſi ſunt: *in maxillam* ſive addatur, ſive omittatur, nihil officere. Pſal. 30. 16. verſores 70. hodie offerunt: *Deus meus es tu! in manibus tuis ſortes meæ.* Hebræus: in manibus tuis tempora mea (ætas mea) Hebr. *yithothaj* nihil, niſi tempora ſignificat, nec cum ſorte, quæ Hebraice *goral* dicitur, (hinc nomen clerus) quoad ſonum, & literas quidquam commune habet: unde 70. poſuerunt *kaeri*, *tempora*, quod tardius depravatum eſt in *cleri* h. e. ſortes. Non deſunt, inquit Bellarminus antiquæ verſiones e Græco, quæ habeant tempora mea; ſic certe legitur in Officio Miſſæ non ſemel, & in Pſalterio Eccleſiæ S. Petri Romæ, quapropter Erneſt. Grabius reſtituit *kaeri*. Ceterum ſors vitæ humanæ pro ratione, & viciſſitudine temporis variat; in quantum in poteſtate Dei ſunt vitæ noſtræ tempora, & momenta, in tantum & ſortes noſtræ. Error eſt perexiguus.

Non prætereamus, quod ſacerdoti nullo fere die licet omittere. Dominus dicit: 40. *annis proximus fui generationi huic.* Toto peregrinationis 40. annorum tempore in deſerto moleſti,

&

& graves mihi inter ipſos converſanti, & proximo extitere. Nec in 70. nec in Vulgata, quæ habet *offenſus* h. e. ab iis læſus, & iis quaſi infenſus *fui*, ſed in Pſalterio Romano, & Mediolanenſi, nec non apud S. Auguſtinum deprehenditur Vulgaris iſta horariarum precum lectio, quæ unum affirmat, Deum illis fuiſſe proximum, alterum, eorum inquietitudine, & obmurmurationibus ſeditioſis offenſum fuiſſe adeo non negat, ut ſupponat etiam. Hebræus fons ſiſtit verbum *kut* in futuro *akut*, quod præteriti notione uſurpatum non melius Latine dixeris, quam *nauſeavi*, *pertæduit me eorum*, nec unquam ſignificatu *proximus fui* capi poteſt. 70. *proſochthiſa*: *indignatus*, *offenſus fui*, verbo ipſis familiari efferebant, quod translator levi paroramate i pro e legens, aut legi audiens *proſochtheſa*, una ab *óchthe* ripa, litus derivandum ratus, ex ſignificatione *ripæ appropingvo* generali notione *proximus ſum* effictà Latine *proximus fui* vertendum cenſuit, quod etiam Janſenius Gandavenſis in hunc Pſalmum obſervavit. Vel, licet hoc ſit minus veriſimile, in 70. proſochtheſa in exemplari per e, non per i ſcriptum fuit, ſed verſor male accepit ſenſu proximitatis; invenio enim in Lexico Græco-Latino Maj. Baſileæ edit. an. 1563. *óchtheo* apud Hom. Odyſ. O. ſumi pro graviter fero, offendor, & *ochthéſan* commoti ſunt, gravati animo, Euſthatium adnotaſſe in Homer. Iliad. E. Itaque *proximus fui* levis error eſt librariorum, verum ſenſum exprimens obſcurius, & minus integrè, non tamen evertens, aut alio transferens.

Pariter Gen. 11. 12. inter Arphaxad, & Sale 70. Cainanem numerant, de quo cum in

Hebræo altum ſit ſilentium, a multis error putatur, nec tamen ab aliis pro conceſſo habetur: nos Cainanem a Moyſe, ut rotundum decem generationum numerum, quemadmodum Matthæus C. 1. teſſaradecadem, (14. generationes) obſervaret, omiſſum, cum 70. autoritate Lucæ C. III. inſerendum dicimus. 70. enim hunc traditione, aut ſi mavis, ſpeciali illuſtratione Dei cognoſcentes addiderunt.

Rurſus: Exod. 12. 40. juxta Hebræum: *habitatio autem filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum.* Expreſſio difficultatibus expoſita, & impeditior, cum habitatio hæc ſolum 215. annorum fuerit. 70. ſic habent: *habitatio autem filiorum Iſraël in Ægypto, & in terra Chanaan ipſi, & Patres eorum, anni* 430. addunt: *& in terra Chanaan, - - & Patres eorum:* ut ſenſum ad claritatem deducant, unde non reprehendendi, ſed in calculo annorum veraciores ſunt judicandi, quibus terminum ſupputationis *a quo* promoventibus Paulus ad Gal. 3. 17. conſentit, dum eundêm terminum *a quo* annorum 430. a factis Abrahæ promiſſionibus accerſit, quod Hebraico Samaritanorum codice firmatur, & nubila ſerenantur. 215. annis, qui commorationi in Ægypto ſupereffluunt, ad annos peregrinationum Abrahæ, Iſaaci, & Jacobi rejectis. Conſuli poſſunt Calmetus in Exod. 12. Corn. a Lap. ad Gal. 3. 17. ſed in primis Diſſertatio gemina Tom. 3. Menochii pag. 344. Ex textu Hebræo, qui hic imperfectior eſt, volunt aliqui contrarium exſculpere, ſed irrito conatu. Non immerito Salianus Auguſtinum Eugubinum Eppum. doctiſſimum incuſat, quod hæc verba: *in terra Chanaan - - & Patres*

tres

tres eorum: ut odioſa, & ſupervacanea rejecerit. Bene Petavius, qui ſi in ratione temporum determinanda non ubique optime, nullibi tamen non erudite, L. 9.de Doct. Temp. C. 24. Non poſſumus (inquit) magis idoneos afferre vindices nodi iſtius, & interpretationis noſtræ, quam Seniores illos 70. quos inſtinctu quodam, afflatuque Spiritûs S. ſacros codices vertiſſe, antiquorum Patrum plerique ſentiunt. „ Plura, de quibus dum arguuntur, inſignem laudem merentur, & Vulgatæ authoritas firmatur, ſubinde ſumus adlaturi.

Quibus æqua lance penſatis viri exquiſita eruditione, & judicii acumine illis, quorum jam meminimus, non inferiores duo iſta in certis, & indubitatis ponunt. Primum: hanc, quæ hodie circumfertur 70. viralem verſionem eandem ipſam eſſe, quam Apoſtoli, & Patres legerunt pariter, & laudarunt. Alterum: magnam ejus etiamnum eſſe authoritatem. Verba ſunt Calmeti, qui una illud animadvertit, 70. viros in textu Originali aliter *ſæpe* legiſſe, ac nos hodie, Hebræum proin codicem progrediente tempore mutationem ſubiviſſe, eorumque lectionem noſtra moderna eſſe correctiorem, quod ſubinde in Pſalmorum explanatione, nec non & alibi practice oſtendit. Quod præſtat etiam Bellarminus in Pſalmis poſt Genebrardum, ſed Lud. Capellus ceteris copioſius per totum Bibliorum corpus. Joſephus Acoſta apud Menoch. Tom. 3. pag. 104. affirmat, in doctorum virorum manibus certam, atque integram 70. editionem permanſiſſe, ut eſſe eam, quam Patres Chryſoſtomus, Baſilius, Gregorius, Cyrillus, ceterique Eccleſiarum Eppi. referunt, & commentariis ſuis

illuſtrarunt, ſtultiſſimum ſit negare. Fere paria habet Salmeron. Eodem Tom. 3. Menoch. pag. 46. verſus finem: Bonfrerius de obtrectatoribus hujus verſionis hoc fert judicium: „ Caninæ, & impudentiſſimæ frontis cenſeri debent, qui ex hæreticis 70. viris linguæ Hebraicæ imperitiam objectant, quibus, quod mirêre, nonnulli catholici ſuccinunt parum vel modeſti, vel periti, non advertunt ſuas vel ſannas, vel petulantiam in antiquiorem Eccleſiam redundare. Iſaacus Voſſius, Joan. Morinus hodiernam 70 viralem verſionem non tantum eandem eſſe cum illa veterum docent, ſed etiam Hebræo hodierno codici præferunt, quos ex parte ſequuntur Brianus Waltonus, Paulus Pezronius, Genebrardus in Pſalmis, Houbigantius. Ex quorum ſententia multis argumentis ſtabilita id emolumenti naſcitur, ut jam ratum, firmumque eſſe debeat, verſionem hanc, ubi ipſa, & Hebræa lectio ſibi conciliari nequeunt, etiam prout hodie extat, interdum fontis primævi loco habendam, & Hebræo textui anteponendam eſſe. Juvat adferre verba Iſaaci Voſſii L. de transl. 70. qui ſi verſionem nimium, quantum extollit, dicit tamen, quod & magna ex parte verum eſt, & omnem meretur attentionem. „ Si ſit aliqua verſio, quæ *Theopneuſtos* dici meruerit, ecqua alia quærenda eſt præter illam, quam 70. Interpretes, viri linguæ Hebraicæ, utpote ſibi vernaculæ longe peritiſſimi, ac inter ſe conſentientes ad antiquos, & intaminatos adornarunt codices, quorum laborem probarunt, & ſecuti ſunt Apoſtoli, univerſa Eccleſia Chriſtiana, & ipſi quoque antiquiores Judæi? ſola hæc verſio ſincera eſt, & *anamartétos.* (infallibilis) Fruatur in poſte-

iterum ea prærogativa, quam Apoſtoli, & univerſa Eccleſia, ac ipſi quoque antiquiores Judæi æternum ſancivêre.„ Complures etiam ex illa heterodoxorum parte, quæ omnem Ariſteæ narrationem pro fabula habet, & ex integro rejicit, inſignem verſionis iſtius prædicant utilitatem; quia & V. T^{ti} varios textus illuſtrat, & multis N. T^{ti} locis lucem clariſſimam affundit, ut hac in interpretatione S. Literarum ſine multo incommodo carere non poſſimus, quemadmodum loquitur Chriſtian. Reineccius in præfat. edit. ſuæ 70. viralis Lipſ. 1757.

Et merito ita judicant viri literatiſſimi, merito eam adhuc genuinam ſupereſſe, affirmant: Namque I^{o} Quibus rationibus authores noſtri hodiernam Vulgatam probant eſſe Hieronymi, iisdem conficitur, 70. viralem hodiernam eſſe eandem cum illa veterum. II° Tam monſtroſe deformatam fuiſſe, ut nec quoad ſubſtantiam eadem, quæ olim uſurpabatur, ſuperſit amplius, ſine ratione, & cum præjudicio Orientalis Eccleſiæ, quæ ipſam ſolam habet, fingitur, quæ ſicut a ſuis primordiis hac unica utebatur, ita ad hunc usque diem eam ſervavit, nec ſi hodie ad Latinam reverteretur, aliam aſſumere juberetur. Quis tantam perpeſſam fuiſſe metamorphoſin, ut omnia veteris formæ lineamenta amiſerit, nihilque ipſi decoris, nihil gratiæ jam ſuperſit, ſomniet?

Non premamus ſilentio, quod ex vero dicendum eſt: hanc verſionem prorſus puram non ſupereſſe hodie, habere quædam ex Theodotione admixta, etiam præter illa, quæ inde tralata Eccleſia recepit; aliqua immigraſſe in eam, ſed paucula, etiam ex Aquilæ, & Symmachi in-

X 4 ter-

terpretationibus, ut ipſa editionis Sixtinæ præfatio inſinuat; poſtquam aſteriſci, & obeli Origenis neglecti. & prætermiſſi ſunt, potuiſſe non parvam contingere in privatis codicibus confuſionem; nec tamen in rebus majoris momenti, in quibus Eccleſia ex tot commentariis, & allegationibus Patrum, maxime Græcorum, Itala vetere, & innumeris ex 70. in linguas nationum translationibus abunde quid *gnéſion* (nativum) ſit, quid *hypobolimæon* (ſubdititium) diſcernere poterat; in levioribus tamen in nonnullis Bibliorum locis non jam hodie poſſe certo diſtingui, quid O. viris proprium fuerit, quid verſioni eorum poſterius ſit immiſſum, lubens indulgeo, nec obſtat iſtud, quo minus hæc eadem ſit editio, atque illa veterum, & 70. Interpretum nominetur, ſicut Vulgatam denominatione a potiori parte aſſumpta Hieronymi dicimus. IIIo Argumenta, quibus ab impoſſibili demonſtratum eunt Adverſarii, Hebræum V. & Græcum N. Tti textum corrumpi non potuiſſe, pari ratione ſvadent, verſionem iſtam in codicibus tam longe, lateque in Oriente, & Occidente diſperſis depravatam haud eſſe: non potuit major in hanc verſionem inferri corruptio, quam in codices Hebræorum; Chriſtianos in depravationem conſpiraſſe, aut caſu commune hoc vitium omnes codices labefactaſſe, nullatenus ſit ſimile vero.

IVo Eccleſia Catholica de authoritate ejus, qua olim pollebat, necquidquam detraxit, id igitur facere neque nos debemus; aliud eſt de Fontibus Hebræis, quorum defectum Eccleſia agnovit, quando fragmenta illa, quibus caret, pro veris ſcripturarum partibus habenda declaravit

vit (pag. 160.) profecto verſioni, quæ venerandæ antiquitati per prima quinque ſecula unica fuit, Authentia ad minus latiori ſenſu juxta multiplicem termini hujus uſurpationem (Sect. I. pag. 62. & ſeqq.) citra injuriam negari nequit, niſi ſubſtantiales, & valde momentoſi errores ejus poſtmodum illapſi in apricum proferantur, quod nemo hactenus vere præſtitit; leviores enim mendæ, ſicut Vulgatæ, ac fontium, ita hujus integritati non obſtant.

V. Ex mutua locorum apud Patres, & verſionis hujus comparatione eluceſcit, eos loca ſcripturarum in 70. ita legiſſe, prout hodie habentur, & quod ad ſummam rei facit plurimum, prout Chriſtus, & Apoſtoli textus ex ipſa producunt, ita & noſtro tempore inveniuntur. Quid igitur ad demonſtrationem ultro requiremus? Sane qui hanc, qua ſe nunc exhibet facie, prorſus abjiciendam, & negligendam docent, & toti antiquitati injurii ſunt, & definitioni, ac praxi Eccleſiæ, non ſatis convenienter decernunt, quæ Pſalmos partem Bibliorum non minimam, uſu vero tritiſſimam, & celeberrimam, immediate ad glorificandum Dei nomen deſtinatam ex hac ſola, prout etiam hodie legitur, inde a primordiis Chriſtianæ religionis mille ſeptingentorum annorum non interrupta ſucceſſione frequentat. Eccleſiam in adoptanda hac verſione fuiſſe deluſam, dicere ex imperitia ridiculum, ex pertinacia foret hæreticum.

Nec vana eſt animadverſio, hæc convitiorum plauſtra, quibus in Alexandrinam verſionem præprimis heterodoxi tam multi invehuntur, ferri in totam Eccleſiam Chriſtianam, omnesque PP. antiquos, ne ipſo quidem Hieronymo excepto, qui ta-

lem verſionem in pretio ſummo habuerunt, populis explicarunt, & commentariis ſuis illuſtrarunt, immo eodem involvi crimine Apoſtolos, qui hac verſione, ſane ut hodie extat, uſi deprehenduntur communiſſime, & quam ſtudioſe deſerviſſe nunquam leguntur, quam ſolam neque ullam aliam, tamquam fidele, ac ſufficiens verbi Divini inſtrumentum Chriſtianæ ſocietati tradiderunt. Hac denique ratione omnia, quæ prioribus omnibus ſeculis per ætatum ſucceſſiones certa fuerunt, & indubitata, in quæſtionem vocant genus hominum ſcepticum, ne dicam vertiginoſum; quia vero repudiata antiquitatis venerandæ, a qua ad nos omnis tranſiit religio, traditione pariter, & præſentis Eccleſiæ auctoritate, ubi tuto conſiſtere, & pedem figere poſſint non inveniunt, ad frigidum illud, modis omnibus flexibile, & ambiguum *Créſphygeton* (refugium) lectionem ſcilicet Hebræi hodierni codicis ſe recipiunt, unde nihilo certiores redeunt, quam acceſſerint. Volupe illis eſt, ſolos Rabbinos ſequi magiſtros. Poſtquam Judæis inde a ſec. VI. usque noſtra tempora prorſus diſſipatis, & in cimmeriis ignorantiæ tenebris verſantibus vix nomen reliquum eſt, & ſine omni mutua inter ſe communicatione palantes disjectæ gentis reliquiæ in variis orbis angulis deliteſcunt, eorum judicio, & ſententiis mordicus adhærent, eorum fidelitatem ad ſidera tollunt, ab eis vel latum unguem diſcedere ſibi religioni ducunt, omnia in Scripturis ita legi debere, prout illi præcipiunt, contentioſius urgent: florentiſſimum autem, & doctiſſimum eorum cætum, antiquiſſimos hujus gentis, adhuc ſpeciali Dei gratia illuſtratæ, viros electiſſimos, a quibus minuta,

no-

novitia, & erratica hæc plebecula mutuata eſt, quidquid ſanum, & ſalutare offert, qui Alexandrinam verſionem fatentur eſſe veracem, & primigenio Hebraico in omnibus concordantem, tamquam abſurdos, & inficetos *mythoplaſtas* (fabulatores) ſpectant; ſimiles iis, qui viæ duces adhuc viſu, viarumque cognitione præditos deferunt, fraudis, & ſtultitiæ faſtuoſa vanitate damnant, oculis, & notitia locorum privatos ſequuntur.

§. IV.

Ex iis, quæ tota hac Sectione diſputata ſunt, ad reprimendam hodiernorum omnia in Bibliis ad uſualem fontem Hebræum reformandi pruriginem conſectaria ſtatuuntur

Conſectarium primum.

Septuaginta viralis verſio ſola per ſe ſine neceſſitate ipſam ad fontem Hebræum comparandi ad repræſentandam Archetypi veritatem ſufficere ab omnibus Chriſtianis credebatur, totusque labor Origenis, Heſychii, & Luciani eo ſolum tendebat, ut hæc ab illapſis nævis repurgata, emendatiſſime ederetur, neutiquam ut ex Hebræo corrigeretur. Origenes, dum in Hexaplis exemplarium Hebraicorum a 70. virali verſione differentiam accuratius notavit, ne verbo quidem innuit iſtam ad illorum normam aptari oportere; Hebræos multa e ſcripturis ſuſtuliſſe, eorum proin exemplaria defectuoſa circumferri identidem commemorat, Lectionem Hebraicam Eccleſiæ codicibus e 70. virali verſione tralatis dubio procul poſtponendam declarat. (Sect. 1, pag.

pag 183. & ſeqq.) Si quando in communi editione 70. error ſubrepſerit, non ad Hebræum textum, ut huic malo mederi poſſit, ſed ad meliora ejusdem verſionis & aliarum translationum exemplaria provocat. „Sciendum eſt majorem Exemplarium 70. Interpretum partem non ſic habere, inſpectis poſtea & aliis editionibus errorem amanuenſium comperimus.„ Tom. III. Hom. 15. in Jer. In exemplaribus V. T. quæcunque fuerunt inconvenientia, Deo præſtante coaptare potuimus. Ea enim quæ videbantur apud 70. dubia eſſe propter diſſonantiam exemplarium, facientes judicium ex editionibus reliquis convenientia ſervavimus.„ In dubiis, quando codices 70. editionis variant, ad verſiones alias, & ad meliora exemplaria recurrit, ſicut noſtri poſt Bellarminum docent, ad Hebræum textum, etſi pluribus vitiis onuſtus circumferatur, utiliter recurri, quando codices Latini variant. Sed hoc per accidens; de reliquo, dum exemplaria 70. inter ſe conſentiunt, ea Hebræo, & cunctis aliis editionibus anteponit Origenes, ſi quid aliter in Hebræo eſſet, non audet in 70. immutare, perſvaſus, facile erroneum eſſe, quod offertur ex Hebræo. „In epl. ad Africanum, ſe diverſas editiones contuliſſe, non tamen ut 70. veram lectionem ulla in parte reformaret „Non enim fuit conſilium cudere quidquam, quod diſcreparet ab ſcriptura in Eccleſia Catholica recepta, neque volui anſam dare iis, qui quærunt occaſiones, ut res receptiſſimas cavillentur, & communem ſententiam Eccleſiæ Catholicæ damnent.„ Quædam notavimus quaſi non poſita in Hebræo, non audentes ea auferre. „Unde Epiphanius de pond. & menſ. dicit Origenem ideo ſolum tot

col-

-collegiſſe, & e regione collocaſſe editiones in Hexaplis „ut Judæi facilius a Chriſtianis revincerentur, qui ubique Chriſtianis exprobrarunt aliter eſſe in Hebræo textu, quam in eorum Græca verſione, & ut Judaicarum interpretationum impoſtura melius pateſceret.„ Generaliter pronunciat Aug. L. 18. Civ. C. 43. & L. 15. C. 14. *Myſterio non carere, quod 70. interpretes in plurimis, quæ diverſa dicere viderentur, ex Hebræo emendare auſus eſt nemo.*

Oſtende, ſi potes, Lucianum, aut Heſychium 70. verſionem cum Hebræorum codicibus contuliſſe, produc nobis loca, in quibus doceant clare, verſionem iſtam non alia ratione emendatiorem reddi poſſe, quam ſi ad Hebræum textum velut abſolutam normam tota formetur; perdifficile tibi hoc vadum fuerit, ego interim aſſero, id ſolum commendabili ſtudio viros iſtos in editione 70. viralis verſionis egiſſe, quod poſt Conc. Trid. poſteriori tempore in emendatione Latinæ Vulgatæ Sixtus V. an. 1590. & Clemens VIII. an. 1592. perfecerunt. Origenem vero 70. verſionem Hebræi textûs, qui ævo illo circumferebatur, voluiſſe fieri pediſſequam, ut ad normam hujus ubique formetur, & ab ejus lectione ſuſpenſa hæreat in ambiguo, niſi prius Hebræorum codici collata deprehendatur conſentiens, id vero falſiſſimum eſſe, jam etiam copioſius eſt demonſtratum. (Sect I. pag. 183.) Ergo tanto minus debet Vulgata noſtra ad hodiernum Hebræorum codicem reformari.

Quodſi argumento Hieronymi mihi occurras, qui L. 1. contra Ruf. laboris a ſe ſuſcepti ſic inter alia tuetur æquitatem.„ Ipſe Origenes & Euſebius, atque alii complures, quando de Scrip-

Scripturis aliqua diſputant, & volunt approbare, quod dicunt, ſic ſolent ſcribere: referebat mihi Hebræus, &: audivi ab Hebræo, &: Hebræorum iſta ſententia eſt: certe etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui de temporibus ejus fuit, nominat, & 30mum Tomum in Iſaiam illius expoſitione concludit.

Breviter reſpondebo, te extra oleas vagari, neque enim illud quæri, an pro eruendo, aut dilucidando ſenſu, & intelligentia pleniori Hebræus textus, & magiſtri Hebræorum utiliter ſæpe conſulantur, quod qui inficiaretur, foret ad agnatos, & gentiles deducendus. Hieronymus itaque argumento ſuo non plus intendit efficere, quam recte, & citra ullius reprehenſionis meritum omnem linguæ ejus gnarum ad fontes, & Hebræorum Doctores recurrere. Ubi autem dicit: *Hebræorum iſta eſt ſententia*, non de momentoſis, ſed magis de Philologicis ſermo eſt, & quidem eos ſolos duces ſequi, ab Hieronymi mente eſt quam maxime alienum; peſſime res Eccleſiæ Chriſtianæ ageretur, ſi in ſcripturarum eruendo ſenſu expoſitioni Hebræorum ubique eſſet auſcultandum. Origenes in adiaphoris eos ſequitur, ubi bene, repudiat, ubi male habent, cujus ſententia clarior eſt, quam ut hujusmodi objectiuncularum nebulis poſſit obſcurari; cujus tamen glorioſiſſimo nomini illud ipſum non modicas offudit tenebras, quod ſeculi ſui, & maxime Hebræorum genio velificaturus, in explanandis Scripturis, neglecto, aut penitus abjecto literæ, cujus prima ratio habenda erat, ſenſu ad futiles, & evanidas allegorias excurrerit, quas B. Hieronymus graviſſimis verbis reprehendit.

Hac

Hac ſola verſione ſine ulla unquam vel aſſerta, vel indicata fontium neceſſitate vinea Chriſti plantata eſt, crevit feliciſſime, & uberrimos illos fructus multiplici fœnore reddidit, quicunque in aliquo, qui ſub cœlo eſt, loco per prima quinque florentiſſima ſecula viſebantur; Hac namque ſola Apoſtoli, & Evangeliſtæ mundum Chriſto ſubdiderunt, hac inter gentes Eccleſiam ei ſponſam genuerunt, hujus lacte illam nutriverunt, hanc in cælos evecti eidem reliquerunt, hanc Eccleſia Græca, & Latina pro Vulgata, Divina, & canonica habuit per annos 600. quod etiam eluceſcit ex epl. Gregorii M. ad Leandrum. „Novam (Hieronymi) translationem ediſſero, ſed ut comprobationis cauſſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo, ut, quia ſedes Apoſtolica, cui authore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur.„ Non ergo 70. viralis, ſeu deſumpta ex ipſa *vetus Itala* ſeculo VI. adhuc in deſvetudinem abiit, quæ antea ſola utique obtinuit, ut Aug. teſte nationes pleræque nec, an alia quæpiam eſſet Scriptura, ſcirent, de qua Cyrillus Jeroſ. Cath. IV. dicit: „Has tantum ſtudioſe meditare Scripturas, quas in Eccleſiis confidenter legimus, multo prudentiores te & religioſiores erant Apoſtoli, & primi Epiſcopi, veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cum ſis filius Eccleſiæ, non transgrediaris illius terminos.„

Quomodo non abſoluta, ac a fontibus illius ævi jam non amplius dependens autoritas, quomodo non certiſſima authentia fuerit illius exemplaris, quod ſolum, atque unicum Patres, & Eccleſiaſtici Doctores ſuis commentariis explicuerunt

runt

runt, populis expoſuerunt in homiliis, ſcriptis ſuis illuſtraverunt, ſine ulla ad fontes comparatione? ut adeo maxima pars Theologiæ, & ſcientiæ ſcripturarum; quam ab antiqua Eccleſia accepimus, per hoc quaſi per canalem ad nos derivata ſit. 70. verſio, non Hebræus primorum ſeculorum codex eſt exemplar illud ſcripturæ, per quod Patres Eccleſiæ naſcentes hæreſes jugularunt, per quod Concilia Oecumenica, eaque celebriora prima IV. veritates Divinas contra hæreſes ſtabiliverunt, canones ad fidem, & mores formandos condiderunt ſaluberrimos. Superatne adhuc quidpiam in credendis, & agendis, quod ad plenitudinem fidei requiratur? Si non: ſola ſufficiens, & abſoluta fidei regula fuit. Quid igitur obſtat, quominus etiam hodierna noſtra vulgata pro abſoluta tali regula habeatur? defecitne jam tum Hebræus textus in multis? quidni ita? Baruch, Eccleſiaſticus, Tobias, Judith, Danielis, & Eſtheris partes non jam extabant, Hebræus codex non omnia, quæ ſcripto Dei verbo ſignata ſunt continebat, ſcripti Dei verbi adæquatum non fuit inſtrumentum. (Sect. 1. pag. 160. 176.) E contrario 70. verſio, prout adjectis ex Theodotione partibus in Eccleſia legebatur, adeo integra, & fidelis etiam labente jam ſec. VI. judicata eſt, ut eam ipſi quoque Judæi in Synagogis ſuis adhibere partim vellent, partim Imperatoria authoritate cogerentur. Cum enim Judæi Helleniſtæ, aliis ſolum Hebræi textûs uſum poſtulantibus, Græce Biblia legerent, quorum tamen plerique 70. aſſumere noluerunt, utentes verſione Aquilæ, multo tempore in contrarias partes ſciſſi ad Juſtinianum Imp. recurrunt, qui declarat melius eos facere, qui & Græcam vocem ad ſacrorum libro-

rum

rum lectionem adhiberi volunt. Cod. Juſt. Tit. 28. novell. 146. C. 1. edit. Francof. ad Mœn. an. 1663. pag. 302. „ Sancimus igitur licentiam eſſe volentibus Hebræis per Synagogas ſuas, in quocunque Hebræi omnino loco ſunt, per Græcam vocem ſacros libros legere convenientibus, vel etiam patria forte (Italica hac dicimus) lingua, neque fiduciam eſſe his, qui apud eos ſunt, expoſitoribus, ſolam Hebraicam tradentibus malignari hanc, quemadmodum voluerint. Verum tamen hi, qui per Græcam legunt, 70. utantur traditione, quæ omnibus certior eſt, & præ aliis melior eſt judicata -- quia etſi per duos diviſi, tamen unam tradiderunt omnes compoſitionem. Licentiam damus et Aquilæ (verſione) uti, etſi alienæ tribus ille, & non competentem in aliquibus habet cum 70. interpretatione diſſonantiam.„ Addit Imp. mirabile in 70. viris eſſe, ipſos, licet multo antiquiores fuerint apparitione magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, tamen eam tam clare prænunciaſſe. Pro comperto habebatur Hebraicæ lectionis pro uſu Chriſtianorum nullam eſſe neceſſitatem, ſi ipſi quoque Judæi ad 70. lectionem compellebantur, ſi tam longævi temporis decurſu inter tot controverſias nulli Chriſtianorum in mentem venit ſerio affirmare, 70. verſioni independenter ab Hebræis ævi ſui codicibus ſuam non ſtare authoritatem.

Conſectarium Secundum.

Hanc ſolam verſionem 70. eam in Eccleſia Chriſti fuiſſe, ex qua omnium nationum translationes deſumptæ ſint, non vero ex fonte Hebræo, dubio vacat, niſi ſolam Syriacam, p. 143. aut fortaſſe inſuper unam, alteramve, quod ipſum tamen

multi negant, excipias. Adduc gentem, quæ ex Hebræo ſibi V. T[ti] veritatem eruendam neceſſario cenſuiſſet? quod ubi præſtare non potes, fateare oportet, univerſalem per beata illa tempora fuiſſe omnium populorum perſvaſionem, & communem Eccleſiarum ſenſum, authenticam verſionem ſufficere, quæ totius Eccleſiæ uſu probetur, nec requiri, ut, dum Scripturæ in alias linguas ſunt transferendæ, id immediate ex Hebræo fonte præſtetur.

An Chriſtus, & Apoſtoli verſionem, a qua fons in nonnullis jam tum differebat, ad confirmandam doctrinam ſuam poſthabito eo laudaſſent, ſi hæc firma per ſe ſtare nequiviſſet? Judæos Paleſtinos de aſſertionis meæ veritate plurimum convictos eſſe oportuit, ſecus reclamaturos; & niſi primis quinque ſeculis hæc communis fuiſſet ſententia, inventus aliquis fuiſſet eorum maxime, qui ex circumciſione crediderunt, & Hebraicæ lingvæ callentiſſimi erant, viri etiam ex genere Sacerdotum, & primoribus populi, qui repudiata 70 verſione de alia immediate ex fonte adornanda conſilium caperet, vel certe in locis dubiis hanc ad fontem inſtauraret. Illos tantum ſeculi 2[i] Triumviros, hoſtes Jeſu Chriſti teterrimos Aquilam, Symmachum, Theodotionem p. 261. hæc inceſſit libido, ut 70. viralis verſionis, qua ſe magis, quam flexibili fontis lectione, peti viderunt, luminibus obſtruerent, qui verſionem pararunt doloſe, intentione prava, & multa Myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt.

Dices Hieronymum vertiſſe ex Hebræo. Sed I[o] labor ejus ab omnibus pæne Eccleſiis eſt improbatus, nec Damaſi, ut vulgo creditur, jam 5. aut 6. annis prius mortui hortatu, ſed privato-

torum poſtulationibus, & curioſitate, ut ita loquar, provocatus. Rufinum jam audivimus, (pag. 197.) qui ſine dubio ex mente complurium locutus eſt. En modo ſummam dictorum S. Auguſtini ad Hieronymum! Primo inquit: pro magno teſte vetuſtas creditur, acceptam parce movere fidem. Ego ſane mallem te Græcas potius canonicas nobis interpretari ſcripturas, quæ 70. interpretum authoritate perhibentur, quia ſi nova talis verſio in lucem prodibit, *a græcis Eccleſiæ Latinæ diſſonabunt*, & facile contradictor invenietur. Secundo ſi quid aliter eſt in Hebræo, *tot Latinas, & Græcas authoritates damnari quis ferat?* Tertio quia Hebræi conſulti poſſunt decipere, vel decipi, & quis tum ſedebit arbiter? Quarto perturbationem populorum, & ſcandalum naſciturum. Sic Epiſcopum quemdam Jonæ IV. legiſſe *hederam* (prout vertit Hieronymus) cum antea legeretur cucurbita (pag. 185.) prout habent 70. „vocabulum omnium ſenſibus, memoriæque inveteratum, & tot ætatum ſucceſſionibus decantatum„ Græcis maxime obſtrepentibus, conſultisque Hebræis, & pro conſveta lectione ſuffragium ferentibus coactus eſt Eppus. ille velut mendoſitatem corrigere, volens poſt magnum periculum non remanere ſine plebe, - - ideo nolo tuam in Eccleſiis legi interpretationem, ne contra 70. authoritatem tamquam novum aliquid proferentes magno ſcandalo perturbemus plebes Chriſti, quarum aures, & corda illam interpretationem audire conſveverunt, quæ etiam ab Apoſtolis approbata eſt. „Vere non vana eſt iſta S. viri animadverſio! Et ſi S. Auguſtinus 400. annorum uſum ſufficientem judicavit, ut nihil innovetur,

nec ulla amplius translatio ex fonte ſuperinducatur, quanto magis de lectione mille ducentorum annorum ſpatio uſu probata, Eccleſiæ judicio (pag 32.) propoſita, idem judicaturus erat?

Continuat in hunc modum: Quinto: ſi vis utilitati legentium ſervire tuis in ſcripturam commentationibus, facias ſic, quemadmodum es Jobum interpretatus, retinendo veterem Italam, & adnotando, quæ ſit inter hanc, & Hebræum textum differentia. „Satis autem nequeo mirari, ſi aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus invenitur; quod tot interpretes illius linguæ peritiſſimos fugerit.„ Sexto: Vel clara ſunt, vel obſcura, quæ tu nobis vis interpretari: ſi iſtud: te quoque in eis falli potuiſſe non immerito creditur; ſi illud: ſuperfluum eſt te voluiſſe explanare, quod illos latere non potuit. Retorſit quidem S. Hieronymus, & bene, eatenus, ut innuat in infinito Scripturarum theſauro multa ſemper ſuperfutura eſſe, quæ clarius poſſint explanari. Sed tenet Auguſtini cornutus iſte ſyllogismus, in quantum non propterea opus eſt nova verſione. Alias inter reſponſiones hanc etiam adfert Hieronymus epl. 11. ad Aug. vetera ſe abolere nolle, quæ alioquin e Græco in Latiaum ipſe transtulerit, ſed teſtimonia a Judæis corrupta, vel prætermiſſa velle in medium proferre, & ut ignari Hebrææ linguæ ſcirent, quid Hebraica veritas contineat; ſi cui (inquit) legere non placet, nemo compellit invitum, bibat vinum vetuſtum cum ſvavitate, & noſtra muſta contemnat. Dicit quidem in C. VIII. Zach. *cogimur igitur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis, quam*

de rivulis quærere.„ Sed non ut verſionem reprehendat, verum ut latentes ſenſus eruat, & ad caſum loquitur, quo eundem Scripturæ locum diverſe interpretantur, nec verſio una alteri authoritate Eccleſiæ præponitur; dein præadductis verbis immediate ſubnectit: „Præſertim cum non ſit prophetia aliqua de Chriſto, (in textu hoc, de quo agit) ubi tergiverſari ſolent, & veritatem celare mendacio.„ En caſum, quo recurrit ad Hebræum textum! en aſſertam ab Hieronymo Judæorum ſui temporis perfidiam! tale quid de 70. verſoribus Judæis proferre auſus eſt nunquam. Sed nec expoſitionem Hebræorum illico, quod afferat, probat etiam, contentus ſolum ignaris indicare. Ita in C. II. Nahum ipſe explicat, Hebræorum in Prophetis expoſitionem ſe ponere, non alia de cauſſa, quam quod ab iis non modico tempore eruditus debeat ſuis ſimpliciter indicare, quæ didicit. Quamvis autem Auguſtinus verſione Hieronymi *in ſpeculo*, aliisque ſuis operibus ſatis frequenter demum uteretur propter perſpicuitatem ejus, ut tamen hæc in Diæceſi ſua publice populo legeretur, haud permiſit, tali ratiocinio uſus: 70. viri in ſeparatis cellulis laborem ſuum confecerunt, & tamen omnes in verſione conſentienter unum aliquid transtulerunt, *ut multi non indigni fide prædicant:* (pag. 223. 224. 333.) ſi ita: *quis huic authoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?* vel contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret! ſi iſtud: nec ſic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot ſeniorum, Doctorumque conſenſum aſpirare oportet, aut decet. Si quid igitur aliter in Hebræis

exemplaribus invenitur, Divinæ diſpenſationi eſſe deputandum, ut ſic illi fuerint interpretati, quemadmodum congruere gentibus ille, qui eos regebat, Spiritus S. judicavit. Addit: etiamſi mere humana induſtria 70. viralis verſio eſſet parata, & Hieronymi literatum laborem ipſi quoque Judæi fateantur eſſe veracem, 70. vero Interpretes in multis erraſſe contendant, tamen Eccleſia Chriſti tot hominum authoritati neminem judicat præferendum.

II° Novæ verſionis a ſe paratæ rationem aſſignat Hieronymus, non quaſi translatio 70. non ſufficeret, aut reprehendenda foret; quod ipſum ad tædium usque ingeminare jam audivimus, pag. 200. ſed quia hæc in vulgatis codicibus ita corrupta tunc circumferebatur, ut ſibi ipſi diſſimillima eſſet, ubi tot propemodum exemplaria fuerunt, quot codices; denſiſſimam illam variantium lectionum ſylvam errorem ſæpius obtuliſſe, quia verum non eſſe, quod variat, etiam maledicorum teſtimonio (ſic ipſe dicebat) comprobatur. Bene, ac laudabiliter fecit Hieronymus, quod novam ex fonte paraverit verſionem, non tamen fuit neceſſaria; errant, qui inter utile, & neceſſarium non diſtinguunt. Etiamſi corrupta fuerint vulgatiora exemplaria veteris Italæ, ex ſola 70. virali, conſultis melioribus codicibus, tanto magis verſionibus Hexaplaribus in ſubſidium vocatis menda tolli, & lectio Authentica reſtitui potuit, ſicut in VII. Deutero-Canonicis libris (pag. 163.) reſtituta eſt.

III° Ideo novam translationem ſe adornare Hieronymus profitetur, ut, quæ olim ante adventum Salvatoris obſcure translata ſunt, prout ante eventum abſcondita hæc a ſeculis Myſteria-

ria obſcuriora eſſe oportuit; ubi jam impleta diſtinctius videntur, & cognoſcuntur, clarius etiam verſa proſtarent, & legerentur. Præf. Pentat. Et in Iſai.

IV. Vertit Hieronymus, quod Judæi 70. virali editione non contenti, oblata ex fonte trium virorum ſæpius nominatorum (pag. 261.) maxime Aquilæ translatione haud fideli Chriſtianis imponerent, illuderentque, hinc „licere ſibi ad confutandos Judæos etiam ipſa exemplaria vertere, quæ ipſi veriſſima confitentur, ut ſi quando adverſum eos Chriſtianis diſputatio eſt, non habeant ſubterfugiendi diverticula, ſed ſuomet potiſſimum mucrone feriantur. Apol. 3. adv. Ruf. Et: *ne Judæi de falſitate ſcripturarum Eccleſiis ejus* (Chriſti) *diutius inſultarent* Præf. in Iſai.

Tale ex fonte novam verſionem parandi ſtudium ſummopere laudabile fuit, & non per ſe, ac veluti ex inſufficientia prioris apud Eccleſiam uſurpatæ, ſed ex occaſione ſolum pro re nata, propter cauſſas externas ſuſceptum, non poterat non probari, dum Hebrææ linguæ totus orbis Chriſtianus fere ignarus eſſet, argumento nihilominus ad hominem adverſus Judæos foret utendum. Tota proin de novo vertendi neceſſitas ex eo nata eſt, quod verſio Alexandrina, *ut ab hostibus Eccleſiæ prætexebatur*, ac etiam vetus Itala, illapſis multiplicibus, quæ non citra gravem Eccleſiæ illatam injuriam obtrectatores crebrius objecerunt, mendis vitiata amplius Authentica non fuerit, nec de alia quapiam editione Eccleſiæ certo judicio pronunciata extiterit ſententia. Applica jam hæc hodie ad Vulgatam, contraria ſunt omnia.

Age! quid mæandros quærimus? eloquamur ſine ambagibus, quod verum eſt! non fons Hebræus tunc pro norma abſoluta habebatur, ſed ex adverſo: 70. verſio norma fuit omnium translationum, neque judicabatur infra dignitatem extantium tunc fontium detrudenda, ſed potius tamquam ſola eſſet, recepta fuit a Chriſtianis, ut, licet teſte Aug. L. 18. de Civ. C. 43. multæ circumferrentur verſiones „hanc quæ 70. eſt, tamquam ſola eſſet, ſic receperit Eccleſia, eaque uterentur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique, utrum alia ſit aliqua, ignorabant; ex hac 70. interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum eſt, quod Eccleſiæ Latinæ tenent.„

Conſectarium tertium.

Patres, & primorum ſeculorum ſcriptores conſtanter aſſeruerunt, 70 Interpretum verſionem (*aa*) Divino Spiritu dirigente fuiſſe confectam. Ex hoc iſta, quæ ſequuntur, licet colligere.

10

(*aa*) Præter jam laudatos de 70. verſione tractant Joan. de la Haye in Proleg. ad Biblia Maxima Sect. 16. C. 18. Serrarius, Salmeron, Middendorpius Jacob. Commentar. de Ariſtea Coloniæ in 8. an. 1578. Erneſtus Grabius editor 70. verſionis Oxon. fol. Authores Tom. III. Menochii. Montfauconius. prælim. in Hexapl. Orig. Xantes Pagninus Iſagog. in ſcrip. C. IX. Scip. Sgambatus Arch. V. T. p. 487. Euſebius Nierembergius de Origine ſcriptur. S. L. 12. C. 2. Julius Bartoloccius Biblioth. Rabbin. Tom. 1. Dupinius Diſſ. Prælim. ad Tom. 1. Biblioth. Author. Eccles. Richar. Simonius Hiſt. Crit. Baron. ad an. 231. nr. 33. Herm. Goldhagen, qui horum pleroſque citat, Introduct. in ſacr. ſcript. par. 1. Didacus a S. Antonio. Franc. Xav. Widenhoffer in Proleg. Quibus

10 Non poterant Patres judicare 70. verſionis Hebræum codicem eſſe normam abſolutam, certumque directorem, aut illam huic velut dignitate minorem ſubmitti, niſi Spiritum S. ſe

bus multos alios addit, & enumerat Auguſtus Pfeiffer criticæ ſacræ. edit. Dreſdæ, & Lipſ. 1721. pag. 280, §. XV.

Apoſpaſmation.

Ut aviditati Lectoris ſatisfiat, epiſtolas Demetrii ad Philadelphum Regem, Regis ad Eleazarum Pontificem, & hujus viciſſim ad Regem (de quibus pag. 245.) Tom. IV. OO. Joſ. Flavii edit. Haverc. apud Ariſteam extantes iſthic adnectendas duxi. „ Ad hunc autem modum ſententiam ſuam Demetrius Regi expoſuit. „

Cum Rex mandaveris mihi, ut qui deeſſent Bibliothecæ tuæ libri, eos curarem ad eam complendam conquiſitos colligi: & ſimul ſi quid detrimenti cepiſſent, illos ad modum convenientem reficerem: ego hactenus non ſegnem in hoc operam navavi, & nunc præterea ad te refero, Legum Judaicarum cum paucis quibuſdam deeſſe; conſtant enim hi lingva, & literis Hebraicis: ſed negligentius, nec ita, ut reipſa ſe habent (quemadmodum hoc perhibetur ab illis, qui intelligunt) ſunt conſcripti: quia nondum contigit illis Regii animi cura, & munificentia. Rectum autem fuerit & hos libros accurate elaboratos extare inter tuos: quia hæ leges & ſapientiores, & ſanctiores ſunt aliis, ut quæ ſunt Divinæ. Hinc enim cum alii ſcriptores, & Poëtæ, tum Hiſtorici omnes abſtinuerunt a mentione & librorum iſtorum, & virorum illorum, qui ſecundum leges has adminiſtrarunt, & adminiſtrant Remp. quia ut Hecatæus Abderites aſſerit, plane ſanctam quamdam, & venerandam contineant in ſe ſententiam, & contemplationem. Si ergo viſum fuerit tibi Rex, ſcribetur ad Principem ſacerdotum Hieroſolymis, ut mittat ad te ex quaque tribu ſex viros maxime honeſtæ vitæ, ſenio, & prudentia legum ſuarum præſtantes; ut ita ex pluribus

ſe inferiorem, aut unum ejus opus altero præſtantius poſuiſſent, quod vel cogitare nefas. Si idem Spiritus fuit in iis, qui in Prophetis, nihil poterant ſcribere, niſi quod rectum, & veriſ-

---

ribus per diligentem examinationem nacti conſentientem, & accuratam interpretationem hos libros præclare, ut & rei ipſius, & tuæ voluntatis dignitas poſtulat, recondamus. Sis felix perpetuo.

Rex Ptolomæus Eleazaro ſummo ſacerdotum Gaudium, & ſalutem precatur.

Quoniam evenit, ut multi ex Judæis incolerent regionem noſtram, quorum alii Hieroſolymis abducti ſunt a Perſis tum temporis, cum illi potirentur rerum, alii cum Patre noſtro capti in regionem noſtram pervenerunt, ex quibus ille multos ſelectos in exercitum, & ad militiæ uſum ſtipendiis amplioribus recepit: & quia illos priores judicabat plurimos eſſe, his loca ad præſidia munita commiſit, ne Ægypti populus ſibi ab illis timeret. Nos vero conſecuti regni adminiſtrationem, cum aliis omnibus exhibemus nos humaniores, tum vero præcipue civibus tuis, quorum captivos ultra X. myriades liberavimus, perſoluto ſingulis Dominis pecuniæ pretio digno: & ſimul etiam corrigimus, ſi quæ ex impetu multitudinis perperam ſunt acta. In quo perſvaſum habemus, nos pie agere, & offerre munus animi grati Deo maximo, qui nobis regnum conſervavit in pace, & gloria, quæ præſtet in toto terrarum orbe. Præterea ætate, & viribus valentiores in exercitum recepimus: qui vero idonei eſſent, ut circa nos verſarentur, illos dignos judicavimus, quibus negotia aulæ committeremus. Sed cum non ſolum his cupiamus gratificari, ſed & omnibus aliis Judæis in orbe terrarum, illis etiam, qui ſunt in poſterum futuri: conſtituimus legem veſtram ex Hebraica lingva interpretatione traducere in Græcam, ut hæ leges veſtræ in noſtra Bibliotheca extent cum aliis Regiis libris. Præclare ergo, & pro dignitate inſtituti noſtri feceris, ſi ad nos miſeris electos ex quaque tribu ſex viros ſeniores, qui & honeſte vitam peregerunt ſuam, & in legum

riſſimum, nihil ponere, niſi quod ſe ipſo certiſſimum, & irreformabile, quod ope alterius nec egeat, nec ad altiorem quampiam authoritatem debeat referri.

20

---

gum peritia ſunt exercitati, & interpretandi facultate pollent, ut in ſtudio, & tractatione rei magnæ germana, & conſentiens ejus veritas a pluribus eruta deprehendatur. Nam nos quidem ex hoc negotio peracto arbitramur nobis magnam acceſſuram gloriam. Ablegavimus autem ad te Andream, præcipuum corporis noſtri cuſtodem, & Ariſteam: viros apud nos magnó in honore conſtitutos, qui tecum hac de re agant, & afferant tibi ſecum & in templum primitias noſtræ dedicationis, & ad ſacra, aliosque uſus pecuniæ talenta centum. Si autem & tu ad nos ſcripſeris, de quibus placuerit, rem & nobis gratam, & amicitia tua erga nos dignam facies; nam nos ſtatim effecta curabimus, de quibus nos voluntatem tuam cognoverimus. Vale.

Eleazarus ſummus Sacerdos Regi Ptolomæo Amico ſincero ſalutem.

Valeas & tu, & Regina Arſinoe ſoror tua: liberi etiam bene, & ut cupimus, habeant: valemus autem & nos. Accepta epiſtola tua valde gaviſi ſumus ob inſtitutum, & conſilium tuum tam præclarum: ac congregatæ univerſæ multitudini prælegimus, ut cognoſcerent tuam erga noſtrum Deum piam voluntatem, quibus monſtravimus etiam phialas, quas aureas 20. & argenteas 30. miſiſti: crateras item quinque, & menſam, ſuper quam fierent oblationes, & ſacra peragerentur: tum talenta centum pecuniæ ad conficienda alia, quibus templum indigeret. Quæ quidem attulerunt Andreas tibi cariſſimus, & Ariſteas, viri honeſti, & boni, ac doctrina præſtantes, tuaque converſatione, ac juſtitia per omnia digni. Qui etiam expoſuerunt nobis omnia ſibi abs te commiſſa: & a nobis viciſſim cognoverunt, quæ ad literas tuas reſpondenda fuerunt. Nam in omnibus, quæ tibi proderunt, etiamſi illa naturam noſtram ſuperent, obtemperabimus tibi: id, quod eſt argumentum

2° Non eſt abſurdum, neque inconveniens, juxta Patres dicere, verſionem eſſe paris cum fonte authoritatis, ſaltem ob ſpecialem Spiritûs S. aſſiſtentiam, quæ non minus translatori, ac primo ſcriptori adeſſe poteſt.

3° Si 70. Spiritûs S. ſpeciali gratia colluſtrati ſunt, idem de Hieronymo dicere non eſt tam inconveniens, ac moderni volunt; ſi enim ante adventum Chriſti, & in V. T° Spiritus Dei ſe tam liberaliter mentibus infudit, in N. T°, ubi interpretatio ſermonum non uni, ſed multis, quaſi Vulgare donum Divina largitate contigit, eun-

tum amicitiæ, & dilectionis. Quoniam & tu magnis, & indelebilibus beneficiis cives noſtros, & eos permultos affeciſti. Atque ideo ſtatim pro te, ſorore tua, liberis, & amicis ſacra exhibuimus, in quibus ſimul univerſa multitudo vota fecit, ut tibi omnia & perpetuo, quemadmodum cupias, ſuccederent: & Deus, qui omnia adminiſtrat, gubernatione ſua conſervaret regnum tuum in pace una cum gloria: utque tibi ſalutariter, & ex animi ſententia deſcriptio legis procederet. Atque in præſentia omnium elegimus honeſtos, & bonos viros ex ſingulis tribubus ſex ſeniores, quos etiam miſimus ad te, una cum lege. Tu vero Rex juſte, & præclare facies, ſi poſt abſolutam ex mandato tuo deſcriptionem librorum curabis, ut iſti viri rurſus nobis tuto reſtituantur. Vale.

Ex tanta Regis Ptolomæi ſolicitudine habendi eos, qui apud Hebræos deliteſcunt, libros, concludunt plerique, nullam aliam Librorum Scripturæ S. ſaltem *publicam*, quæ in plurium notitiam, uſumque veniſſet, verſionem, contra ac nonnulli poſt Clementem Alexandrinum L. 1. Strom. volunt, 70. virali præextitiſſe, Platonem, alioſque orali traditione accepiſſe, quæ ex ſacris literis hauſiſſe, aut iis conformia docuiſſe deprehenduntur. Vide Calmeti Diſſ. an Gentiles plagiarii Hebræorum.

eundem Spiritum verſioni, quam ſolam Eccleſia acceptura erat, uberioribus auxiliis affulſiſſe gratiæ plenitudo ſvadet, ut credamus.

4° Si tempore Hieronymi, & Auguſtini 70. aut Vetus Itala tali Eccleſiæ declaratione ſuffulta fuiſſet, quali hodie Vulgatam muniri novimus, paſtores Eccleſiarum eo minus laturos fuiſſe, ut nova quæpiam verſio fidelibus offeratur.

5° Si eo, quod uſu univerſali firmaretur, 70. verſio per prima quinque naſcentis Eccleſiæ ſecula tanta pollebat authoritate, multo majore Vulgata apud Catholicos valere hodie debet, utpote œcumenici Concilii decreto propoſita, & diligentia, qua major deſiderari non poteſt, ab illapſis nævis repurgata, ac, ſicut Concilium ordinaverat, quam emendatiſſime impreſſa, non IV. ſed X. ſeculorum uſu in Eccleſia, cujus Spiritus non deficit, probata.

6° Etſi ævo Hieronymi Latini codices infinita variantium lectionum, verſionumque diverſitate lacerarentur, nec ulla ex tot diverſa ferentibus lectionibus certo Eccleſiæ judicio alteri prælata eſſet, non tamen Patres recurſum ad fontes *per ſe* probarunt, ſed tantum *per accidens propter pertinaciam Judæorum* permiſſum voluere, & neque vel in turbatis illis varietatibus Hebræum textum pro neceſſaria, & abſoluta norma habuerunt; tanto minus nos hodie id inferre, aut ſtatuere debemus. Veteres arbitrati ſunt omnes, non eo ipſo uſitatam ſcripturæ S. lectionem repudiari debere, quod fons jam diverſum plus, aut minus habeat. Idem igitur hodie longe potiori jure tenemus.

7°

7° Si errores, quos tanto zelo exaggerat Hieronymus, verſioni 70. haud obſtabant, quo minus ab omnibus authentica, & canonica haberetur, nec Vulgatæ noſtræ ſuæ præjudicabunt labeculæ, quibus in Hebræis, & Græcis fontibus vel pares, vel multo craſſiores deprehendes, quas tamen integritati nequidquam officere multis contendunt.

8° Si in 70. uſu univerſali per orbem Chriſtianum, & vigilantia Paſtorum, omnigena, potiſſimum vero Græca eruditione, & vitæ ſanctimonia illuſtrium, non obſtante, tot, ac tanti errores tempore non longo, in Eccleſia, cujus omnia membra unius fidei vinculo connectuntur, atque inter ſe communicant, irrepſerunt, id multo veriſimilius de Hebræis codicibus poſt mille ſeptingentos annos conſtitui poſſe.

Ex quibus prono fluit alveo, authoritatem Vulgatæ ab hodiernis fontibus ſuſpendi non oportere, ſecus, quia fontium in multis vacillat authoritas, pariter Vulgatæ vacillaret. Neque ad hanc emaculandam fontes ſunt abſolute neceſſarii, ſecus de authentia Librorum deutero-Canonicorum certi fieri nullatenus poſſemus, & Eccleſia jam per 1400. annos medio habendi genuinam editionem deſtituta, fallente, aut ſaltem lubrico, incertoque veſtigio progrederetur in tenebris; & quod eſſet longe lacrymabilius, nec de primi ſinceritate Evangelii, nec de epiſtola ad Hebræos firmam fidem poſſemus concipere, cum etiam præſtantiorum apud heterodoxos Theologorum confeſſione horum nonniſi verſiones, nullum vero in Originali exemplar habeamus. Ex quo rurſus fixum, ratumque eſto: fontium ad illapſa menda ſufferenda abſolutam non eſſe

ne-

neceſſitatem, aliisque mediis integritatem codicis per Eccleſiam adprobati ſeu conſervari, ſeu reparari poſſe, ne anſa præbeatur heterodoxis, VII. Libros V. T.ti deutero-Canonicos (pag. 164.) rejiciendi, utpote de quorum authentia, & integritate defectu fontium conſtare nequeat. Profecto ſi veritas Divinorum librorum a Judæis, vel ſolis eorum codicibus eſt diſcenda, librorum Machabaicorum nulla erit authoritas, quia, ut dicit Auguſtinus, eos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.

Corollarium quartum, & ultimum.

Patres conſentienter tradunt 70. virali verſioni nefas eſſe aliquid addere, vel demere. pag. 218. 225. Hilarius in Pſ. 118. & Pſ. 2. *Sed neque nobis tutum eſt, translationem 70. Interpretum transgredi. Nos, ſicut oportet ſequimur 70. Interpretum religioſam, antiquam authoritatem:* (ii namque) *non poterant non probabiles eſſe arbitri interpretandi, qui certiſſimi, & graviſſimi eſſent authores docendi.* Generatim ſtatuit in locis variantibus 70. viralem eſſe præferendam lectionem. Hieronymum pag. 266. 268. 282. Origenem pag. 187. Auguſtinum (pag. 224. 341.) jam audivimus. Accedunt Theodoretus Præf. in Pſ. Chryſoſ. homil. 4. in Gen. Euſeb. L. 8. Præp. Evang. C. 1. Epiphan. &c.

Nec mirum: Poſteaquam Spiritum Dei in eis operantem agnoverunt, (pag. 225.) obſequio maximo, & reverentia ſumma excipienda erant omnia, quæ eorum opera, & labore poſteritati ſunt commendata, ut addi, aut demi nihil impune poſſit. Si ita: abſolutam, & a fonte Hebraico illius ævi independentem judicio Patrum

ha-

habuit iſta translatio authoritatem; ſunt namque duo iſta ejusmodi, ut uno poſito alterum tolli ſit neceſſe: quodſi ponas 70. editionem reduci, exigique debere ad normam Hebraicæ lectionis, in confeſſo eſt, multa addi, plurima demi oportere. Si de hac talis antiquo tempore viguit ſententia, quidni de Vulgata hodie in omnibus, quæ alicujus ſunt momenti, nec ad deſcribentium, aut imprimentium errata referuntur, idem ſentiendum?

Digreſſio Chronologica.

Vulgo notum eſt, a creatione Mundi usque ad annum Chriſti Natalem juxta Vulgatam noſtram ex Hebræo textu, qualis Hieronymi ætate extitit, & hodienum perſeverat, depromptam a celeberrimis Chronologis annos quater mille numerari, ut, quando (Luc. 2. 4.) Joſeph *aſcendit in Bethlehem*, *ut profiteretur* nomen, ac ſubjectionem ſuam *cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*, annus Mundi quater milleſimus decurrerit. Natalis Alexandri Tom III. pag. 53. Diſſ. II. ſec. I. iſta de tempore naſcentis Chriſti relate ad initium Mundi, & ceteras memorabiles epochas expreſſa *propoſitio:*

Chriſtus natus eſt anno Juliano quadrageſimo primo deſinente, ante æram Vulgarem quinto, Imperii *Auguſti* quadrageſimo a conducto exercitu, ſeu vigeſſimo ſexto a morte Cleopatræ; regni Herodis trigeſimo quarto a morte Antigoni, vel trigeſimo ſeptimo a conceſſo ſibi regno; urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo nono; Olympiadis centeſimæ nonageſi-

ſi-

ſimæ tertiæ anno quarto (*bb*) a diluvio bis milleſimo ter centeſimo quadrageſimo quarto; *a Mundi creatione quater milleſimo*; Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo nono; hebdomadum Danielis anno quadringenteſimo quinquageſimo. Conſulibus Augusto Cæſare XI. ſive XII. & L. Cornelio Sulla.

Z Ro-

(*bb*) Olympias eſt ſpatium quatvor annorum, quod duos inter ludos a Græcis ad Olympiam Elidis in Peloponeſo urbem ineunte quinto quovis anno V. diebus ſolſtitii æſtivi tempore a 19. Julii uſque 23. celebrari ſolitos labebatur. In definiendo Olympiadum initio variant veteres, maxima tamen Chronographorum pars *Vulgares*, ſeu *Iphitæas* recipit, ex quo hæc quadriennia etiam anni Iphitæi nominantur, quod ludos iſtos ab Hercule, Atreo, & aliis ante inſtitutos, diuque neglectos Iphitus Elidis Princeps inſtauraverit, anno juxta Petavium Rat. Tem. par. 1. L. 2. C. 5. poſt Trojam deletam 408. ante Romam conditam tertio, & viceſimo (nam ex opinione Varronis, cui Cicero, Quintilianus, Plutarchus, Tacitus, Dio Caſſius, Baronius, & plerique hodie ſubſcribunt, condita eſt Olympiadis ſextæ anno tertio) Oziæ, ſeu Azariæ Regis Judæorum, ſub quo Iſaias prophetavit, quarto, & triceſimo, Mundi 3208. aliter 3228. ante natalem Chriſti 776.

Ante hanc epocham Olympiadum nihil certi habetur in Hiſtoria Græca, ſive prophana, adeoque jactata illa prophana vetuſtas nos certos reddere de veritate factorum non ultra poteſt, quam per Octo circiter ſecula, quæ Chriſti nativitatem antevertunt. Scriptorum omnium, quorum ſuperſunt monumenta, Homerus procul dubio antiquiſſimus, Moyſe 500. annis, ne dicam 600. junior eſt, qui Trojanum bellum ſub ætatem *Jairi* Judicis Hebræorum anno ante Chr. 1184. ante nativitatem ſuam 168. excitatum, modulatur; quamvis enim ætas ejus nequeat penitus definiri, non tamen ultra initia quarti a conditu M. milleſimi exporrigitur, Salomonis temporibus proxime

Rotundo huic numero ſi ad accuratiorem calculum cum Calmeto, & Bertio IV. aut V. vel etiam plures annos addant, aut demant nonnulli, ut primus mundi annus ſit 4004tus ante annum Chriſti natalem, attentionem non meretur exigua iſthæc differentia, quod ita explicat Calmetus Tom. II. Dictionarii Hiſtor. Crit. Biblici edit. Aug. Vind. an. 1759. pag. 87. voce: *Mundus. Equidem juxta ſupputationem Uſſerii, quæ vulgo noſtra ætate obtinet, ab exordio Mundi usque ad Chriſtum ortum* 4000. *annos rotunde ſupputamus; verum erudititiſſimi Chronologi autumant, tribus annis ſerius, quam par eſt, Chriſti nativitatem conſignatam fuiſſe:* in quam rem magna cum eruditione more ſuo diſſerit etiam Petavius Rat. Temp. par. II. L. IV. C. I. Et par. II. L. II. C. 1. ita pronun-

nie concurrens, ad ſummum mille, vel nongentis ante Chriſtum annis.

Varro tempus, quod Ogygium anteit diluvium, per annos 2208. *obſcurum* (adelon): proximum circa ætatem Joſephi, & Hebræorum in Ægypto commorantium per annos 1020. *fabuloſum* (mythikon): a cæptis olympiadibus, ſeu inde ab annis 776. ante Chriſtum tandem *Hiſtoricum* appellat. Itaque ipſis Ethnicis fatentibus de antiquis temporibus nihil certi ſtatuere poſſumus, niſi ex ſcriptura S. diſcamus. In ludis Olympiacis quinque erant genera certaminum: 1. curſu metam altero citius attingere. 2 colluctando vires exercere. 3. jactu diſcorum. 4. Ceſto. 5. Pancratio, mixto modo, ac etiam ſe humi volutando. Cum nudi eſſent corpore toto, in communionem exercitii ſequior ſexus dein non eſt admiſſus, licet primo tempore reciperetur; neque admittebatur, qui aliqua improbitate, vel crimine publico eſt notatus: præmium Victoris corona oleagina fuit. Ex his obſcuro loco 1. Cor. IX. 25 fax accenditur.

nunciat: *nos ab orbe condito ad annum natalem Chriſti ex vulgari calculo elapſos eſſe putamus annos* 3983. Secundum communem calculum, qui pro reali, & vero ſumi ſolet, mundus iſte aſpectabilis ad nos usque non durat niſi 5797. annis.

Fatentur plerique poſt Simonium, Hiſt. Crit. V. T. L. 1. C. 1. Petavium Cit. L. II. C. I. Calmetum Diſſert. de Chronol. Geneſi præfixa, ex hiſtoria ſacra, cui velut unico fundamento omnes calculi innituntur, certam elapſi tam longi temporis rationem conſtitui non poſſe, & annos ab ortu mundi usque ad æram Chriſtianam nonniſi per probabiles conjecturas deduci. *Pro firmo itaque habeatur, ſacras literas continere tantum menſuram temporis politici, nec poſſe ex illis colligi menſuram temporis Phyſici.* Dicit Iſaacus Voſſius Can. Chron. pag. 236.

Univerſim genealogias, & annos vitæ Patriarcharum, qui in Scriptura S. ponuntur, debile eſſe fundamentum ad determinandam orbis ætatem pro indubitato habent, quod ſæpe, dum quispiam vixiſſe, aut regnaſſe tot annos dicitur, Scriptura rotundum conſectata numerum, annos aliquot ponit, vel omittit, qui ad ſummam explendam aut deſunt, aut ſupra eam excurrunt: ut E. gr. 480. anni vocentur 500. quod jam Auguſtinus L. 15. Civ. C. 24. obſervavit: Menſes præterea qui excedunt, & dies, ſolis annis in numerum aſſumptis, negliguntur. Nec ſemper eſt primogenitus, qui primo nominatur, ſolumque primus ille intelligitur reſpectu eorum, quos nominare ad ſcopum Scriptoris pertinebat, aliis antea genitis, quod ad ſeriem aſſumptæ narrationis non facerent, prætermiſſis, ut eodem libro

C. 15. rurſus docet Auguſtinus. Liquet pariter, captivitates, & Anarchias velut infauſta, & vacua ſpatia, quibus nihil præclarum, aut memorabile geſtum eſt, in calculum frequentius non aſſumi, maxime dum rerum geſtarum hiſtoria nonniſi compendio exhibetur.

Hinc quidam e modernis cenſent, ea potius diſcutienda eſſe argumenta, quæ naturæ ſcrutatores, & Mathematici ex univerſi hujus conſtitutione, quæ ſtabili lege perſeverat, proferre poſſunt, quibus, dum antiquitatis monumenta, & vetuſtæ traditiones conſentiunt, effici putant, diluvium multis ſeculis prius contigiſſe, quam a vulgo Chronologorum credatur; horum nonnulli, dum Moyſaica narratione non proprie dictam creationem, ſed meram rerum prius creatarum evolutionem, & in debitum ordinem ſuum digeſtionem tradi aſſerunt, mundi natales ad cimmeriæ antiquitatis confiсta a ſe initia, quæ ortum mundi hactenus creditum multis annorum millibus antevertant, removent. (*cc*) His ſibi re-

(*cc*) Æternam materiæ, ex qua Mundus eſt tam concinne formatus, exiſtentiam Philoſophi veteres omnes, ſi forte Platonem excipias, adſtruxerunt, quia principii loco ponebant: *ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.* Ariſtoteles, quamvis æternitatem Mundi inter ea, quæ certo cognoſci, & demonſtrari nequeunt, poſuerit, eam tamen & tenuit, & aſſeruit, cujus opinionem ſecuti ſunt frequentes Judæi, & Muhammedani, veluti Averroes, & Avicenna; nec defuerunt e Chriſtianis, qui utrumque jungerent, ut Mundum æternum, ſed tamen dicerent a Deo creatum, ſæpius interdum innovatum, dum æterna ejus materies in varias a Deo formas eſt figurata, quod nos (ut illi dixerunt) creationem appellamus, Moyſen poſtremæ creationis, quam in æternitate complures alias

relictis, dum exemplaria Hebraica, cum Græcis contendo, inſignis, & perquam notabilis occurrit Hebræos inter, & Alexandrinos 70. viralis verſionis codices in ſupputatione annorum diffe-
Z 3 ren-

aliæ præceſſerunt, deſcripſiſſe hiſtoriam. Sed Mundum æternum, & *ex increata materia* dicere, etiam saniore Philoſophia repugnante error eſt ſtolidiſſimus, & impietas deteſtabilis, ſexcenties a Patribus contra Marcionitas, Gnoſticos, Cerdonianos, Hermogenem, aliosque deliros homines refutata, etiam certiſſimæ Judæorum perſvaſioni oppoſita, ut fuſius declarat Majmonides Sec. XII. in ſuo præſtanti opere *More Nebhuchim* (h. e. Doctor perplexorum, ſeu dubiorum) appellato par. 2. C. 13. & ſeqq. a pag. 216. edit. Joan. Buxtorphii Baſil. 1629. in 4. Unde, quando ſec. XV. Rabbi Samuel Sarſa docuit Mundum ex præexiſtente materia a Deo formatum ea dierum ſucceſſione, de qua Geneſis loquitur, ad rogum a ſuis eſt damnatus. Baylius in Dictionario ſuo voce: *Epicurus* nimia victus evidentia confeſſus eſt, creationem ex nihilo adeo evidenter oſtendi, ut ſine abſurditate negari non poſſit, nobis etiam ex revelatione certum, Deum omnia ex nihilo tam ſui, quam ſubjecti feciſſe 2. Mach. 7. 28. *ex uk ontón* ex non exſtantibus facta omnia ait mater Machabæorum, Deo in his doloribus verba ejus, non minus quam filiorum conſtantiam dirigente, neque audiendi, qui interpretantur, omnia facta dici ex *ſic, hac*, qua ſe jam habent, *forma non exiſtentibus*, ut, licet materia ab æterno fuerit, nihil tamen eorum extiterit, *prout hodie eſt*, quia, ut Auguſtinus Gen. ad lit. C. 1. Tom. III. profitetur, contrarium *Catholica diſciplina dici jubet.* Lateram. IV Conc. ſub Innoc. III. an. 1215. Deum ab initio temporis utramque (ſpiritualem, & corporalem) de nihilo condidiſſe creaturam. Neque hic deliramenta (ut Hier. vocat) Philoſophorum ſimplicitati Chriſtianæ ſunt ingerenda: conceditur repugnare, ut ex nihilo aliquid fiat eo ſenſu, quaſi nihilum tamquam aliquid reale præextiterit, unde per tranſitum de uno in aliud fiat mutatio, ſicut
in

rentia; namque ſolum usque ad diluvium, quod Hebræorum Paleſtinorum codices ad annum orbis 1656. Alexandrinorum vero, ſeu Helleniſtarum Judæorum ad 2242um referunt, annorum 586.

---

in generationibus. Sed creationem, cujus vix aliquam habemus ideam, non debemus concipere, ut rei de non eſſe ad eſſe mutationem, quia hæc exigit aliquod ſubjectum tranſiens de uno termino ad alium, potius hæc non exiſtentis ad exiſtens eam dicit relationem, quam tempus præteritum ad præſens, ut quando de mane fit meridies: non quaſi mane tranſeat in meridiem, aut unio fiat duorum extremorum, ſed ſolum quia meridies ſuccedit tempori matutino; ita & in creatione eſſe rei ſuccedit nihilo.

Si vero de potentia quæratur, multi, licet explicatione (apud P. Gazzaniga edit. Venet. 1792. in 4. M. Tom. III. C. 2. de Creat.) a ſe invicem diſcedant, contra communiorem aliorum, hanc Creationis ab æterno pro æterno poſſibilitatem merito confitentur, quorum ſententiam non ita pridem adoptavit P. Salvator Maria Roſelli in ſumma Philoſophica 2. 2. p. 9. 1. art. 6. Et defendit etiam Rmus. Joan. Kéri Or. Erem. S. Pauli in Philoſ. Scholaſt. edit. Poſon. an. 1673. De mente S. Thomæ hodieque certatur, & adhuc ſub judice lis eſt, ſolvit enim rationes, quibus Mundi ab æterno ſtatuitur impoſſibilitas, dicitque: *Mundum incepiſſe*, *eſſe tantum credibile* (citra revelationem) *non autem demonſtrabile, vel ſcibile.*

Nimirum creatio poſcit creatum fieri ex nihilo *ſubjecti* h. e. ex nulla re, non vero ex non eſſe ſui, quaſi aliquando debuiſſet nihilum eſſe; æternitatis conceptus excludit conceptum *aliquando*: creatum porro nihil aliud involvit, quam omnimodam in exiſtendo a cauſa ſua dependentiam, ſive dependentia hæc ab æterno ſit in actu, ſive in mera potentia; cauſa effectum natura, tempore autem non ſemper, nec ex neceſſitate præire debet, ut patet exemplo ſolis lumen efficientis, qui ſi ab æterno extitiſſe ponatur, lumen quoque fuiſſet æternum, ſicut de Patre luminum verum illud lumen filius ab æterno genera-

586. eſt diſcrepantia: nimirum Helleniſtæ ſex Patriarcharum antediluvianorum, Adami, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, & Enoch ætati ante pædogoniam, ſeu tempus generationis 100. an-

 nos

ratur. Quod vero dicitur, creatum neceſſitate naturæ ita ex nihilo ſuo educi, ut aliquando nihil fuerit, ex imbecillitate intellectus humani venit, qui, dum cuncta ex ordine ſucceſſivorum æſtimat, quia hodie in mutationibus prius, & poſterius intervenire videt, modi alterius impoſſibilitatem concludit, quomodo cujuſvis ſupernaturalis Myſterii puta: Trinitatis, aut incarnationis impoſſibilitatem ſibi relictus, nec altioribus principiis confirmatus, profecto concluderet.

Moyſis verba: *Bereſchith* h. e. in initio, *bara* h. e. creavit, quod 70. *epoiéſe* h. e. fecit reddunt, in contentionem hodie adducuntur, de primo: *in initio* quorſum referatur, de altero: an meram ex præjacente materia formationem, vel proprie creationem h. e. ex nihilo eductionem notet, quæritur. Vulgaris, & antiqua expoſitio eſt: in principio *temporis*, in exordio rerum creatarum, antequam quidquam exiſteret, fecit Deus cælum, & terram, h. e. *to: pan* ſeu Univerſum, quod Hebræi cæli, & terræ nomine ſolent deſignare, ſeu potius: informem cæli, & terræ materiam, h. e. eſſe illius rude, & indigeſtum: & hac prima Dei operatione terra adhuc erat *thohu*, *bhohu*, inanis, & vacua (omni ordine, ornatu, arboribus, animalibus, hominibus) rudem hanc, & confuſam molem cæli, & terræ vocabulo deſignat, quia materiam, quæ ex intentione Dei mox in cælum, & terram formanda fuit, ſumit pro re, quæ conſit ex ipſa. Sed explicatio hæc innuit Deum aliud poſterius feciſſe, quid illud? ordinemne dicit ad res cælo, terraque contentas, ut ſenſus enaſcatur: poſtea fecit hominem, aves, beſtias, arbores? iſtud vulgaris Arabum indicat translatio: *primum, quod creavit Deus, (fuit) cælum, & terra:* (Evvelu má chhalak Allahu ſcemau, velerdu). Niſi intelligas ita cum creatione cæli, & terræ cæpiſſe tempus, ut antea extiterit nihil, quid Majeſtate tanti ſcriptoris dignum aſſe-

nos addunt, quos reliquo vitæ tempori poſt pædogoniam ſubtrahunt; ita Seth juxta Hebræum textum anno vitæ ſuæ 105to, Enos 90o genuit, juxta verſionem 70. viralem prior 205to, poſterior

aſſeres? cum enim tempus ſit ordo ſucceſſivorum in ſerie continua, & ex relationibus entium perdurantium intelligatur, annon per ſe ſatis innoteſcit ante Mundum tempus non fuiſſe? initium temporis, & rerum creatarum exordium idem eſſe? Mundum cæpiſſe, quando cæpit? minutiora iſta videntur, quam ut Moyſes ſerio inculcare debuerit.

Salvo meliori judicio pleniorem ego ſenſum voci *bereſchith* ex mente Moyſis Lectori expendendum offero, vertoque: *cum initio produxit Deus cælum, & terram.* (1.) Beth hanc ſignificationem non tantum recipit, ſed etiam vulgariter habet, ut Job. 18. 8. Exo. 15. 19. in Vulgata Oſ. 4. 3. notum eſt, literam omnibus Latinorum præpoſitionibus æquivalere. (2.) Juxta communem Interpretum Moyſis ſcopus eſt, evertere ſyſtema Ægyptiorum, & Phænicum, qui antiqua illa ætate nationibus aliis ſapientiores pro certo tenebant, materiam Mundi eſſe æternam, initio omni carentem, adverſus hos revelante Deo docet ſuos de vera Mundi origine, quæ eſt *cum initio.* Sane vel nullibi, vel hic contra fatuam illam de æternitate materiæ opinionem in ſcripturis confirmamur. (3.) Moyſes utitur verbo, quod in lingva ſua habere poterat, maxime idoneo, quodve ſignificat proprie dictam creationem, ſi traditio gentis ſpectetur, quæ reipſa ſpectari debet, nam vis, & ſignificatio vocum petenda ab iis, a quibus talis vox inventa, & uſurpata fuiſſe cognoſcitur: admitto ex ſolo *bara* eductionem ex nihilo haud certo evinci, ex rationibus, quas tam ferventi ſtudio coacervare nuperi Authores adniſi ſunt; verumtamen ubi valet mere *efformare* ex præjacente materia, contextus oſtendit, & ſubjectum: puta: quia de evolutione rerum ſermo eſt, aut generatione, & renovatione hominis Gen. 1. VV. ſeqq. Pſ. 51. 12. Pſ. 102. 19. & 104. 31. Illa autem apud Arabes frequentior notio: aſ-

rior 1900: numeris annorum tantopere variantibus duo hæc antiquiſſima, & maxime veneranda exemplaria adeo difformia reperiuntur, ut ab Adamo ad annum Abrahami natalem 70. viralis

 ſup-

affabre expolivit, *efformavit:* obtinet, ubi ſermo eſt de actionibus hominum, qui non creant, ſed tantum ex præexiſtente materia figurare, & in ordinem aptare norunt; quare nihil mirum, ſi eadem vox ad ſignificandam etiam eam productionem, quæ hominum propria eſt, ut Germ. *Schaffen*, Hung. *teremteni* adhibeatur; cum autem vox ſit latioris ſignificati, atque polyſema, Moyſes adjectione alterius fixit, & determinavit, dicens, Deum *cum initio* ſeu non abſque initio exiſtendi creaſſe cælum, & terram. Optime congruit ſequens *vav*, *atque ita* hac Dei operatione producta cæli, terræque materia fuit forma, nexu, atque ordine partium deſtituta: ſecundam porro Dei operationem, quæ in oculos magis incurrebat, ab ordinatiſſima cæli, terræque diſpoſitione fuſius ſacer ſcriptor commemorat, ut quem a creatione Omnipotentem, eum ab ornatu, & concinna formatione Univerſi artificem infinite ſapientem doceret, & commendaret. (4.) Niſi ita vertas, proprie dictam creationem, quam tamen Moyſen dare voluiſſe adjuncta ſvadent, difficulter evinces: unde Grotius, Vatablus, & Cl. Monſperger Inſtit. Herm. Vindob. 1784. par. 1. § 67. pag. 221. urgent verti debere: Principio fecit h. e. affabre efformavit Deus cælum, & terram, (ex rudi materia) quod enim terram ſpectat, fuerat antea omnino vaſtiſſima, & inaniſſima, priusquam hanc formam a Deo fabricatore acciperet; non creationem, a qua præſcindit, ſed formationem tantum a Moyſe deſcribi, (nicht *erſchaffung*, *ſondern umſchaffung*) ait Auctor Germ. tali commentatione inſinuatur præexiſtentia, & æternitas materiæ, antequam Deus illam apte, ut nunc eſt, diſponeret, ait Calmetus Dictionar. Bibl. voce *Mundus*, quæ & fidei repugnat, & textui Moyſaico prorſus adverſatur, ut affirmat idem in C. 1. Genes. (5.) Si Moyſes loqui voluiſſet *in ſtatu conſtructo* h. e. cum

ſupputatio alteram Hebræorum 1500. ferme annis excedat, ut de conſequentium ætatum differentiis nihil attingam. Nempe juxta Hebræos usque diluvium anni 1656. hinc usque Abrahami

---

cum connexione, & relatione ad aliud, quod ſubaudiri deberet, E. gr tempus, vel operatio Dei, indubie adjeciſſet, ſicut alias ſolet ſcriptura addere Prov. 8. In initio *viarum ſuarum*, *reſchith darcho* Dominus poſſedit me: cum ergo nihil addat, nec nos oportet addere, vel ſubintelligere, quaſi foret *bereſchith mayaſcav*, aut *bereſchith bero*, initio operationum, aut creandi. Moyſes igitur altius aſſurgens adverſus Phœnicum, & Ægyptiorum opinationem dicit: cum initio produxiſſe Deum univerſi materiam, eam tamen primum rudem, & indigeſtam extitiſſe, cujus dein partium evolutionem, & formationem narrare aggreditur.

Dices: Hoc eſt novare. *Reſp.* Nequaquam *realiter*, aut cum aliquo fidei præjudicio, ſed tantum *verbaliter*, ſumpto ex textu, & adjunctis fundamento, ad tuendam communem Chriſtianorum omnium, & Judæorum contra hodiernos quosdam novatores verſionem: quæro enim: verum ne eſt, Mundum *cum initio* creatum? de fide eſſe reponunt: eſtne hoc juxta ſcopum Moyſis? quidni? inquiunt. Eſt ne juxta contextum? nihil dubitant. Reſtat ergo ut Hermeneutice acquieſcant. Nec tamen Vulgata corrigi, ſed exponi debet, *in*, quod eſt etiam in Originali, valere *cum* &c. *Dices iterum:* Juxta Apoſtolum ad Hebr. 11. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe*, *Katertiſtha* h. e. refecta, & ad perfectionem deducta *ſecula*, h. e. ex Hebræo-Græca phraſi *yolam*, *æonas*, ſeu Mundum, *ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. *Reſp.* Inviſibilia illa, quæ nec coram Deo ſunt *phænomena*, ſeu apparentia, eſſe nihilum: vel potius: loqui omnino Paulum de ſecunda Dei operatione, qua Mundum tam concinne, formavit, & 70. Interpretum verſionem ſequi, qui vertunt *aoratos* &c. ſicut de ea loquitur etiam ſapiens C. 11. 18. creatum orbem fuiſſe ex inviſa, *amorphu* h. e. forma carente materia: ſed utrumque præ-

mi nat. 292. proin 1948. juxta 70. usque diluvium 2242. hinc usque Abrahami nat. 1171. proin 3413. differentia 1465. annorum valde notabili decurrunt.

Quo-

præſupponere aliam Dei operationem, qua ipſam quoque hanc inviſibilem materiem cum initio, ſeu ex nihilo produxit.

Edidit Iſaacus Voſſius an. 1659. Diſſertationem de vera ætate Mundi, qua oſtenditur natale Mundi tempus annis minimum 1440. Vulgarem Æram anticipare. Oppoſuit Geor. Hornius eodem anno Diſſertationem de vera Mundi ætate, qua ſententia illorum refellitur, qui ſtatuunt natale Mundi tempus annis minimum 1440. vulgarem æram anticipare. Lugd. Batav. Repoſuit Voſſius caſtigationes ad ſcriptum Geor. Hornii de ætate Mundi: reddidit Hornius defenſionem Diſſertationis de vera Mundi ætate contra caſtigationes Iſaaci Voſſii: Auctarium caſtigationum addidit Voſſius, ſed neque Hornius neglexit Auctarium defenſionis pro vera ætate Mundi. Edidit & defenſionem 70. verſionis Voſſius, ubi eam inſpiratam, Hebræum autem textum ab Hebræis malitioſe corruptum, alia inter ex authoritate Patrum aſſerit. an. 1661 adjecit an. 1663. appendicem ad librum de 70. Interpretibus, ſeu reſponſiones ad objecta variorum Theologorum: Reſponſionem ad objecta nuperæ Criticæ &c. Chriſtina Regina ſveciæ, cum Voſſii chronologica commentatio referretur, declaravit, mirari ſe vehementer, quo conſilio argumentum tam invidioſum ſuſcepiſſet pertractandum. Eſſe quippe mortalium pleroſque eo ingenio ut juniores videri geſtiant, quam revera ſint. Illi hoc eſſe propoſitum, ut ſenium orbis, ac Mundi univerſi aggravet, oneretque bis mille annis. Multis nihilominus inſigniter doctis Chronologia Voſſii probata fuit.

Si certa eſſet traditio, quæ in Thalmude Babylonico Tract. *Sanhedrin* refertur, & Eliæ non illi Prophetæ, ſed alteri cuidam Doctori hujus nominis, qui 150. circiter annis ante templi Hieroſolymitani inſtaurationem vixiſſe perhibetur, tribui ſolet in hæc verba:

Quocirca mirum non eſt, natas fuiſſe tam multiplices de annis durantis mundi ſententias, quarum nonaginta duas a doctiſſimis viris pro pugnatas Du-hamel in Bibliorum ſuorum Tab. I. Chronologica refert, uti etiam Tom. III. Menoch. pag. 318. edit. Baſſani an. 1771. exhibentur

---

ba: *Mundus duraturus eſt annis ſex mille, nimirum bis mille in confuſione inanitatis* (in lege naturæ, non ſcripta) *bis mille ſub lege, & bis mille ſub regno Meſſiæ:* tum neceſſario falleret 70. Interpretum ſupputatio, & veritas ſtaret ab Hebraica. Sed traditioni idonea deeſt authoritas: Contendit Chriſt. Reineccius in Theſi Lipſiæ an. 1702. propugnata: *Traditio Eliana ſive de ſex durationis Mundi millenariis:* Traditioni huic cum in V. tum in N. Teſtamento firmum deeſſe præſidium, Patres eam aſſerentes diſſidere de modo, quo interpretanda eſt. Sine dubio uſque Chriſtum 5500. circiter, non 4000 Patres numerant, quos 70. editione, aut deſumpta inde vetere Itala uſos conſtat, quive, ſicut finem Mundi jam inſtare (quod vel ex ipſa aëris conſtitutione jam colligi quidam autumarunt) ſolum conjecturaliter dixerunt: ita de ſenario mille annorum nihil definite pronunciarunt; unde, prout Corn. a Lap. in C. 20. 5. Apocal. advertit, magis conjiciunt, quam cenſent, videlicet Cypr. Lactant. Iren. Juſtin. vel quiſcunque author Quæſ. Orth. Hilarius, Gaudentius Brixienſis, S. Iſidor. Hiſp. interdum Aug. de Civ. Dei L. 20. C. 7. & multi recentiores. S. Ambroſius alibi L. 7. in Luc. obſervat, iſtud verum haud eſſe, quia etiam ad mea (inquit) hæc tempora a condito Mundo plus quam ſex millia annorum ſunt elapſa. Judæi vero ex litera *Aleph*, quæ, ut ipſa vox æleph, valet mille, Gen. 1. 1. ſexies occurrente numerum hunc per Caballam colligunt, quæ collectio eo valet, ut Meſſiam eſſe Chriſtum, qui exacto 4000. venit, ad evidentiam oſtendatur. Sed non eſt noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit iu ſua poteſtate Act. 1. præſertim, quia *de die illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo.* Matth. 13. 32.

tur, quarum prima annum primum Æræ Chriſtianæ jungit anno Mundi 3740. ultima anno Mundi 6984. annorum 3244. abnormi utique differentia. Vallemontius aſſerit 132. extare opiniones circa numeros annorum, qui ab orbe condito usque ad Chriſtum natum effluxere.

Qui textum Hebræum ſequuntur, maxime (ut ajunt) ſibi conſtantem, & uniformem, nihilominus a ſe invicem non parum diſſident; ſicut ii, quos 70. virali verſione uſos fuiſſe novimus, multijuga varietate inter ſe ipſos dividuntur; ex Hebraico codice duplex annorum ſumma deligitur: una annorum 3707. qua minor ſtatui nequit; altera annorum 4330. qua major nequit ſtabiliri. Ex 70. virali Antiocheni usque Chriſtum numerant annos 5493. Alexandrini 5501. Conſtantinopolitani 5509.

In Summa tamen omnes hæ varietates ad duo hæc exemplaria, Hebræum videlicet textum, & 70. viralem verſionem revocantur, quæ Chronologiam exhibent adeo diſcordantem. Itaque utra alteri præferenda ſit, quæritur. Paſſim viri graviſſimi, & acutiſſimi, Uſſerius, Petavius, Kepplerus, Bellarminus, Natalis Alex. Calmetus, Bertius, Hebræi codicis Chronologiam, quoniam huic Vulgata conſentit, amplexantur, & 70. virali verſioni labem illatam fuiſſe cum S. Auguſtino L. 15. de Civ. c. 13. concludunt, ut *illa diverſitas numerorum nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ* 70. *Interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca Regis Ptolomæi codicem deſcribendum primus accepit.*

Communis hodie dici poteſt iſta ſententia, nec tamen in re adiaphora rationibus, & authorita-

ritatibus utrinque pugnantibus, aliqua neceſſitate conſtringimur, ut in eam deſcendamus: etiam contrariam, lectioni codicum Alexandrinorum conformem ſumma eruditionis commendatione propugnant Morinus, Iſaacus Voſſius, Paulus Pezronius, vir in Chronologia exercitatiſſimus, Doctor Pariſienſis ex Strict. Obſerv. Ord. Ciſter. in libro, cui titulum dedit: *Antiquitas temporum reſtituta*: cujus rationes expendit, & ſolvere conatur Natalis Alex. Tom. I. V. T. pag. 77. Conciliare autem cum Vulgata, & Hebraica lectione illam Interpretum Alexandrinorum nititur Joan. Bapt Ricciolus apud Menoch. pag. 345. Baronius vero in notis ad Martyrologium Rom. ad diem 25. Decembris, & in apparatu ad Annales Eccl. ſine tergiverſatione ſequitur, quia *profitetur& Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio ſe annos ſupputare ſecundum eosdem Interpretes.* Antiquorum ibi Patrum catalogum contexit, qui 70. verſorum Calculum probaverunt; neque ſufficit dicere cum Calmeto, approbationis hujus cauſam fuiſſe Hebraici textus ignorantiam; quid namque Hebræorum ferant codices, ſciverunt illi, & directe tamquam falſum plerique rejecerunt, uti Euſebius, Georgius Syncellus, Julianus Archi Eppus. Toletanus L. 3. contra Judæos, & alii, quos commemorat contrarius licet Uſſerius Chron. Sacræ C. 2. Eccleſia antiqua primis ſex ſeculis vix aliam, quam 70. viralem novit ſupputationem, quam etiam hodierna ſequitur in pervigilio nativitatis Chriſti: Oecumenica ſexta Synodus conſtantinopolitana a conditu orbis usque ad ſua tempora 6199. annos numerat. Fatendum hac ſupputatione Concilii nihil definiri, ſed pariter Vulgatæ approbatio-

tione non illico annorum certum numerum conſtitui reponunt.

Neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controverſiam creditur auctoritas S. Auguſtini, lectorem in hac quæſtione dimittentis, ut quod veriſimilius putaverit, illud teneat: rationes autem, quas adfert Bertius in rudimentis Chronologiæ, plane levidenſes ſunt: namque 1º Quod e fonte purior aqua hauriatur, quam e rivulis, & ei linguæ rectius credatur, ex qua per Interpretes facta eſt translatio: petitio eſt principii; cum id ipſum tanto ſtudio quæratur, an fontes inibi puri, & illimes ſint, nec indefinite, ſed tantum ceteris paribus, & conditionate, ſi ejus lectio ab Archetypi fide non diſceſſit, originali linguæ primatus debeatur. 2º Urget authentiam Vulgatæ per Conc. Tridentinum declaratam: ſed illud e veſtigio ſubjicit, quo dictis ſuis auctoritatem certam detrahit: *Divinæ ſcripturæ auctoritati ſolam numerorum varietatem, vel ſimilia Amanuenſium errata parum officere.* Perinde Natalis Tom. III. Cit. Diſſ. II. pag. 53. non tantum fatetur auctoritate litem hanc de tempore dirimi non poſſe, inſuper ab antiquis tuto ſe diſcedere aſſerit „fatebimur nos ab antiquis diſcedere, non levibus ductos rationibus, nec vitio nobis verti poterit, quod antiquitati refragemur, in quæſtione, quæ ad fidem minime pertinet, & in qua non ſatis ipſa ſibi conſtat, ſed in ſtudia plane contraria incerta ſcinditur„ dum mox pag. 57. authoritas Eccleſiæ, & uſus ei objicitur, reſpondet: Eccleſiæ uſum in rebus mere Chronologicis argumento non eſſe hanc, vel illam Chronologiam ab Eccleſia probari, vel improbari, more namque receptis uti-

utitur Eccleſia, nec ſolet ad ejusmodi minutias - - majeſtatem, ac dignitatem ſuam demittere. „ Ergo tanto magis licebit ab hodierna ſupputatione ex lectione Hebræi, & Vulgati codicis duci ſolita, recedere, ut antiquitati ſuffragemur.

Vulgatæ Onkelos Chaldæus Paraphraſtes (pag. 133.) & omnes a temporibus Thalmudicis (h. e. ſec. II. & deinceps) Hebræorum codices conſentiunt, ex quo ſequitur Paraphraſten illum vel ad tempus poſt Chriſtum natum pertinere, quod multi ſtatuunt, ut loco Cit. vidimus, vel ſi jam prius lucem aſpexit, ad codices Hebraicos quoad Chronologiam ſubinde fuiſſe reductum. Nullo ſolido argumento conficitur, Authentiam Vulgatæ extendi ad quæſtionem mere Chronologicam, quæ præterquam quod nihil facit ad res fidei, & morum, neque refertur ad commendationem virtutis alicujus, aut ad factorum veritatem, ſive enim 4000. ſive 5199. prout martyrologium Romanum ponit, aut 5500. annorum ſpatio ea, quæ ſcriptura narrat, usque ad Chriſtum evenerint, idem prorſus eſt; ſicut per uſum 70. viralis editionis per ſex prima ſecula infallibilem authoritatem Græca ſupputatio non eſt conſecuta, nec per Adverſarios Hebraica numerandi rejecta eſt ratio: ita per declarationem Authentiæ Vulgatæ 70. viralis de dignitate ſua amiſit nihil, nec enim una eſt *de Latinis editionibus*, de quibus ſolis loquuntur Patres Concilii, qui ut fonti Hebræo, ita, & multo amplius Alexandrinæ verſioni nihil volunt detractum, quam Pontifex in diplomate editioni præfixo (pag. 304.) vult ab omnibus recipi, & retineri, ut *ea potiſſimum ad Latinæ Vulgatæ editionis. & veterum SS. Patrum intelligentiam utantur*, cu-

jus

jus tamquam juxta omnes fere veteres (pag. 224. 225.) Divinitus inſpiratæ calculum etiam Orientalium Eccleſiarum, & veterum Scriptorum conſenſione præ illo Hebræi textus, cujus corruptionem non parvam Patres Concilii ſupponebant, (ſine pag. 39.) firmari noverunt. Hieronymus autem quando contra 70. calamum ſtringit, irrefragabilem non habet authoritatem, (pag. 270.) nec aliis doctrina, & authoritate conſpicuis Patribus præjudicare poteſt, qui tamen integerrimi Verſoris officio functus fuit, dum Hebraicorum codicum ævi ſui lectionem Latinis ſincera translatione ſtitit, & repræſentavit, cujus verſio authentica dici debet, ſi id exprimit fideliter, quod Hebræorum puriores codices habuerunt, etſi illi jam tum per defectum (ut in aliis pag. 176.) exerraverint; quod ubi contigiſſe conſtiterit, 70. virali editione ad Vulgatæ, conſequenter etiam Fontium numericos, aliosve defectus emendandos ex ipſa Pontificum Rom. declaratione impune quandoque utimur, quemadmodum facit ipſe Bertius mox pag. 35. ad locum Exod. XII. 40.

Quodſi Græci codices in annis Mathuſalem errore feruntur onuſti, quod ex eorum calculo XIV. annis diluvio ſupervixiſſet, (pag. 310.), quando a probatioribus codicibus error ille ævo Auguſtini abſuiſſe cognoſcitur, non eſt æquum ex uno errore quorumdam codicum univerſalem Chronologiæ corruptionem ſuſpicari, tanto minus ſtatuminare. *In tribus Græcis exemplaribus, uno Syriaco, & altero Latino aliter annos Mathuſalem deſcriptos fuiſſe* L. de Civ. Dei 15. C. 13. Et *Quæſtionem illam plurium codicum mendoſitatem peperiſſe, quia non ſolum in Hebraicis aliter invenitur, verum etiam in*

 70.

70. *interpretatione Mathuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus ſex annos ante diluvium reperitur fuiſſe defunctus.* Quæſ. II. in Gen. verba ſunt Auguſtini, qui etiam numericam in 70. occurrentem diverſitatem interdum (Cit. L. C. 14.) non eſſe mutandam cenſuit. „ Non enim eſt illa diverſitas putata mendoſitas: nec ego ullo modo mutandum exiſtimo. Sed ubi non eſt ſcriptoris error, aliquid eos Divino Spiritu, ubi ſenſus eſſet conſentaneus veritati, & prædicans veritatem, non interpretantium more, ſed Prophetantium libertate aliter dicere voluiſſe credendum eſt „ ideo enim diverſa dixerunt (ait L. IV. de Doctr. Chr. C. VII.) ut ad ſpiritualem ſenſum ſcrutandum magis admoneretur Lectoris intentio. „

3° Dum Bertius ex authoritate Auguſtini (cujus tamen argumentatio ex mente ipſius magis, aut perinde tendit in defenſionem 70. viralis verſionis, utpote juxta eundem Canonicæ, & Propheticæ) a corruptionis impoſſibilitate arguit, rurſus principium petit, & contra evidentiam facti in vanum aſſurgit; nam verum eſt, quod omnes ſupponunt, alterutrum exemplar corruptum circumferri, cum nullus, aut vix aliquis appareat vere, & ſolide probabilis modus utrumque conciliandi, quamvis tres proponat, & explicet Joan. Bapt. Ricciolus in edit. Menoch. Tom. III. pag. 345. puta: quia Adam bis genuerit filios, unum priori, alterum proxime ſequenti ſeculo, ſecularem autem hanc periodum identitate nominis utriusque filii voluerit notare, quod & poſteri Patriarchæ fecerint: quæ repetitio, ſeu narratio de duorum cognominum filiorum generatione cum in multis Hebraicis codicibus præter-

termiſſa fuiſſet, & exemplaria hæc prioris, illa poſterioris generationem ſolam continerent, 70. Interpretes ejus filii ſpecialem rationem habuerunt, quem ad Meſſiæ generationem pertinere noverunt. &c, Et alium plauſibiliorem modum ibidem alius ſuperaddat: puta: ubi Moyſes dicit Gen. 11. C. V. 10. Sem erat 100. annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt diluvium, vixitque Sem, poſtquam genuit Arphaxad 500. annis, & genuit filios, & filias: porro Arphaxad *vixit* 35. *annis*, & genuit Sale. Subaudiri debere 100. ex prius jam poſito centenario numero, ut ſenſus ſit: *vixit* 135. *annis*, & tum genuit Sale. Neque abhorret ab uſu, majorem numerum ſemel expreſſum omitti deinceps, & tamen intelligi, v. gr. cum quis dixit anno 1703. eveniſſe, quod narrat, addit 705, aliud quidpiam eveniſſe, aliud anno 710. & quis eo in caſu omiſſum millenarium aut reprehendat, aut non ſuppleat. Alioquin quare Judæis Alexandrinis cum Samaritanis hoſtibus ſpreta codicis Hebraici, quem in manibus habebant, lectione in textu corrumpendo convenerit, ſecus ratio nulla reddi poteſt, quid incredibile, ſi talis conventio incredibilis non eſt? &c. Nempe apud æquos rerum æſtimatores plus ponderat authoritas exemplarium duorum antiquiorum, Samaritani, & 70. viralis textus, quam hodierni Hebraici ſolius.

Sed ut illuc, unde digreſſi ſumus, revertamur: ſi alteruter horum codicum labem perpeſſus fuit, pronius eſt dicere, fato huic codices Hebraicos, primis ſeculis apud ſolos Judæos in arcanis ſervatos, fuiſſe expoſitos, quam Græcos, qui Judæorum pariter, & gentilium, moxque Chriſtianorum omnium publicæ lectioni proſtabant. Ac-

 ce-

cedit Hebræos literis, non vero integris dictionibus ad deſignandos numeros antiquiſſimis jam temporibus ſæpius uſos fuiſſe, unde facillima, & quaſi naturalis erat labendi occaſio ex ſimilitudine literarum, qua Græcorum Alphabetum non laborat. Et hoc adverſus Bertium. Ceterum ſi in alterutro codice error eſt, *induſtriam redolet*, *non caſum* judice Auguſtino, qui cenſet, ut ſupra relatum pag. 310. primum deſcriptorem in 70. qui annos putabat eſſe menſtruos, quales noſter unus 10. comprehendit, ut homines generationi reddat credibiliter idoneos, centum annorum additione calculum auxiſſe. Verum huic ſuppoſitioni nulla ratio ſuffragatur.

Primo enim falſum eſt Ægyptios ſaltem ævo Ptolomæorum anni circuitum menſis, ſeu dierum plus minus XXX. ſpatio definiviſſe, ut ſcriba propterea eos conceperit breviſſimos, proinde, ut potentiæ generandi aptentur, augendos, qui inſuper, dum legiſſet in primo exemplari Gen. 25. 8. *Abrahamum mortuum eſſe in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenum dierum*, poſteaquam *fuerunt dies vitæ Abrahæ* 175. *anni:* aut Iſaaco Gen. 27. 1. præ ſenio caligaſſe oculos, ut, quod videndo non potuit, palpando filium, num Eſau eſſet, exploraverit dum erat 137. annorum, ſi annos menſtruos putaſſet, homines X. aut XII. vitæ anno poſtdiluvianis temporibus ad decrepitam ætatem pertigiſſe ſibi perſvadens, extrema ſtultitia laboraſſet: aut, ſiquidem tam ſolertis erat ad viſos ſibi errores caſtigandos ingenii bipedum nequiſſimus ille, qui authenticum Regiæ Bibliothecæ inſtrumentum a collegio Judæorum approbatum falſaria interpolatione primus temeravit, cur iſthic in errore ſecundum phantaſiam ſuam manifeſtiſſimo

us-

uſque adeo cæcutivit, ut non eum perinde aliquot centuriarum adjectione infarciret?

Secundo ſepoſito partium ſtudio, quis credat, ſcribam aliquem tam profligatæ fuiſſe temeritatis? cum ex autographo, cujus deſcribendi copia omnibus Judæis facta eſt, utpote in quorum gratiam velut publicis lectionibus (juxta Adverſarios hujusce editionis) deſtinanda parabatur verſio, & ex ipſo Hebraico codice falſati ſacri textus convinci poſſet? anne credibile eſt in re, quæ omnibus nota erat, potuiſſe nebulonem aliquem omnibus Judæis, eorumque Sacerdotibus, & Principibus imponere, cum promptum eſſet ex Hebræis codicibus, & primo exemplari Græco productis tabulis ipſum mendacii arguere? an ſoli, atque unico prima deſcribendi permiſſa gloria, vel impoſita provincia, & quidem nullius fidei homini? an copia hæc cum Originali per alios quoque collata non fuit, ſiquidem ipſa deſcribendis pluribus per tot regna exemplaribus norma futura erat? an poſtmodum alii deſcriptione infideli contenti, nunquam immediate de primo exemplari transtulerunt? ſic ne neglexerunt tam pretioſum ſtupendis ſumptibus Regiis paratum cimelion, ut nunquam ei exemplaria ulla compararent? omnes ne Alexandrini, & Helleniſtæ alii tam rudes fuere, ut impoſturam non obſervarent, nec Hebræos codices inſpicerent, qui annos generationis, & vitæ Patriarcharum antediluvianorum, & poſteriorum non tantum ex Hebraicis codicibus noverunt optime, ſed etiam ex traditione de memoria poterant recenſere? Philo ne dicere auderet vir & doctiſſimus, & Græco eloquio diſertus, perfectiſſime, & ad lectoris ſtuporem Alexandrinam verſionem

Hebraico textui concordare, ſi Hebraicus iſte textus in omnibus exemplaribus ab ipſa, ut hodie in recenſione annorum immane quantum diſcrepaſſet? Et ſi Alexandrinos omnes malo dolo in fraudem conſpiraſſe ponas, an Paleſtini de Hebraicis ſuis codicibus veritatem propalaturi non fuiſſent, qui 70. virali verſioni mirum in modum infenſi, poſt tempora Salvatoris ſec. II. III. & IV. leviuſculas eidem corruptelas objectarunt? quo argumento una conficitur, neque ipſos primos verſores vitium intuliſſe. Et vero quæ ſpes? quis metus? quæ utilitas, vel commodi ratio ad infandum hoc ſcelus eos potuit impellere? Ægyptiorum annalibus, initium regni ſui etiam ultra 70. viralem computum in multas ante creationem mundi centurias extendentibus, hoc facto authoritatem non conciliaſſent, *nemo gratis malus eſt:* Si error tam decumanus, & intolerandus tunc fuiſſet admiſſus, cur progrediente tempore a nemine eſt aut detectus, aut objectus? cur Joſephus, qui de Hebræorum libris annorum ducit ſeriem, cur Samaritanorum (pag. 311.) ab antiquo ab Judæis capitali odio diſſidentium Hebraicus codex Cap. XI. Gen. ab Hebraico calculo diſcedit, & Alexandrinæ lectioni congruit? aut nullum, aut hoc videtur eſſe manifeſtum illatæ in Hebraicos codices corruptionis indicium, quod confirmant hæ, & ſimiles complures aliæ rationes neutiquam contemnendæ.

10 Non eſt dubium Hebraicos codices alios olim annorum numeros exhibuiſſe, cum Joſephus Flavius deſumpta ex Archivis Sacerdotum Chronologia L. 1. 4. & 2. 7. Antiq. ad Græcam propius accedat, dum ad everſionem templi II. 5000. ad diluvium 2253. annos numerat, & quoad an-

nos

nos Patriarcharum Cap. XI. textus Samaritanorum Hebraicus Alexandrinæ verſioni conſpirat.

Variant quidem etiam Græca exemplaria inter ſe, ſed hujus ratio in diſperſione, deſcriptione multiplici, ac uſu exemplarium per diverſiſſimas Orientis nationes quærenda eſt; ſicut porro hæc exigua eſt, & in paucis annis a ſe invicem diſceſſio: Ita alia ab Hebræa lectione conſtans, & univerſalis diſcrepantia Hebræorum codicum fidem non mediocriter labefactare, aut ſaltem in ſuſpicionem adducere videtur, quorum *aliquam corruptionem*, poſtquam antea Judæi alta pace fruentes, circa illos multum incurii fuiſſent, ſub impio Rege Antiocho *contigiſſe* quis neget, dum exemplaria, quæcunque inveniri poterant, voracibus flammis ſunt abſumpta? *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei, & per univerſas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras, & libros Legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes eos. Et apud quemcunque inveniebantur Libri Teſtamenti Domini, & quicunque obſervabat legem Domini ſecundum edictum Regis trucidabant eum.* L. 1. Mach. C. 1. V. 57. & ſeqq.

Codicibus e privatorum manibus deſcriptis Phariſæi, qui circa religionem poterant omnia, ex odio lectionem elegerint 70. virali repugnantem, quod Paleſtini Alexandrinis non ſermone tantum, ſed inſtituto etiam, & moribus Græciſſantibus, ubi poterant, ſeſe oppoſuerint, qui etiam libros deutero canonicos contra ſenſa Alexandrinorum prætermiſerunt. (pag. 171.)

2º Certa apud Judæos extabat traditio Meſſiam ad ſextum Mundi millenarium venturum,

ex qua dum Chriſtiani argumento ad hominem cuivis obvio, nimiumque penetrante, objicerent, jam ſextum inclinare millenarium, proinde jam Meſſiam advenire oportuiſſe, Rabbi *Akiba* ſec. II. Adriani Imp. tempore Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus, ab Hieronymo in C. VIII. Iſaiæ, item in C. 4. Eccle. Tom. 3. pag. 424. edit. Vallarſ. & epl. 121. ad Algaſiam quæſ. 10. & ab Epiphanio hæreſ. 15. ac 33. citatus, ſi magiſtris Hebræorum fides, in urbe Jeroſolymitana multis diſcipulorum millibus nobilitatus, Aquilæ proſelyti (pag. 261.) magiſter, ne tempus ſexti millenarii adeſſe confiteri cogeretur, utque objectionibus Chriſtianorum, quæ inſuperabiles, & evidentiſſimæ videbantur, ſatisfaceret, poſtquam in 70. verſionem omnem impetum direxit, eamque erroris inſimulavit, annos Patriarcharum in codicibus Hebræis, quorum univerſalis, & abſolutus arbiter fuit, centenariorum ſubtractione deminuit. Dum porro cauſa, & occaſio Chronologiam immutandi prona adfuit, ſicut olim Esdræ, ita hujus, & aſſeclarum authoritas apud perditæ mentis homines, odio Chriſtiani nominis in transverſum actos, & excæcatos ſuffecit, ut exemplaria ſic correcta prioribus abolitis, vel proxime antiquatis, ubique reciperentur, ferme ſicut Itala vetere ita dimiſſa, ut nec veſtigium ſuperſit, Hieronymianum tandem receptum fuit exemplar in Eccleſiis occidentalibus.

Corruptionis hujus cauſam in *Akibam* transferendi ratio inde deſumitur, quia diſcipulus ejus Aquila (pag. 261.) contentioſus interpres, & corruptor, qui multa de Chriſto myſteria ſubdola interpretatione celavit, hodierno Hebraico conſentit. Ita explicant Hebraicæ Chronologiæ de-

depravationem Rmus. Michaël a S. Joſepho in Bibliographia ſua Critica voce *Thalmud* edit. Matriti an. 1740. Item ex Orientali Eccleſia nec recens, nec ſuſpectus *Abulpharagius* luculentus Arabum ſcriptor ſec. XIII. Primas Orientis, qui Dynaſtia VIII. pag. 72. indubitanter aſſerit, Rabbinos epocham mundi mutaſſe in ſuis exemplaribus, quia, cum prænunciatum eſſet in lege, & Prophetis, Meſſiam miſſum iri ultimis temporibus, aliud commentum aptius illis nullum occurrit, quo Chriſtum pervicaciter rejicerent. Ivo Paulus Pezronius C. 16. pag. 289. edit. Pariſ. an. 1687. in IV. Antiquit. Temporum reſtitut.

3° Juxta Hebraicum calculum poſt diluvium, quod anno Mundi 1656. conſignatur, anno 1757. proin poſt annos 101. Phaleg genitus eſt. Gen. 10. 25. & 1. Paralip. 1. 19. *Natique ſunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg*, (h. e. diviſio) *eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra; & nomen fratris ejus Jectan.* Seu Joktan, antiquus ille Joctanidarum, ſeu Arabum in abditiſſimis Arabiæ ſedibus quondam dominantium pater. Aug. de Civ. L. 16. C. 2. ita explicat: „ intelligendum eſt ipſum Heber propterea tale nomen impoſuiſſe filio ſuo, ut vocaretur Phalech, quod interpretatur diviſio; quia tunc ei natus eſt, quando per linguas terra diviſa eſt. „ Porro C. 10. Libri Cit. addit: *fiunt anni a diluvio usque ad Abraham* 1072. *ſecundum Vulgatam editionem, hoc eſt: Interpretum LXX. In Hebræis autem codicibus longe pauciores annos* (neque duo integra ſecula, ut prænotavi) *perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.* Iſtam igitur Hebræorum, codicum Chronologiam

 ful-

fulgidum hoc Africanæ Eccleſiæ lumen tenebricoſiſſimam, & expeditu vel impoſſibilem, vel difficillimam eſt arbitratus. Nec immerito: cum tres mariti e ſua qūisque conjuge tantam hominum multitudinem generare intra unum ſeculum non poſſint, quæ contrariis ſciſſa ſtudiis in varias orbis habitabilis partes diſcedere velit, aut cogatur. Diſceſſio iſta confuſionis linguarum ſequela, turris ædificatione poſterior creditur, quæ multorum millium hominum ſocietatem ab illa poſterorum Sem diſtinctam exigere videtur.

Reponi poſſet contra, quam Auguſtinus poſt Joſephum putavit, Heberum ex prævifa futura diſperſione in anteceſſum filio nomen dediſſe, nec enim fuiſſe inſolitum Gen. 5. 29. Oſe. 1. 6. maxime cum illo tempore Jectan Phalegi frater natu minor 13. filiorum pater fuerit. Sed obſtant verba Moyſis ſatis clara, ut in diebus *ejus*, prout indicari videtur, *naſcentis* (Phaleg chi bejamav niphlega haaretz.) facta diſperſio pronius, & longe naturalius intelligatur. Jectanum vero diu poſt ortum Phaleg, XIII. filios generaſſe cum Calmeto dicimus, quem uſitata ſibi prolepſi Moyſes hîc referendum cenſuit, cum aliis plurimis in eodem capite collectis, quo ſeries hiſtorica minus intercifa frequentibus genealogiis, prono, & naturali curſu flueret. Quid quod e multis uxoribus uno anno 13. filios ſuſcipere potuerit? Si ais: cœptam ſolummodo fuiſſe diſperſionem, cauſam tamen fuiſſe hominum multitudinem, quam & ædificatio inſanæ illius molis, quæ in cælos ſurgebat, ſupponit, vix inficiaberis.

His difficultatum vinculis ut ſe exſolvant Hebraicæ lectionis Patroni, ad hypotheſes neceſ-

ſario

ſario delabuntur, quas, etſi nullis rationibus poſſunt facere probabiles, habere ſe tamen in conceſſis putant, quibus poſitis Arithmetica progreſſione (quaſi quod in charta, etiam ad arbitrium ſuccederet in natura) ad annum CIIum poſt diluvium viros, & fæminas unâ 1554420 alii minus liberales tantum 388605. producunt: nimirum viribus ad generandum a Deo præter modum ſuppeditatis uxores concepiſſe feliciſſime, & fæcundiſſime, ut naturæ vitio, aut cauſarum externarum interventu nulla unquam ſterileſceret, nec faceret abortum, geminos autem, & non raro etiam tergeminos uno partu eniterentur; quia Gen. IX. 1. & 7. non ſemel, ſed bis a Deo in ipſos pronunciata fuit proſperans illa benedictio: *creſcite, & multiplicamini.* Monente Petavio L. IX. C. 14. de Doct. Temp. *ſingulari Dei providentia factum, ut ad incrementum ſobolis humanæ, ad orbis vaſtitatem inſtaurandam, præcipua quædam in illis fæcunditas ineſſet, quæ juſtam alioquin ætatem anteverteret; ut vel a pueris ipſis, quod nonnulli ſuſpicantur, probabile eſſet, generandi vim illis & uſum potuiſſe ſuppetere.* Quanto facilius erat dicere, cum in alterutro exemplari manifeſtarius occurrat error, 70. editionem iſthic ab eo immunem fluere, quo Hebraica lectio gravatur!

Eo potiſſimum attento, quod ſi Hebræorum potius, quam 70. Interpretum realis, & vera eſt ſupputatio, eſto! diebus Phalegi non primis, ſed poſterioribus aliquanto ſerius ponamus factam fuiſſe eorum, qui circa Babelem incolebant, in orbem diſperſionem, linguarum tamen confuſio anno M. circiter 1800. h. e. a diluvio 144° jam con-

contigiſſet, atque ab eodem diluvio ad nativitatem Abrahæ, ſi ea cum vulgo Interpretum ad annum Thare 70um (melius ad 130um) referatur, nonniſi 292. anni h. e. nec tria ſecula effluunt; qui mortem oppetiit, cum eſſet annorum 175. Gen. 25. V. 7. h. e. quando 467us, vel nondum 500us aut ad ſummum 527us a diluvio annus decurreret. Quæ ſi vera ſunt, ſacra cum prophana committitur hiſtoria, bellum irreconciliabile, & graviſſima quædam naſcuntur incommoda.

(a) Abraham jam ſeculo poſt diluvium quarto, argento, & auro e viſceribus terræ eruto dives Reges plurimos ſibi coævos habet, prout IX. illos Gen. 14. quorum uni, ſcilicet Chodorlahomor, XII. annis quinque Reges ſerviverunt. Ecce Abrahamo Juvene quam multi Reges, quam multa bella, quam variæ, & a ſe invicem diſſitæ nationes! CCC. tamen annorum ſpatio hæc omnia a tribus, vel quatvor hominibus pullularunt! Regnum illud Aſſyriorum præpotens, & formidabile initium capit anno a diluvio, 152°, & Ninus mox ad Indos usque profert imperium. Quis hæc in animum inducat? quis, dum alio Scripturarum exemplari contrarium docetur, recipiat? tanta ne multitudo hominum a IV. vel ſi Noemum a diluvio mulierem non tetigiſſe cum multis aſſeras, a III. conjugum paribus naſci unius ſeculi ſpatio potuit, quæ 150. annorum lapſu totum fere orbem repleverit? quis capiet magnum illud Aſſyriorum imperium intra 152. annos poſt diluvium? In commoratione Iſraëlitarum per 215. annos in Ægypto, ut multiplicationem illam, qua præter fæminas, & parvulos 600. millia virorum egreſſa ſunt, reddant

dant probabilem, ad miracula, & partum gemellorum quidam confugiunt: quanto magis primo, & altero poſt diluvium ſeculo poſterorum Sem, Cham, & Japheth tota vita, & multiplicatio juge miraculum dicendum erat, ſi intra 152. annos tot myriadibus hominum, & ſtupendæ illi multitudini, quæ orbem terrarum fere repleverit, generandæ ſuffecerunt? oſtendit quidem Petavius homines annis e. gr. 290. poſſe generatione in immenſum multiplicari, ſed poſtulatis, quæ non facile conceduntur, puta: quod intra 290. annos nullus ſit mortuus, omnes autem ab anno vitæ XVI. liberis creandis operam dederint feliciſſime; cum ergo homines ſe mutius cædibus, & cruentis bellis confeciſſe ipſe ſacer textus innuat, tempus illud a diluvio ad Abrahamum non tam arctis limitibus annorum 352. includendum, ſed admiſſo Græcorum calculo laxandum venit, ut Noë mortuus fuerit ante ortum Abrahæ 722. Sem ante Jacobum annis 635. Aſſyriorum imperium cœperit anno a diluvio 750° : Ita omnes aut diſparent, aut mirum in modum levantur difficultates, quæ ſecus videntur inextricabiles, & imperviæ.

(*b*) Sed & Sara Abrahamo marito ſuo nonagenario, aut IC. annos nato (forte decennio) junior, muliebri levitate in riſum ſolvitur, dum audit ſe parituram, quæ jam vetula ſit partui inepta, cui præ ſenio *deſierunt fieri muliebria* Gen. 18. 11. cur iſtud, ſi in vivis agebant avi, abavi, & tritavi, qui ſeculo vitæ ſuæ tertio, & quarto poſt diluvianis temporibus generarunt? Quæ in Sara tanti cauſa ſtuporis, cum tot avias exactis duobus vitæ ſeculis filios parere quotidie videret, & Abrahæ tritavus Heber anno poſt dilu-

luvium 531. ætatis ſuæ.464. quarto ab obitu Abrahæ mortuus, qui Iſaaco genito adhuc 139. annis ſupervixit, vegetus ipſis conviveret? Necdum rebus humanis exempti ſunt Sale & Arphaxad, Sem quoque anno demum 502. poſt cataclysmum fato functus, atque ipſe totius orbis pater Noe ad annum usque 58um Abrahæ vitam produxit, aut ſaltem non ante nativitatem Abrahæ obierit, quia Gen. 9. 28. vixit poſt diluvium 350. annis, & impleti ſunt omnes dies ejus 950. ann, & (tunc) mortuus eſt. Adeone repente ætas, & generandi virtus hominibus diſcrimine tam notabili defecit?

(*c*) Si Hebraicus calculus non fallit, Aſſyrii (*dd*), ſeu Chaldæi mox anno 114o a diluvio

dd) Aſſyriorum Regnum recentius quidem faciunt, uti & Tyri conditum facile ad poſteriora tempora rejiciunt Chronologi, qui Hebræis codicibus inſiſtunt (Uſſer. ad an. 2737. Petav. Rat. Temp. part. 1. L. 1. c. 2. part. 2. L. 2. c. 3. & c. 13. de Tyro.) ſed non pari facilitate falſi convincunt, aut evertunt veterum teſtimonia, & pugnantia in contrarium argumenta. Quando Ninus Bactrianam (ut Diodorus Siculus, Trogus, & alii poſt Cteſiam narrant) invadere properabat, in exercitu ejus recenſita ſunt decies ſepties centena peditum, & ducenta, ac decem equitum millia, decemque curruum falcatorum millia cum paullo minus ſexcentis; quis ſibi perſvadebit annis circiter ducentis a diluvio in tantam multitudinem excreviſſe mortalium genus, ut ad ingentes adeo exercitus ſufficeret, in uno præſertim imperio, ac populo, cum ſimile quidpiam in reliquis quoque gentibus nobis cogitandum ſuperſit, quandoquidem nemo in exiguos numero tanta manu progrediatur armatus? Quod autem ipſis etiam pueris vim generandi, uſumque illi, Alexandrinæ verſionis hac in parte inimici adverſante licet natura nihil metuant tribuere, etiam ipſa

vio, 14° Arphaxad Patris Chaldæorum velut periti Aſtronomi ſiderum curſibus obſervandis vacarunt qui nondum nati ſunt. Simplicius Comment. in L. de cælo refert tempore Alexandri M. Ariſtotele procurante, a Calliſthene miſſas Babylone obſervationes cœleſtes accuratas, quæ a temporibus Nemrodi, ſeu Beli exordium ducunt, quibus manifeſte conſit, a diluvio usque Beli nativitatem tempus illo, quod calculo Hebræorum producitur, longius effluxiſſe. Quod non minus probat totalis Eclipſis ſolaris obſervatio, quam Nankingi apud Sinenſes 3952. ante nos annis factam fuiſſe traditione fertur, & quæ a plerisque noſtris Aſtronomis agnoſcitur, ut, ſi realis eſſet Hebraicus calculus, & Chronologorum huic innixum Syſtema ſubſiſteret, 316° poſt diluvium anno Sinas jam incolæ frequentes habitaſſent, Eclipſium quoque obſervatores. Præterea Tyrus a Sidone Chanaanis filio condita fuiſſet CCC. annis ante diluvium; aſt quod unice verum eſt, ſeculis a diluvio lapſis juxta 70. Alias inſuper Veterum Traditiones, & antiquitatis monumenta proponit etiam Innocentius Feſsler in Adnotationibus ad Anthologiam ſuam Hebraicam Leopoli editam an. 1787. pag. 100. etſi in hoc opuſculo audacter, & prophane multa miſceat, quæ nec plauſum merentur, nec vacant periculo.

(d) Nec parum ponderis ad laxandum tempus, quod a diluvio usque Abrahamum excurrit, habere putatur ratio illa, quæ ab artium progreſſu duci conſvevit. Vix enim credibile ar-

ipſa refelluntur experientia, cum contra fieri ſoleat, ut, ubi vivaciores ſunt homines, tardiores quoque ſint anni pubertatis.

artem coquendi lateres illico uno poſt diluvium elapſo ſeculo jam inventam, eaque perfectione excultam, quam ædificatio illa, cujus rudera poſterior ætas ſemper eſt admirata, profecto requirebat, auro, & argento tantum ab æſtimatione hominum creviſſe pretium quarto jam ſeculo, ut hæc metalla e viſceribus almæ telluris effoderentur, igne tanta copia liquarentur, ut in emptione, donationibus, & aliis commerciis vulgaris eorum uſus eſſet, & inaures, armillæ, vaſa domeſtica, aliaque non tam neceſſitatis, quam luxus inſtrumenta ex eis conflarentur.

His neutiquam obſtat, ratione tali etiam calculum e Vulgata reſultantem a vero abire per defectum, ſeu pauciores annos complecti; ſufficit enim ipſum fonti Hebræo Hieronymiano, de quo natus eſt, congruere; realem autem & *plenariam* veritatem *quoad numeros, & Chronologiam* in LXX. virali editione conſervari, quam ſi de ratione temporum tractaret, fors præferret Eccleſia, ſicut præfert in lectione Pſalmorum: Vulgata, quia de Hebraico quoad annos controverſo, jam tum, ut ponitur, defectuoſo nata eſt, matris nævos in ſe non potuit non transferre, ſicut in ſe tranſtulit hiatum illum, quo Cainanem Arphaxadi filium Gen. 11. 12. ex albo Patriarcharum prætermiſit, quem ex auctoritate Lucæ C. 3. v. 36. eo ſpectare, repugnantibus licet multis præſtantiſſimis Criticis, & interpretibus Scripturarum ſolidiſſimis, non dubitamus, dicimusque cum Toleto Cardinale, cui Cajetanus alias hebraizare ſolitus (pag. 53.) adſtipulatur, *non eſſe credibile 70. non ſolum numeraſſe Cainan, ſed etiam annos vitæ ejus, ſi non legiſſent in Hebræo; legerunt ergo, & exemplaria*

illa

illa ita habebant: nec novum eſt, eos alia etiam tunc legiſſe, quæ nunc non habentur vitio Scriptorum, quod etiam in Vulgato dicendum eſt. Credere enim debemus Evangeliſtæ id affirmanti, minusque periculum eſt dicere, Hebraica exemplaria ex parte non haberi perfecta, quam aſſerere in Evangelio errorem, ſeu mendacium vel minimum reperiri. (ee)

(ee) Si cui hæc de ſequenda 70. Interpretum Chronologia a me problematice, non apodictice producta argumenta diſplicent, noverit Chronologiam hanc ſolam ab Eccleſia primis ſex ſeculis fuiſſe adhibitam, neque hodie penitus abjectam, quia, ut Antonius Contius in notis ad Cap. 2. Chronologiæ Nicephori CP. contra Hebraici textus defenſores loquitur, cum computationi 70. Interpretum ſuffragetur Divini Lucæ Evangeliſtæ genealogia a Chriſto ad Adamum replicata, nefas duxit tam Græca, quam Latina Eccleſia Hebraicam ſequi numerationem, ac non potius eam amplecti, quæ ex Evangelio auctoritatem accipit. Quid ad hæc Adverſarii? Lucæ lectionem in Græco fonte, & Latina editione ab annis plus quam 1500. erroneam circumferri, & uſurpari, dicere non verentur, ut Hebraicorum codicum fidem, quam Eccleſia nunquam aſſeruit, & quam tot rationum momenta ſuſpectam reddunt, mordicus tueantur, tota antiquitate repugnante, quæ Chronologiam ex 70. verſione retinuit, & a diluvio ad Abrahamum plus minus 942. ab Origine Mundi usque ad annos gratiæ (exceſſu, aut defectu exiguo haud attento) 5199. numeravit. Satis eſt Chronologiam 70. Seniorum præ Hebraica viris ſumme Orthodoxis, licet paucioribus, noſtro etiam tempore probari, rem eſſe de cetero utraque ex parte incertam, & indeciſam, & in ſolis numeris conſiſtentem.

SECTIO III.

VULGATÆ EMINENTIA, AC DIGNITAS ASSERITUR, UT LABORE CONFICIENDÆ EX FONTIBUS VERSIONIS, QUÆ IN LOCUM HUJUS SUFFICIATUR, ET PUBLICO USUI DESTINETUR, OMNINO SIT SUPERSEDENDUM.

§. I.

Vetus Itala refertur, cui Hieronymiana ſucceſſit.

I.

Poſt 70. viralem verſionem *Vulgata* in Eccleſiis Occidentis celeberrima eſt, quæ paſſim Hieronymiana appellatur, hanc alia præceſſit per prima quinque ſecula uſurpata, quæ infantiam naſcentis Eccleſiæ Occidentalis lacte Verbi Divini enutrivit, *Latina* V. Tti ex 70. virali, N. Tti ex Græco Originali, incerto Authore, aut, quod diverſitate ſtyli argui creditur, diverſis Authoribus Apoſtolicæ ætati ſupparibus expreſſa translatio. Cum enim primo ſtatim ſeculo communis liturgiæ Latinæ uſus fuerit, in qua vulgari hac Occidentis lingua. (quæ in toto Romano Imperio ubique vernacula, aut ſaltem non ignota fuit, atque in Africa teſte Auguſtino inter blandimenta nutricum diſcebatur,) Evangelia, Epiſtolæ, & Prophetiæ populo prælegebantur, eademque lingua, ut ex homiliis Patrum conſtat, expli-

plicabantur ,neceſſarium omnino fuit, jam tum factam ex Græcis codicibus in Latinum interpretationem extare, quæ, quod in Italia, & Regionibus Romano Imperio ſubjectis ejus uſus eſſet, *Itala*: quod uſus hic frequentiſſimus, & verſio ex 70. quæ *koine*, ſeu communis dicebatur (pag. 263.) foret deſumpta, *Communis:* quod lectio ejus ubique vulgaris eſſet, *Vulgata:* & propter parem primordiis Eccleſiæ Chriſti ejus antiquitatem, atque etiam ratione recentioris Hieronymianæ *Vetus* dicebatur.

Multæ tamen etiam aliæ, & inter ſe diſcordantes erant, ſed omnes ex 70. translatæ V. Tti editiones Latinæ: Patres, Cyprianus, Tert. Hilarius, Ambroſius, variis pro ratione provinciarum, in quibus degebant, translationibus utebantur, quod diverſitas allegatorum ab ipſis eorumdem ſcripturæ textuum ſatis manifeſtat. Auguſtinus aſſerit L. 2. de Doctr. Chr. C. 11. ideo *Latinos homines duabus aliis linguis ad Divinarum Scripturarum cognitionem opus habere, ſcilicet Hebræa, & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſiquam dubietatem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. - - Propter diverſitates, ut dictum eſt, Interpretum, illarum linguarum cognitio neceſſaria eſt; qui enim Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Græcus codex, & aliquid facultatis ſibi utriusque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Hanc novæ adornatæ a ſe verſionis ex Hebræo non poſtremam rationem frequentius adducit Hieronymus, va-

riare in infinitum codices Latinos, jam autem *verum non eſſe, quod variat, etiam maledicorum* (ſuorum Adverſariorum) *teſtimonio comprobari. Cum apud Latinos tot fere ſint exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt.* Præf. in Joſue.

Sed inter omnes tam diverſas, ac multiplices verſiones Latinas *Itala* optima, & ceteris præferenda eſſe judicabatur. *In ipſis autem interpretationibus Itala ceteris præferatur, nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ.* inquit Auguſtinus L. 2. de Doct. Chr. C. 16.

Eſt profecto ſumma perfectio verſionis, ſi verborum ſit tenacior cum perſpicuitate ſententiæ, tamen, quisquis *Italæ* hujus author fuerit, eum Theopneuſton, ſeu Divinitus inſpiratum dicere non eſt neceſſe, nec tot jam elapſis ſeculis ullus hoc ſibi aſſirmandum putavit; hæc proin verſio, ſive quod jam primitus imperfectior in nonnullis eſſet, ſive quod lapſu temporis mendis non careret, primum ab Hieronymo, poſtmodum ab Eccleſia tota, novæ, quæ jam Hieronymiana dicitur, poſthabita, tandemque omnino deſerta eſt, & nova Hieronymi tacito potius Eccleſiarum conſenſu, quam ullius Synodi, vel Pontificis decreto, cujus apud nos extet memoria, ſenſim, & per gradus progrediente tempore ita prævaluit, ut, dum usque ad tempora Gregorii M. Apoſtolica Sedes utraque editione uteretur, ſola deinceps ubique terrarum in Occidentalibus Eccleſiis obtineret; *Itala* autem illa *vetus* non tantum jam obſoleta in deſvetudinem abiverit, ſed inſuper ævo ſequiori

in-

incumbente in Orbem Chriſtianum bellorum procella, & triſti barbarie penitus fuerit amiſſa *(ff)* ut in uſu publico nullum jam exemplar, nullus vel MS. codex ſuperſit, notabili tamen ejus parte in Vulgata noſtra editione, ut ex dicendis elucefcet, permanente.

(*ff*) Inſtaurare eandem ex ruinis, & de Patrum fragmentis colligere, quantum licuit, molitus eſt Flaminius Nobilius, ſuumque conatum Romæ an. 1588. publici juris fecit, ſed puram eſſe hanc veteris illius Italæ editionem, quæ ante Hieronymum in occidentalibus Eccleſiis legebatur, nondum eſt demonſtratum. Idem eſto de Evangeliario Cl. Blanchinii Romæ an. 1749. edito judicium. (Vide Tom. VI. Polyglott. Anglic. Valton.) Calmetus in Diction. Bibl. voce: *Vulgata* pag. 527. dicit aperte, veterem Italam prorſus interiiſſe, cum ætate noſtra, quantum ſcire poſſumus, nulla ſuperſint exemplaria: idem tamen voce: *Biblia* pag. 183. cenſet, rem fore non difficillimam, totam hanc Italam reparare, cum non prorſus peſſumiverit, variaque poſt alios adducit MSS. e quibus velut partibus poſſet redintegrari. *Vetus Itala nullibi* (inquit) *integra reperitur*, ſed *ſi accurate Bibliothecæ perquirerentur, omnem omnino veterem hanc verſionem inveniendam eſſe puto.* Ad finem Tom. VII. Comment. Bibl. in indice variarum Lectionum adfert vetuſtiſſimum ſec. VI. codicem Corbejenſem, cujus, & aliorum codicum ope, quos in vetuſtis Bibliothecis invenire eſt, minime dubitat, quin vetus Italica in IV. Evangeliis reſtitui queat; etiam Lucam Brugenſem meminiſſe vetuſti codicis e Malmundarienſi monaſterio, quæ veterem vulgatam contineat. Memoratu dignum eſt, in citt. codice Corbejenſi non dici Evangelium ſecundum Lucam, ſed ſecundum *Lucanum*, namque juxta quoſdam codices (apud eundem Calmetum proleg. in Luc.) *Romanum* hoc ipſi nomen, vel Lucio, aut juxta Grotium Lucillio fuit, ex quo ſolita contractione formatum Lucas in uſum abiit, ut vana ſit vocis hujus a

lyke

II.

Videamus Hieronymi in emendatione, & verſione Bibliorum labores eximios!

1° Vertit, ex meliori in hexaplis Origenis extante Græca editione 70. virali vel omnes 22. libros canonis Hebraici, ut vult Bellarminus, vel cer-

---

lyke gr. lux, aut Hebr. *lækachh* doctrina apud Corn. a Lap. derivatio.

Quæ autem ſit Italam inter, & hodiernam Vulgatam differentia, juvat uno, alterove exemplo illuſtrare. 1. Quoad V. T. generatim Itala habuit, ſicut 70. viralis communis editio, utpote inde expreſſa. E. G. Jobi 7. 1. pro eo, quod legimus: militia eſt vita hominis ſuper terram: quod preſſius eſt ad Hebræum ferentem: *halo tzeba leœnoſch yal arœtz*: *an non militia eſt mortali ſuper terram?* Itala cum 70. habuit: nunquid non tentatio eſt vita hominis ſuper terram? ejusdem Jobi 14. 4. hodie legimus: *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es* (potens)? Patres noſtri Cypr. L. 2. contra Jud. Leo M. Greg. M. L. 8. Moral. c. 3. & alii paſſim allegant juxta 70. quis mundus erit a ſorde? nemo, etſi unus dies ſit ejus ſuper terram: vel nec infans unius diei ſuper terram. Hebræus conciſè: mi jitthen tahor mittame? lo æchhad. quis dabit, h. e. præſtabit mundum de immundo? neque unus. Pſ. 127. 2. labores *manuum tuarum* quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Itala habuit labores *fructuum tuorum;* unde S. Hilarius, varia opinatus, dein addit: labores fructuum tuorum manducabis, quaſi perverſe (h. e. inverſe) videtur dicere non intelligentibus; debuit enim dicere fructum laborum tuorum manducabis. Hier. erroris fontem epl. 34. edit. Vallars. detegit: *Latini enim de Græci verbi ambiguitate decepti Karpus fructus magis* (h. e. potius) *quam manus interpretati ſunt, quum Karpi manus quoque dicantur, quod in Hebræo ponitur chaphach.* (h. e. volæ tuæ, manuum tuarum) In tali verſionis ambigua ſignificatione fons utiliſſime conſulitur.

2. Quoad

certe pleroſque, quod potiore jure putat Nicol. Serrarius, alios vero emendavit. Ut nihil dicam de Commentariis ejus maxime in Prophetas præclariſſimis, omni eruditione refertis. Aug.

2. Quoad N. T. Matth. 2. 5. Jeſum natum in Bethlehem *Judææ* loco Judæ (quæ melior, & ſola vera eſt lectio, ſect. 1. pag 27.) ferebat Itala. Matth. 6. 11. & Luc. 11. 3. in Oratione Dominica ex Itala ſupereſt in ore omnium: panem noſtrum *quotidianum*, quod apud Lucam hodiedum legitur, ubi *epiuſios* incertæ ſignificationis vox *quotidianus* redditur, quod Lucæ græca expreſſio *ton arton ton epiuſion to kath hémeran* firmare videtur, ut *to kath hémeran* vocis ambiguæ epiuſios intelligatur eſſe explicativa. Fruſtra hic ad ſecularem, & prophanam Græcorum literaturam recurritur, apud quos tam non invenitur *epiuſios*, quam *periuſios* a 70. Exo. 19. 5. pro Hebr. Segulla h. e. peculio, eximio, ſingulari uſurpatum, teſte Hieronymo ab iis diſci non potuit; & vero: ſi ab *uſia* h. e. ſubſtantia, vel ſecularium acceptione, ſubſiſtentia, aut ſubſtantia h. e. opes, & facultas derivaretur, jota de *epi* per apoſtrophum tolleretur, neque *uſios*, ſed *uſiódes* diceretur, ita Platonici *epuſiódes* vocant, quod accedit ſubſtantiæ. Itaque vox eſt ab Evangeliſta Luca, qui fors etiam Matthæum Græce reddidit, non ſecus ac aliæ quædam voces, efficta. Hieronymus *ſuperſubſtantialem* tranſtulit, quoniam *uſia* ſubſtantia eſt, credi poteſt, ab eo ſuperſubſtantiale dici, quod accedit, aut debet accedere, & velut ſupervenire alendæ ſubſtantiæ noſtræ corporeæ, ut facile idem ſit quotidiano; ipſus tamen aliquando interpretatur aliquid ſubſtantia noſtra corporea ſuperius, aut reliquas excellens ſubſtantias, ut *tó periuſio*, excellenti æquipolleat, & Euchariſticus animæ cibus inſinuetur, quod loco non quadrat. Chryſoſtomus, ſi quis in Græcæ vocis explicanda poteſtate dexterrimus, a notione *quotidiani* non abhorret, Theophylactus vero *tó periuſió* ſumpto pro eo, quod eſt ſuperfluum, & abundans, cenſet opponi, quaſi dicat: *panem ſufficientiæ*, memini pag. 148. Orientales

epl. ad Hier. meminit interpretationis Jobi ab ipſo ex Græco eloquio in Latinum verſæ; teſtatur Hier. L. 2. Apol. prioris ex 70. ſe in Latinum vertiſſe Proverbia, & Eccleſiaſten; Præf, in

les aliquos ab omnibus retro ſeculis huic interpretationi conſenſiſſe. Ex me ſi quæras; Aut denotatur panis, quem ad alendam ſubſtantiam noſtram ſecundum neceſſitatem reparandi corporis de die in diem Dan. 1. 5. Prov. 30. 8. 1. Tim. 6. 8. oportet *ſupervenire:* panis, qui conſervandæ noſtræ ſubſtantiæ accedere, & *ſupervenire* debet, h. e. neceſſitatis, & ſufficientiæ, a quo non procul abeſt *quotidianus.* Aut *Craſtinus*, de die in diem ſuccedaneus: putat Grotius, poſteaquam ex autoritate Hieronymi, qui extans apud Nazaræos Hebraicum, ſed jam in multis vitiatum Matthæi archetypon inſpexit (pag. 114.) conſtat, vocem archetypam fuiſſe *machhar* h. e. *craſtinum*, litem eſſe diremptam; ſane melior, & etymologiæ conformior nulla ſuppetit verſio, *epiuſe hémera* ſequens, inſequens, *craſtinus dies* Lucæ uſitatiſſima eſt locutio Act. 7. 26. & 16. 11. & 20. 15. & 21. 18. & 23. 11. pari igitur flexione, & ſignificatu facillime dixit panem *craſtinum*, prout in Hebraico Matthæi legebatur, *epiuſion*, quaſi epionta, novo formato ex *epiuſe* adjectivo; valet iſtud maxime, ſi Lucas eſt, qui Matthæum ex Hebraico in Græcum transtulit. Atque ita etiam Michaëlis transfert: Brod auf morgen gieb uns heute. Quantum contextus adverſetur, video. VV. 25. 31. 34. nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi: (curabit ſua, ſponte adferet tempus neceſſaria) ſed anxiam, a Deo avocantem, quæ cor a Divino obſequio impediat, ſolicitudinem (ex græco verbo merimnan) vetari puto, nec proprie *craſtini*, ſed remotioris futuri, (qua latitudine cras in Bibliis ſumi conſvevit) qua theſauros in ventura tempora parant avari v. 19. Sin minus probas, duc ab *eimi: vado*, ut vadens, ſuccedens de die in diem panis, vel ad hoc, ut exiſtamus, & vita noſtra decurrat, neceſſarius ſignificetur, & poſt Philologicas di-

in LL. Paral. dicit: „memini editionem 70. olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris.„ Ad hujusmodi emendationem ipſum in citt. epl. hortatur Aug. „Plurimum profueris, ſi eam Græcam ſcripturam, quam 70. operati ſunt, *Latinæ veritati* reddideris, quæ in diverſis codicibus ita varia eſt, ut tolerari vix poſſit, & ita ſuſpecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari dubitetur.

diſceptationes id, quod reliquimus, rurſus recipiamus: *quotidianum.*

Ad Rom. 12. 11. (eſtote) *ſpiritu ferventes, Domino ſervientes.* Itala: *tempori ſervientes.* 1. Tim. 1. 15. & 3. 1. cum Græca quædam exemplaria ferrent loco: *piſtos ho logos: anthrópinos ho logos*, nato, ut exiſtimat Grotius, errore ex ſcribendi compendiis non diſſimilibus, quæ poſteriores loco piſtos pasés apodochés axios: anthrópinos integre, ſed male ſcripſerunt: etiam Itala habuit *humanus ſermo* loco *fidelis ſermo* h. e. fide, & acceptatione, omnique approbatione dignus, tamquam veriſſimus: ſi quis Epiſcopatum deſiderat (functiones Epiſcopales) bonum *opus* deſiderat. Graviter hanc Italæ lectionem reprehendit Hieronymus, dicit enim: illi bipedes aſelli legant: tempori ſervientes: nos legamus Domino ſervientes: illi humanus ſermo: nos cum Græcis, & Apoſtolo: fidelis ſermo. Rurſus: Comment. in c. 2. v. 5. ad Gal. dicit in Itala circumferri: *quibus ad horam ceſſimus:* debere autem legi: *quibus neque ad horam ceſſimus*: prout nos reipſa habemus: ejusdem epl. ad Gal. c. 5. v. 8. *perſvaſio veſtra ex Deo eſt:* Hieronymus habet: *non eſt ex eo, qui vocat vos.* Sic & nos legimus. Comment. epl. ad Eph. c. 1. v. 14. vulgo legi: *qui eſt pignus hæreditatis in redemptionem adoptionis:* loco adoptionis verti oportere *acquiſitionis:* atque ſic exhibet Vulgata noſtra. Ex quibus & differentia Vulgatæ ab Itala vetere elucefcit, & una docetur, Vulgatam noſtram eandem ipſam eſſe, quæ e manibus S. Hieronymi fluxerat, quod uberius iſthic declaratur.

2° Certum eſt, Hieronymum hortatore Damaſo Papa N. T^tum ad meliores codices Græcos reformaſſe, & ab illapſis nævis purgaſſe fideliter, nunquam autem vertiſſe. Et quidem IV. Evangelia vivente Damaſo accurate emendavit, ſed cum Pontifex ille jam tum morti appropinquaret, probabilius obiit ante conſumatam totius N. T^ti emendationem, cui, poſtquam 18. annis Pontificatum geſſiſſet, annus poſt Chr. 384. emortualis fuit. Ipſe præf. in Evan. ad Damaſum ſcribit: *Novum opus facere me cogis ex veteri, ut poſt exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa quaſi quidam arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant, quæ ſint illa, quæ cum Græca conſentiant veritate, decernam.* Periculoſam præſumptionem videri, aſſvetum vetuſtæ lectioni, & caneſcentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum, ſe velut falſarium, aut ſacrilegum vulgi ſermonibus proſcindendum, qui audeat aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere. *Adverſus quam invidiam duplex cauſa me conſolatur: quod & tu, qui ſummus Sacerdos es, fieri jubes: & verum non eſſe, quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus? tot enim ſunt exemplaria pæne, quot codices.*

Auguſtinus epl. 10. C. 4. ad Hieronymum ſcribit: *Proinde non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es* (hoc eſt: emendando dilucidaſti) *quia pæne in omnibus nulla offenſio eſt, cum Scripturam Græcam contulerimus. Unde ſi quiſpiam veteri falſitati contentioſius*

fa-

faverit, prolatis, collatisque codicibus vel docetur facillime, vel refellitur. Cui reponit Hieronymus epl. 10. inter Auguſtinianas: „Si me, ut dicis, *in N. Tti emendatione* ſuſcipis, exponisque cauſam, cur ſuſcipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes notitiam de meo poſſent opere judicare: eandem integritatem debueras etiam in V. credere Tto, quod non noſtra confinximus, ſed ut apud Hebræos invenimus, Divina transtulimus. Sicubi dubitas, Hebræos interroga.„ Citt. l. præf. ad Damaſum indicat, IV. Evangelia a ſe fuiſſe *codicum Græcorum emendata collatione, ſed veterum, quæ ne multum a Lectionis Latinæ conſvetudine diſcreparent, ita* (inquit) *calamo temperavimus, ut iis tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* Etiam in verſione V. Tti aliquantula addit quandoque cauſa claritatis, etſi Hebræus non habeat, ſolet enim ſermo Hebraicus eſſe præruptus, & conciſus, præterea ipſa Hebraica interdum variarunt exemplaria: ita ad Suniam, & Fretellam Pſ. 34. 10. ſcribit: „multa ſunt exemplaria apud Hebræos, quæ ne ſemel quidem *Dominum* habent, hodie (fors hodierna) vero ſemel habent„ Oſe. 5. 13. alii male legunt per mem literam jayarim, (ita habetur & hodie) quæ transfertur in ſilvas pro jareb. „In C. 1. Hab. „præterea ſciendum, in quibusdam Hebraicis voluminibus non eſſe additum omnis, ſed abſolute legi.„ Unde enunciat univerſaliter: „Nos ne ſententia pendeat, Latinum ſermonem ſua proprietate complevimus. Item ad Sun. & Fret.„ Noluimus ergo immutare, quod ab antiquis legebatur, quia idem ſenſus erat - - & nos antiquam interpreta-

cujus ille morte præventus approbator eſſe non potuit. 2º Prophetas Majores, & minores an. 393. & 394. eodem tempore & duos Esdræ, ac Jobum. an. 398. Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum conticorum, Paral. Joſue, Judic. Ruth, Eſther. Animadverſionem porro meretur, verſionem Pentateuchi ipſum anno 403. paraſſe, nec ante annum 404. abſolviſſe, Quæſtiones autem Hebraicas in Geneſim anno 390, vel juxta alios 388. fuiſſe elucubratum, ideoque 14. aut 16. annis tardius; decurſu tanti temporis facile ſancto viro poterant meliora in mentem venire, quam dum Quæſtiones illas ſcriberet, poterat de nonnullis ſerius aliter judicare: vulgari Græcorum proverbio jactatur: poſteriores curas, & cogitationes meliores eſſe (deuteræ phrontides ſophoteræ) *(gg)* Ex quo igitur Hieronymus in qq.

(gg) Calmetus in Dict. Bibl. voce: *Vulgata*: Biblicos Hieronymi labores hoc ordine proponit: conatus eſt primum verſiones quasdam ex Græco adornatas reformare, atque bis recenſito Pſalterio circa an. 382. & 389. dein ad alios Bibliorum libros manum admovit. 1. Paulâ, & Euſtochio rogantibus vertit IV. LL. Regnum. 2. Ad preces Marcellæ Jobum. 3. Prophetas M. & minores. ac Librum Esdræ. 4. Pſalmos, quos dein ex Latino in Græcum transferendos Sophronio tradidit. 5. Heliodoro, & Chromatio rogantibus tres libros Salomonis: Prov. Eccle. Cantic. 6. Deſiderii amici ſui poſtulationibus Pentateuchum. 7. In gratiam Euſtochii, Joſue, Judic. Ruth, Eſth. & rogante Chromatio Paralip. Anno jam 392. certo extabant verſi ab ipſo ex Hebræo IV. LL. Reg. Job, XIV. Proph. Pſal. LL. Salomonis: Esdras, & Geneſis ad ſpatium inter an. 392. & 394. Paralip. ad an. 396. judicio ipſius pertinent. Juverit legere etiam Præfationes Hieronymi ad calcem Bibliorum editionis Vulgatæ appoſitas.

qq. illis textus quospiam aliter interpretatur, quam verſi proſtent in Vulgata, male argueretur, hanc non eſſe Hieronymi. Apte Arnol. Bootius in animadv. ſacris ad textum Hebr. Londini 1644. ſe ſtare ab Hieronymo, ipſum eſſe Vulgatæ authorem, illam verſionis, & interpretationis diverſitatem haud obſtare, nam & Pagninus aliter vertit in Bibliis, aliter interpretatur in Lexico plus 600es. Sed & Erasmo vitio tribuit Beza Præf. N. T. quod ea, quæ uno loco comprobavit, alio rejiciat locis pæne infinitis. Non omnis itaque diverſitas diverſum illico arguit authorem. Volebat nempe Hieronymus, ne novitatis jam inſimulatus, modis plus diris ab Adverſariis ſuis proſcinderetur, quædam immutata relinquere, quod illicó in primo Bibliorum capite manifeſtavit, dum enim interpretaretur: *Et Spiritus Dei incubabat aquis*: aut *fovebat aquas*: illud tamen in verſione ex 70. *epephereto* h. e. *ferebatur ſuper aquas*: retinuit, quod Tertullianus in Hermogenem C. 32. legit: ſupervectabatur aquis: & mox Gen. 4. 4. ut ut veritatem translationis (non tamen verbalem, quæ verè eſt: cum delectatione reſpexit) apud Theodotionem *inflammavit* (incendit enepyriſe) Deus munera Abel, in interpretatione ſua maxime probaret, vertit nihilominus, ſeu potius ex 70. retinuit: *reſpexit* Dominus ad Abel, & munera ejus. Ita ne ad alia divertamus, eodem hoc loco V. 8. etſi antea, dum Quæſt. in Geneſ. ſcripſit, illud Caini ad Abelem: *egrediamur foras:* ſuperflue additum putaverit, quod abeſſet ab Hebræo, poſterius meliori ſcrutinio in verſione retinendum cenſuit; ex Aquila (ait Vallarſius in notis ad h. locum) videtur retinuiſſe; iſtud

ſi

ſi verum eſt, Aquila legit in Hebræo, qui verbum verbo religioſiſſime reddere conatus, nihil addidit, quod non eſſet in textu.

III.

Jam non abs re quæritur, an Vulgata noſtra ſit ex verſione, & emendatione S. Hieronymi? ſeu eſtne Hieronymus author Vulgatæ? Affirmat, & multis rationibus oſtendit Joan. Mariana (pag. 15. & 52.) Diſſert. pro editione Vulgata c. 18. Tom. III. Menochii pag. 80. Nempe quæ in V. T^to ex Hebræo ſe vertiſſe, aut emendaſſe dicit Hieronymus, nos in Vulgata, contra, ac in vetere Itala legebantur, habemus expreſſa, & a 70. virali lectione manifeſte diverſa; quod inductione probare non tam eſſet difficile, quam negotioſum, & multi temporis. Certe in Pentateucho annos antediluvianorum Patriarcharum non ſecundum calculum 70. Seniorum, ſed ſecundum textum Hieronymi Hebraicum (pag. 310.) numerat Vulgata noſtra. Gen. 2. 2. *die ſeptimo* Deum opus ſuum compleviſſe (pag. 311.) Jonæ 3. *adhuc* 40. *dies* loco 3. (pag. 310.) c. 4. v. 7. *hederam pro* veteris Italæ *cucurbita*, (pag. 185.) Oſe. 11. 1. *ex Ægypto vocavi filium meum* (pag 271.) ponit, & exhibet Vulgata noſtra, prout Hieronymus aſſerit ſe vertiſſe. Quis demum alius eſt, ſi non ipſe verſor Hieronymus, qui notas Vulgatæ noſtræ in Daniele appoſuit? (pag. 176.) Poſtremo: ut ſatis manifeſtaria eſt Vulgatæ noſtræ ab Itala vetere diſcrepantia, ita obvia, & conferentibus perquam facile obſervabilis ejusdem cum Hieronymiana tranſlatione convenientia.

Sed

Sed quæſtionem hanc claritatis cauſa *quatvor propoſitionibus* bene reſolvit Bellarminus L. 2. de V. D. c. 9. *Secundum primam propoſitionem:* N. Ttum habemus ab Hieronymo ex Græco emendatum; aliqua tamen, licet in commentariis corrigenda cenſeret, vel intacta reliquit in textu, ut ad Rom. 12. *ſapere ad ſobrietatem*, quod L. 1. in Jovin. mavult vertere: *ad pudicitiam:* vel progreſſu temporis meliora edoctus aliter judicavit: nam commentaria in epl. ad Gal. Epheſ. Tit. præceſſerunt N. Tti emendationem. Exemplum eſto! 1. Cor. 13. 3. ſi tradidero corpus meum, *ita, ut ardeam: hina kauthéſomæ.* Hier. in c. 5. epl. ad Galat. ex authoritate Græcorum, quos ille nactus eſt, codicum, qualis eſt hodie Alexandrinus (pag. 121.) præferebat: *ita ut glorier: hina kauchésómæ:* a kauchaomæ: glorior: h. e. magnificum quid reputans, cum exultatione de benefacto ſecurus animo acquieſcam. At minus apte, orta ex ſimilitudine utriusque verbi Græci varietate lectionis, quia pro conſveta lectione *ardeam* Græca potiora, & Latina exemplaria, nec non Patrum conſenſus ſuffragium ferunt. Non itaque ſemper Hieronymi verſionem Eccleſia in tali controverſo textu acceptavit, quæ in hujusmodi dubiis ſola tutiſſima, & unica eſt magiſtra. (pag. 204.)

Secundum alteram: Pſalterium nobis ex antiqua translatione ex verſione 70. non hexaplari, quæ paſſim longe perfectior fuit, ſed *koine* illa communi, quæ vulgo *Luciani* dicebatur, ſed ab Hieronymo emendatum ſupereſt, quod erudite more ſuo adductis exemplis oſtendit eminenter doctus iſte Cardinalis; *pleraque* enim,

quæ

quæ Hier. inſinuat ſe emendaſſe, aut melius haberi in hexaplis, in noſtro Pſalterio deprehendas: E. G. non inveniebantur in hexaplari editione illa Pſ. 5. 9. *dirige in conſpectuo tuo viam meam:* ſed *dirige in conſpectu meo viam tuam*, monente Hier. ad Suniam, & Fretellam, imo nec apud alios interpretes excepta communi, & Vulgata; poſteriorem lectionem: *in conſpectu meo* h. e. ante, vel coram me *viam tuam:* lepanaj darchæcha: offert etiam hodie Hebræus, nec tamen realis eſt differentia; nobis viatoribus curſus vitæ, quem providentia Dei nobis prædeſtinavit, via eſt, *noſtra* vivendi neceſſitate, *Dei* deſtinatione; ex Hebræo ſenſus eſt: dirige h. e. ſublatis inimicorum inſidiis ſecuram fac, & planam coram me, ante meos oculos, viam a tua providentia mihi præſtitutam, juxta quam me vivere voluiſti. Omnis noſtra actio ſalutaris ad Deum velut principium ſuum principaliter, & efficienter debet referri. Et quod legitur Pſ. 73. 9. quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei a terra, h. e. aboleamus, exterminemus e regione iſta. In 70. hexaplari ferebatur: incendamus, vel comburamus *katakauſòmen*, & ſola communis habuit *katapauſòmen* h. e. *quieſcere faciamus*: *niſcraph*, vel ſimile aliud tempus, & primam perſonam veteres videre in Hebræo oportuit, qui hodie ponit: *ſcarephu chol moyade El baarætz*: *combuſſerunt omnes dies feſtos*, (ſolemnitates) *Dei in terra* nempe hujus regionis. (Germ. im Lande) Sed feſti dies non bene dicuntur *comburi*, itaque veteres quidam, & plerique recentiores per *moyed*, ut alias, Synagogas intelligunt, & domos publicis precibus erectas, quas Chaldæorum furor igni tradidit,

dit, nec ſatis efficaciter contendunt Sigonius, & Vitringa Synagogas ante captivitatem Babylonicam Judæis in Palæſtina defuiſſe; Hebræus præmiſſo V. *incenderunt ſanctuarium* firmatur, melior tamen poteſt cenſeri verbi *ſcaraph*, illa *tzaraph* ſuperſtes apud Arabes ſignificatio, *mutavit, ceſſare fecit*, ut adeo 70. lectio eadem, quæ noſtra hodierna, primitus fuerit *katapauſòmen*, pauſare, ceſſare faciamus, quia *moyed* proprie eſt feſtus dies ſolemnitatibus conſecratus. *(hh)* Pſ. 103. 16. memorat Hier. 70. vertiſſe lagòis h. e. *leporibus*, ut hodiedum habet codex Alex. Ald. in edit. Reineccii Lipſ. an. 1757. Pſ. 104. 18.

(*hh*) Ab hoc verbo *ſcaraph uſſit*, *incendit* ducitur *ſeraphim:* ita ſerpentes preſtéres, ſeu kauſónes, qui, ſi Dioſcoridem audias, ipſæ dipſades ſunt, â *prétho*, vel *kæo* h. e. uro, incendo, & *dipſao*, ſive ſitio Græcis dictos, quia juxta veritatem, & Rabbinos Kimchhium, ac Salomonem halitu oris adurunt, venenoque dentium in homine ardorem, ſitimque producunt, Moyſes appellat Deut. 8. 15. Num. 21. 6. qui Bocharto in his explicandis citra dubium palmam omnibus eripienti, hydri, & cherſydri ſunt, in aquis, interdum vero his deficientibus etiam in ſicco degentes (Hieroz. par. 2. pag. 422.) a quibus ſpecie non abludunt alati ſerpentes, non tantum ut acontias, ſeu jaculus, ſalientes, ſed in morem veſpertilionum alis inſtructi, vere volantes oculatis teſtibus etiam hujus temporis confirmantibus, atque ideo *meyophephim* h. e. volantes inſtar avium, quales non tantum India, ſed vel ipſa Gallia narrante Scaligero fert, Iſai. 30. 6. nominantur, Vulgatus regulos (baſiliſcos) volantes, qui ex Arabia in Ægyptum turmatim irruunt, quosve ibes necare ſolent, interpretatur. *Angelis*, quos ardor tendentis in Deum caritatis ſpecialius inflammât, & propterea inter IX. claſſes cœleſtium ſpirituum ſupra Cherubim collocati primum locum tenent, nomen iſtud tribuitur Iſai. 6. 2. & 6. forte, quod

18. in notis: cuniculis; in textu vero *chœrogryllis*, h. e. Hebr. *ſcaphan*, a vicino *tzaphan* abſcondere, occulere, quia ſcrobum latebras quærunt ad latendum, nam, ut canit Martialis *gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris*. Hieronymo Chærogryllus non eſt herinacius, ſeu *echinus* Hung. Sül-diſznó, tüvéſes, tüskés borz, ſed iſto quidem non major, habens ſimilitudinem muris, & urſi, ideoque in Palæſtina dicitur *arctomys*, Arabum *jerbuyo*, muris majoris ſpecies in Palæſtina, Ægypto, & Lybia, Herodoto *bipes* dicitur, quia ſic incedit, & velut urſus, manuum loco anterioribus pedibus utitur, Chærogryllus h. e. porcus dictus eſt a ſagina, & pingvedine, & quia talis mus roſtro ſuem refert; creditur hoc *ſcaphan* Hebr. vocari, ſicut ab eadem voce ſumpta pro cuniculis (ſpecie leporum notiſſima) ibi copioſis, regnum *Hiſpaniæ* per Phœnices primo ſic dictum nonnulli cenſent. Cum igitur Hier. vertendum dicat *leporibus*, & ipſa hexaplaris editio ita habuerit, lectio Vulgatæ noſtræ a verſione Hieronymi, & hexaplari editione in Pſalmis diverſa eſt.

Univerſim Hieronymus in accuratiorem Pſalmorum editionem Latinam quadruplicem laborem adhibuit. 1° Dum a ſecretis eſſet Damaſo Papæ, eodem ſvaſore ipſam ad fidem codicis Græci an. 383. emendavit, ſed tantum *curſim*, & *ex parte*. „ Pſalterium Romæ dudum poſitus emen-

quod unus eorum carbone vivo ignita forcipe de altari ſumpto os Iſaiæ Prophetæ tetigerit, & *aduſſerit*, mundans, ut, etſi antea labiis pollutum ſe diceret, intelligeret nihilominus, idoneum ſe redditum, qui voluntatem Dei tamquam ejus legatus populo annunciaret.

emendaram: & juxta 70. Interpretes, *licet curſim, magna tamen ex parte* correxeram. Quod quia rurſum videtis o Paula, & Euſtochium ſcriptorum vitio depravatum, me cogitis, ut veluti quodam novali ſciſſum jam arvum exerceam, & obliquis ſulcis renaſcentes ſpinas eradicem, æquum eſſe dicentes, ut quod crebro male pullulat, crebrius ſuccidatur. epl. ad Paulam in capite Pſalterii anno 384. aut 383.

2° Facit itaque iſtud ex Græco codice hexaplari novam verſionem ipſis adornans, appoſitis obelis, & aſteriſcis (pag. 189.) ut quisque ſciret „ubi virgula fuerit præcedens, inde usque ad duo puncta in 70. translatoribus plus haberi, ubi vero ſtella fuerit, usque ad duo puncta, de Hebræis voluminibus additum juxta Theodotionis duntaxat editionem, qui ſimplicitate ſermonis a 70. Interpretibus non diſcordat.„

3° Sophronio hortatore ex Hebræo Pſalterium vertit in Latinum an. 391. cum enim hic diſputans cum Judæis pro Chriſto ex Pſalmis teſtimonia juxta verſionem 70. protuliſſet, Hebræus *per ſermones pæne ſingulos aſſerebat non ita haberi in Hebræo*, verſionem itaque ex Hebræo ab Hieronymo flagitat, cujus ille poſtulationi lubens detulit, quia, ut dicebat, licet translationem 70. diligentiſſime olim emendatam ſuæ linguæ (Latinæ) hominibus dederit, & in Eccleſia ſic legi Pſalmos, ſicut hactenus eſt conſvetum, oporteat, tamen aliud eſt in Eccleſiis Chriſto credentium Pſalmos legere, aliud Judæis ſingula verba calumniantibus reſpondere. Alibi quoque inſinuat, ſuæ non fuiſſe intentionis, ut nova ipſius ex Hebræo verſio publice in Eccleſia legatur, & in locum uſitatæ veteris ſufficiatur,

ſo-

ſolum adhiberi cupit ad inveſtigandum, & melius intelligendum ſenſum. Propter conſvetudinem ſic pſallendum in Eccleſia ajebat, ut nos (ex 70.) interpretati ſumus, & tamen ſciendum, quid Hebraica veritas habeat propter notitiam (uberiorem) Scripturarum. *(ii)*

 4° Po-

(ii) Hæc verſio extat inter OO. Hieronymi edit. Vallars. Tom. IX. in Divina S. Hieronymi Bibliotheca, a verſione Pſalmorum, qua nos utimur, longe diverſa, quæ ut in publicum uſum in Eccleſiis aſſumeretur, fieri non potuit; fuiſſet enim populus Chriſtianus non parum turbatus, qui ſecundum vetuſtam editionem canendis Pſalmis adeo conſvevit, ut reddere eos de memoria complures poſſent. Si lectio *hederæ* Jonæ 4. loco *cucurbitæ* ipſi etiam Eppo. tam periculoſa extitit, prout narrat Auguſtinus epl. 71. (pag. 339.) quid eventurum fuiſſe putamus, ſi totum Pſalterium nova hac verſione fidelibus oblata velut in aliud commutatum audiviſſent?

E re eſſe puto, eam, quæ inter noſtram Vulgatam, & Hieronymi verſionem intercedit, in Pſalmis differentiam ob oculos Lectoris ponere. Aſſumamus præprimis Pſalmum 118. Hebræis 119. (pag. 133.) quia cum ad *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *&* *Nonam* ſacerdotibus quotidie ſit recitandus, notiſſimus eſt: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Acroſtichus, (ubi initiales literæ ordine ſe excipiunt, & collectæ aliquas voces efficiunt, vel certum quempiam ſenſum, aut nomen proprium, ut illud Sibyllæ: Jeſus Chriſtus Deus Salvator.) ſeu potius Alphabeticus eſt, eoque contextus artificio, ut octoni primi verſus conſtanter â prima Alphabeti Hebraici litera *Aleph*, octoni ſequentes a ſecunda litera *Beth*, rurſus octoni a *Daleth* incipiant, & ſic progrediendo usque ad finem Alphabeti, cum literæ ſint XXII. his in VIII. ductis (22. X. 8.) totus Pſalmus omnium longiſſimus 176. verſibus conſtat; quo vero orantibus Divinæ legis recordatio firmior adhæreſcat, aliquod legis hujus Synonymum in omni verſu repetitur, excepto 122. in quo ſolo nulla ſit legis mentio. Itaque *Vul-*

4° Poſteaquam rurſus illapſis vitioſis lectionibus Pſalmi fædarentur, iterum accuratius emendavit, quæ emendatio creditur in hodierna noſtra Vulgata ſupereſſe, repugnantibus multis Criticis, cen-

Vulgata juxta 70.	*Verſio S. Hieronymi ex Hebræo.*
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.	In quo corrigit juvenis ſemitam ſuam? quum cuſtodierit verba tua.
Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis.	Servus autem tuus meditabatur præcepta tua.
Dormitavit anima mea præ tædio.	Diſtillavit anima mea præ ſtultitia.
Viam mandatorum tuorum cucurri.	Viam mandatorum tuorum curram.
Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.	Oſtende mihi Domine viam præceptorum tuorum, & cuſtodiam eam per veſtigium.
Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ.	Carmina erant mihi præcepta tua.
Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodivi.	Antequam audirem, ego ignoravi: nunc autem eloquium tuum cuſtodivi.
Hæc facta eſt mihi (fæm. loco neutrius.)	Hoc factum eſt mihi (Hebræi neutro gre. carent.)
Narraverunt mihi iniqui fabulationes: ſed non ut lex tua.	Foderunt mihi ſuperbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam.
Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.	Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter æternam retributionem.
Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.	Quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ: propterea dilexi teſtimonia tua.
Confige timore tuo carnes meas: a judiciis tuis timui. Pſ.	Horripilavit a timore tuo caro mea: & judicia tua timui. Et

cenſet Calmetus Tom. IV. Diſſert. in Pſalmos pag. 35. art. 3. Vulgatam a Conc. Trid. approbatam, & quoad Pſalmos in Officio Divino receptam, velut novam ex hexaplis verſionem

Pſ. 1. Et in cathedra peſtilentiæ (hominum peſtiferorum) non ſedit	Et in cathedra deriſorum (religionem deridentium) non ſedit.
Pſ. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?	Quare turbantur gentes, & tribus meditantur inania?
v. 6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus prædicans præceptum ejus (Sect. 1. pag. 4.)	Ego autem orditus ſum Regem meum ſuper Sion, montem ſanctum meum, annunciabo Dei præceptum.
Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus.	Adorate pure, ne forte iraſcatur.
Pſ. 4. 3. Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem?	Filii viri! usquequo inclyti mei ignominioſe diligitis vanitatem. (pag. 4.)
v. 8. A fructu frumenti, vini, *&* *olei* ſui multiplicati ſunt.	A tempore frumentum & vinum eorum multiplicata ſunt.
Oleum alias addi ſolitum 70 hîc adjecêre, vel excidit ex Hebræo. Error eſt amanuenſium *karpu* h. e. fructu, pro *kæru* h. e. tempore, nam in Hebræo eſt *meyeth* â tempore.	Hebræus dat ſenſum: majorem tribuis cordi meo lætitiam, quam ſit lætitia, quo fertiliſſimus eſt annus, & quo frumentum, ac vinum eorum multiplicantur. Lætitia meſſis, & vindemiæ in Bibliis pro maxima lætitia ponuntur.
Pſ. 8. 6. minuiſti eum paullo minus ab Angelis h. e. parvum feciſti præ Angelis, Angelis paulo minorem feciſti.	Minues eum paullo minus a Deo. Ælohim non pro Angelis, ſed pro Deo accepit, ut accipiunt hodie valde multi.
Pſ. 90. Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectio-	Qui habitat in abſcondito Excelſi, in umbraculo Do-

eam ipſam eſſe, quam Hieronymus in ſeceſſu Bethlehemitico exaravit, quæ eadem ſit cum illo Pſalterio Gallicano, quod habendum putat, tamquam translationem inter omnes optimam. Ve-

---

ctione Dei cœli commorabitur. -- A ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano. Hebr. non timebis ab eo, quod noctu timeri ſolet, nec a ſagitta interdiu volante, nec ab occultis, (nec a manifeſtis hoſtium inſidiis) nec a peſte inambulante (invadente) in tenebris, nec ab exitio vaſtante (al. nigrante, obfuſcante) in meridie. 70. aut *veſched: et a diabolo* legerunt, aut ſi codex eorum habuit *jaſchud*, h. e. quod vaſtat in meridie, exitium, per hoc diabolum, veluti hujus mali authorem intellexerunt, aut, quia res peſtilentiſſima fuit, diabolus vocitabatur: rurſus: *ſcad* Arabum, Hebr. *ſchud* etiam nigrum, atratum eſſe notat, anne dæmon omnia vaſtare, & perdere natus, a colore nigro luctûs, & ſiniſtræ fortis indicio *ſched* appellabatur? ſicut, dajava, vel deva, Syris, Perſis, aliisque nationibus ab atro

Domini commorabitur. -- A ſagitta volante per diem, a peſte in tenebris ambulante, a morſu inſidiantis meridie. Nihil vidit in codice Hebræo de illo *dæmonio* Sanctus noſter, niſi forte id voce inſidiantis notaſſet, at 70. loco hodierni *jaſchud: vaſtabit* legentes veſched popter literarum ſimilitudinem, dæmonium poſuerunt, quod *ſched* diabolum ſignificet, & plurale *ſchedim* Deut. 32. 17. Pſ. 106. 37. occurrat pro dæmonibus; quod exemplar autographi literam mutaverit, 70. ne, vel hodiernum Hebraicum, ægre definias. Obſervatu dignum, Aquilam ſervum illum literæ Hebraicæ etiam vertiſſe: a morte dæmonis meridiani, vel: a dæmone vexatæ meridiei, vav igitur legit non jod, vel certe per id, *quod vaſtat* in meridie, dæmonium intellexit, ut 70. Exitium meridianum, (cujus, cauſa efficiens diabolus putabatur) eſt ardor ſolis, & calidus tum ventus

Verum dicatur, prout libuerit, vetus Itala Lucianea, aut Italo-Hieronymiana, illud ſemper in confeſſo erit, non eſſe illam ex Hebræo ab Hieronymo factam verſionem. *Romanum* au-

 tem

tro colore nominatur. Monachi veteres dæmonium meridianum vocabant genus morbi, quod ſenſibus, & mente, quos corripuit, privavit.	tus iter facientibus in locis Syriæ lethalis, meridie ſæviſſime furens, aërem rarefactum afflans enecat viatores, qui pallio tecti humi ſe abjiciunt, dum prætereat, Arabibus vocatur Sammiel.
Pſ. 138. 2. intellexiſti cogitationes meas de longe. V. 12. tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur.	Intellexiſti malum meum de longe. v. 12. Nec tenebræ habent tenebras apud te & nox quaſi dies lucet.
Non eſt occultatum a te os meum, (oſſa mea ante conſpectum tuum) quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ (in utero matris) imperfectum meum (corpus, adhuc embryonem me) viderunt oculi tui, dies formabuntur, & nemo in eis. (etiam noti tibi ſunt dies, quibus ſum in utero formatus, nullus eorum dierum fugit te.)	Non ſunt operta oſſa mea a te (coram te) quibus factus ſum in abſcondito, imaginatus ſum (paſſive h. e. delineatus, effigiatus) in noviſſimis terræ, informem adhuc me viderunt oculi tui, dies formati ſunt, & non eſt una (tibi ignota) in eis.
Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum: *reya* vox maxime polyſema amicos, ſed juxta ipſam Vulgatam hic v. 2. cogitationes ſonat, aliter malum,	Mihi autem quam honorabiles ſunt amici tui Deus! quam fortes *pauperes* eorum! legit *raſchehem* ſine Aleph, ut 1. Reg. 18. 23. quod valet pauperes. Theodotion etiam vertit pauperes *penétæ*. Alii:

tem pſalterium, ab eo, quo jam utimur, diſtinctum illud eſſe putatur, quod a tempore Apoſtolorum usque Hieronymum in Eccleſia Romana obtinuit, & ab eodem Hier. eſt curſim, & ex

lum, ſocius, paſtor &c. prout ab hac, aut illa radice ducitur. Vulgo vertitur: quam pretioſæ, & cognitu difficiles ſunt cogitationes tuæ (immenſa illa de univerſo hoc cura) quam robuſta, h. e. valida, & magna eſt ſumma earum! ſi numerem, arenas excedunt. Negat tamen Schultenſius *reya* ſaltem Hebraice (facilius concederetur Chaldaice) cogitationes in Bibliis deſignare, licet ſic habeant Lexica, ſane v. 17. veteres *amicos* vertunt præter 70. Syr. Chald. Rabbini ipſi. Negat *roſch* ſummam, numerumve ſignificare, Locos Num. 1. 2. Exo. 30. 12, Collat. Gen. 40. 13. nullam ſummæ notionem evincere, contendit *capita* verti debere, h. e. individua. Judic. 5. 50. 2. Sam. 3. 8.

Alii: quam cari, æſtimati, pretioſi, mihi ſunt o Deus amici tui! magnificata, æſtimatiſſima ſunt mihi eorum *capita* h. e. individua: vel potius: quam gravis numero eorum Summa! enumerem eos? plures ſunt arenis, Hebræi, Arabes, Græci. Latini caput pro ipſo homine, perſona, ac *individuo* uſurpant, atque etiam ſcripturæ, quod Calmetus in C. 32. v. 4. Exod. inſinuat, Schultenſius vero fuſius demonſtrat in h. l. Virgilius canit Æn. 5. *Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes dat numero capita in naves* h. e. ut nos Hung. dicimus fruſta, darab, Germ. Stuck.

Pſ. 72. 10. Dies pleni invenientur in eis. al. aquæ largiter bibuntur eis. Omnia ipſis ſunt in abundantia: non a *matza invenit*, ſed a *matzatz* exſuxit derivari debere. V. v. 7.

Quis plenus invenietur in eis. *mi* legit non *me*, *Vav* fortaſſe pro Aleph ſtare ratus eſt. Hodie paſſim verti obſervo: aquæ plena (pocula) exſuguntur eis.

Pro-

ex parte emendatum; Eccleſia Romana aliud non novit in publico officio usque ad Paulum V. qui veteris Italæ uſu Romæ abolito Vulgatam ſubſtituit. Pſalmus tamen 94. *Venite exultemus!* Anti-

v. 7. prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis. Hebr. hodie *vav*, & *jod* facile permutatis: exeunt oculi eorum (eminent, præ pingvedine, nempe quia in bonis ducunt dies ſuos, pingveſcunt, & ideo oculi eorum prominent, quia macie, & inedia exhauſtis introrſum recedunt.

Proceſſerunt a pingvedine oculi eorum: tranſierunt cogitationes cordis. Houbigantius *daleth* præ *reſch* loco convenire ratus legi vult *yabad* ſerviverunt affectibus cordis, ſeu: perfecerunt ſuas imaginationes. Sed 70. viralem lectionem, adeoque in Hebræo primigenio *vav* præ hodierno *jod* multa ſvadent; porro *chælæb* adeps, etiam *cor* ſignificat: prodit ex corde iniquitas eorum.

Pſ. 89. 10. Si autem in potentatibus, 80. anni, poſtea labor & dolor. Si quis diu vivit, 80. anni ſunt, deinde ſenectus ipſa eſt morbus.

Si autem multum, 80. anni, & quod amplius eſt, labor, & dolor.

Pſ. 64. 14. induti ſunt arietes ovium, h. e. more Græco loco: Ovibus: induerunt arietes ſuas oves, ſeu ineunt, & gravidant, ſicque pro utilitate Dominorum ſuorum agni multiplicantur, agit enim Pſalmus de larga Dei in paſcuis benedictione. Hebræis, & cognatis eorum Arabibus *induere* fæmellam mas dicitur, ſicut *inire* Hebræis & Latinis

Veſtientur agnis (augebuntur) greges. Conſequens ponere maluit: multi vertunt: induuntur paſcua ovibus, Heb. labeſchu charim hatzon. h. e. copioſe obteguntur, Hung. el-lepi a nyáj a mezzőt, ſicut alias verbo *induo* copia notatur, ſed *charim* negant alii paſcua unquam, ſolos aſſerunt arietes ſignificare. Monent Hebræi ſacrum Scripto-

tiphonæ Veſperarum, Matutini, & Laudum, maxime in Officiis Sanctorum ex Rom. Breviario deſumptis, introitus Miſſarum, & potiſſimum Antiphonæ, & reſponſoria tridui hebdomadæ ſanctæ

tinis eodem ſignificato commune eſt. Immo uxor veſtimentum viri vocari videtur Mal. 2. 16. Korani eadem phraſis eſt Sura 2. 182. *laboſch* h. e. indumentum ſunt vobis uxores, itaqne utamini illis.

Pſ. 65. 15. Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boves cum hircis.

Pſ. 87. 11. nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici (eos) ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? (non ſane!)

Rephaim an debiles, languidos, an mortuos, ſeu *manes*, an robuſtos, & gigantes valeat, an *ropheim* h. e. medicos hoc loco deſignet, controvertitur: eodem redit: mortui non reſurgent, & medici eos non amplius ſuſcitabunt. Gigantes ipſi quoque mortui ſunt, qui gemunt ſub aquis in loco damnationis Job. 36. 5. nunquam inde reſurrecturi.

Pſ.

torem ſic loqui *ſermone uſum honeſto*, alio æquipollente verbo uſus eſt Chaldæus: *Saliunt* arietes in oves.

Pſ. 65. 15. Faciam tibi boves cum hircis. Hebræis enim *yasca* Græcis *rezo*, Latinis *facio* verbum eſt ſacris conſecratum pro *ſacrifico*, cum faciam vitula, pro frugibus ipſe venito. Hoc facite in meam commemorationem.

- - - Aut gigantes ſurgent, & confitebuntur tibi? an *kal*, vel *hiphil* h. e. neutrum, vel paſſivum intelligatur, unius *jod*, & *vav* vix ſæpe in MSS. perceptibilis differentia efficit: alii cenſent *kum* in *kal*, ſicut Græcum *anaſtéſo* active quoque ſumi, *ſuſcitabunt* proin 70. recte transtuliſſe; ita Homerus *anaſto* active ſumit: *ude min anſtéſeis* neque ipſum ſuſcitabis. verſio 70. emphaticóteros: adeo mortuis non prodeſſe mirabilium operum productionem, cum nec medici, qui tamen ad ſanandum alios nati ſunt, eos valeant ſuſcitare.

Quid

ctæ cum gradualibus & tractibus eorum dierum ex Pſalterio Romano, XV. ſeculis Romæ uſurpato, ſuperſunt. Ipſum Pſalterium Romanum manet adhuc in Eccleſia Vaticana; S. Marci Vene-

Pſ. 51. 1. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua. *Chhæſæd* jam benignitatem, jam impietatem, jam miſericordiam, jam ſcelus indigniſſimum, & opprobrium: *Gibbor* jam gigantem, jam potentem, ſæpe impium, ſuperbum, in alios ferocientem valet. Al. quid gloriaris in malo o potens! o tu ſceleſte! miſericordia Dei omni die (perdurat.)

Quid gloriaris in malitia potens? miſericordia Dei tota eſt die, inſidias cogitat lingva tua. *el* pro nomine Dei Hieronymus, 70. pro præpoſitione: *ad omnem diem*, ſeu tota die: acceperunt. Diacriticas notas apponit quisque, ſicut vult, Vulgata: *omni die* ad ſequens transfert, & *chhæſæd* pro iniquitate ſumit, alii ad *chhæſæd* volunt pertinere.

Pſ. 78. poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam, h. e. in vile tugurium ruſtici, poma in agris, vel alios fructus cuſtodientis, ex 70. *opórophylakion*, caſam autumnalibus fructibus cuſtodiendis ex temere congeſtis lapidibus poſitam.

--In acervos lapidum. Hebr. *yi* proprie iſtud ſignificat, deſolatiſſimum prioris decorè ſtantis ædificii ſtatum. Miche. 1. 6. Iſa. 17. 1. 70. tuguriola intelligunt, quæ ſibi ſtruunt hortorum, & vinearum cuſtodes, ut inde fures ſpeculentur, ſeque ab æſtu ſolis defendant, ait Capellus in annot. ad C. 1. Micheæ.

Pſ. 10. 5. Oculi ejus in *pauperem* reſpiciunt. Vox ſignificationis fere incognitæ *chhelechah*, apud Arabes *hhálch*, obſcurum, infauſtum, & ex in-

Oculi ejus *robuſtos* circumſpiciunt. A *chhajil* robur arceſſit (pag. 19.) In Hebræo Pſ. 10. v. 8. de impio pauperes ad inſidiandum iis reſpiciente ſer-

netiarum, &, licet nonnihil diſcrepans, in Eccleſia Mediolanenſi. Hæc ex mente Calmeti l. citt. pag. 35. Tom. IV.

Se-

- inde miſerum, abjectumve ſtatum denotat, hinc pauperem. Alii a *chail* robur, vires, & *chaah* attritus derivant, ut ſit viribus attritus, aliqui poſt Rabbinos exponunt: *copiis tuis* inſidiantur, ut *chah* ſit ſuffixum, *jod* in chhajil exmiſſum.

Pſ. 9. 7. periit memoria eorum cum ſonitu. 70. *homæh* ſonans, ab *hamah* tumultuatus eſt, perſtrepuit, *beth* mente ſubaudito, ſubſtantivum eſſe rati cum echo, ſeu ſonitu verterunt. Sed Pſalmorum explanationem, prout ad defenſionem Vulgatæ referenda eſt, in aliud tempus reſervo, jam concludo, dicoque.

Pſ. 150. Laudate Dominum in ſanctis ejus, omnis Spiritus laudet Dominum. Dum Sanctos cœleſtes ob connexionem cum Deo, & de ſupernaturalibus perfectionibus eorum laudamus, non minus in eis Deus, quam magiſter in bonis diſcipulis laudatur, nec tamen ex eo textus ad cultum Sanctorum a Catholicis, niſi cauſa illuſtrationis adplicatur; *San-*

ſermo eſt, in Vulgata Pſ. 9. 31. ænav. lechhelcha jitzphonu. aſt ubi nos Pſ. 10. 5. de Deo habemus: oculi ejus in *pauperem* (ad miſerendum, & ei ſuccurrendum) reſpiciunt, 70. *penéta* pauperem ponunt, Hebræus vero nihil novit de paupere.

Periit memoria eorum cum ipſis. Æque *beth* ſubaudivit, & *hemah* ipſi, ut pronomen reſpexit. Et ipſimet, & omnis eorum periit memoria. *hemah: ipſi* meram ſuperfluam eſſe adjectionem, emphaſim tamen continentem Albert. Schultenſius in h. l. edit. Amſtelod. 1709. pag. 134. & pag. 27. Gen. 49. 8. erudite probat.

- - In ſancto (templo) ejus omne, quod ſpirat, laudet Dominum. *Spiritus* Hebr. *neſchamah* eſt ſpirationem habens, Spiritu animatum, ſeu vivens, ſeu inſtrumentum, quod flatu animatur, & reſonare poteſt, (ex contextu) quidquid aut inſtrumentum eſt ad ſonum aptatum, aut vitales ducit Spiritus, (non vero, ut vulgo intelligitur, ſub-ſtan-

Secundum 3am Bellarmini propoſitionem: Libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, adde Baruch cum epl. Jer. partes Danielis, & Estheris (pag. 176.) pariter, uti Pſalmos, ex antiqua Itala retinemus. Profecto ſtylus, & vocabula complura in his libris occurrentia a Latinitate Hieronymi aliena videntur, ut adeo ex Græco non ille verterit, in Hebraico autem iſtos præter primum Machabæorum non invenit. Phraſes ſpeciales ſunt Librorum Sap. Eccle. *honeſtare* pro locupletare, *honeſtas* pro divitiis, interrogatio pro pœna, *monſtra* pro miraculis, *reſpectus* pro ultione Dei. Sap. 10. 10. Jacobum *juſtum* fugientem a furore fratris ſui Eſau in Meſopotamiam *deduxit Dominus per vias rectas*, recta, & ſecura via, & *oſtendit illi* velut in umbra Gen. 28. 16. *regnum Dei* per myſticam illam ſcalam, qua Angeli aſcenderunt, & deſcenderunt, *honeſtavit illum in laboribus*, per labores apud Laban ditavit eum, & *complevit labores illius*, completa laborum mercede auxit eum; omni confeſſori ſpirituali ſenſu Deus iſtud præſtat, ideo textum iis, quorum perſonam velut repræſentarunt S. Patriarchæ, N. Legis confeſſoribus accommodat Eccleſia. Sap. 1. 7. Spiritus Do-

Sanctum, aut *Sancta* in plur. hic templum valere vix dubium eſſe poteſt, Clericus tamen *bekodſchav*, ut 70. videntur legiſſe, ſeu, ut nunc eſt, *bekodſcho*, beth in ſignificatu cauſæ ſumpto, interpretatur *propter ſuam Sanctitatem*.

ſtantiæ intellectuales, & ſpirituales, quæ ruchhim vel ruchhoth potius dicuntur) omne, in quo eſt ſpiraculum, laudet Dominum. Amen! genoito!

Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis (nimirum locutionis humanæ etiam ſecretioris) & *hoc* loco: & *hic* nempe Spiritus: neutro genere verſum eſt, quia in Græco *pneuma* Spiritus eſt neutrius generis, caſtigatius verteretur: & hic (Spiritus Domini) qui continet, immenſitate ſua comprehendit omnia, ſcientiam, & cognitionem habet omnium ſermonum oris, & cogitationum cordis, unde e veſtigio ſubjicitur: propter hoc, qui loquitur iniqua, non poteſt latere.

Tobiæ, & Judith libros e Chaldaico Hieronymus vertit, e cujus manibus in Vulgatam venerunt. Mirari non deſino (ita ipſe ſcribit ad Chromatium, & Heliodorum) exactionis veſtræ inſtantiam, exigitis, ut librum Chaldæorum ſermone conſcriptum, librum utique Tobiæ ad Latinum ſtylum traham, quem Hebræi de catalogo Divinarum Scripturarum ſecantes, his, quæ hagiographa nominant, manciparunt (pag. 8. & 164.) feci ſatis deſiderio veſtro, & utriusque linguæ (Hebr. & Chald.) peritiſſimum reperiens unius diei laborem (pro reviſione credo ſola) arripui: & quidquid ille mihi (de locis ambiguis) Hebraicis verbis expreſſit, hoc ego *accito notario* ſermonibus Latinis expoſui. Peræque Librum *Eſther* Hieronymo ex archivis Hebræorum revelante (pag. 202.) habemus, ſaltem veriſimiliter iſtud dici poteſt, neque obſtat una, alterave barbara, & incultior locutio, quæ aut ſerius ſubrepſit, aut ex veteri Itala cum nonnullis aliis lectionibus inemendata manſit, puta: Tob. 2. 20. Unde factum eſt, ut hædum caprarum accipiens detuliſſet *domi*, loco: domum, vel 5. 21. Angelus Dei comitetur (comes ſit) vobiſcum.

Se-

Secundum 4am Bellarmini propoſitionem: Reliqua omnia, adeoque 22. libri canonis Hebraici omnes, in Vulgata noſtra ſunt ex Hieronymi facta ex Hebræo textu verſione. In hanc ſententiam quoad rei ſummam hodie Catholici plerique concedunt, heterodoxi quoque multi non inviti conſentiunt, & jure merito: nam

1° Ut probant Bellarminus, Serarius, Mariana (ut ſuperius vidimus pag. 399.) quod Vulgata ſit immediata ex Hebræo verſio, ipſa quodammodo clamat, cum pæne ubique concordat Hebræo, & diſſentit Græco, ut conferenti patebit.

2° Actu præfationes, quas Hieronymus epl. ad Aug. dicit ſe appoſuiſſe, in noſtra Vulgata leguntur; has irrepſiſſe, verſionem autem non una fuiſſe acceptatam, ſine omni ratione quispiam comminiſceretur. Quid quod Hieronymi notæ hodiedum inexiſtant partibus Danielis, & Eſtheris olim controverſis (pag. 176.)

3° Autopſia (ſi quis ipſe inſpiciat) docet, paucis demptis in Vulgata cetera legi non juxta 70. ſed prout verti, legique debere Hieronymus monuit. E. gr. in Job 800. verſus in Itala defuiſſe aſſerit, qui adſunt in noſtra Vulgata. En verba ſancti! „ Suſcipite - - beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatumque - - Ego in lingua noſtra feci eum habere, quæ amiſerat apud Latinos ante eam translationem, quam ſub aſteriſcis, & obelis nuper edidimus, 700. ferme, aut 800. verſus deſunt, ut decurtatus, & laceratus, corroſusque liber fæditatem ſui publice legentibus præbeat. Hæc autem translatio ex ipſo Hebraico, Arabicoque ſermone, & interdum Syro nunc verba, nunc ſen-

 ſus,

ſus, nunc ſimul utrumque reſonabit.,, Atqui ita reſonat & Vulgata noſtra. Sed & in Prophetis ſic legimus omnia, ut dixerat ille vertenda.

4° Multa arguit Hieronymus in 70 male eſſe poſita, ſic, aut aliter verti debere, & nos accurate ita habemus, indicio haud obſcuro, noſtram Vulgatam ipſius eſſe verſionem. Superfluum eſſet loca & aliunde nota, & jam ſæpius commemorata proferre. Oſe. 11. 1. Zach. 12. 10. (pag. 271. Sect. II.) Jonæ 4. de hedera loco cucurbita, Gen. 2. 2. die ſeptimo. Gen. 2. 23. hæc vocabitur *virago*, ita Hier. poſuit, ut luſum, ſeu etymologiam, & a voce: *vir*, prout in Hebræo, etiam in Latino derivationem indicaret, imitatus Symmachum, qui ob eandem cauſam poſuit *andris*, ficut & Latine veterum uſu juxta Feſtum dicebatur vira, voce virago magis deſignante mulierem animi virilis, ac quaſi heroinam: 70 ponunt *gyné* h. e. mulier, quia *ek tu andros: ex viro* ſumpta eſt, alluſione pereunte. Theodotion ex *naſca* tulit, ſumpſit, ducendum ratus, *lèmma* h. e. ſumptio, vel aſſumptio vocabitur, quia de viro aſſumpta eſt; varietate accentûs inquit Hieronymus. h. e. cum *iſcha*, vira per ſchin ſcribatur, ſi ab *iſch* vir formatur: per *ſcin* ſcribitur, ſi a *naſca* derivetur. Ibidem: immiſit Dominus *ſoporem* in Adam: Hebræus: *thardemah* ſomnum valde profundum, 70. ecſtaſim h. e. ſtatum ſenſationis expertem, mentis exceſſum, Tertullianus legit *amentiam*, Aquila, ut vocis Hebraicæ energia exprimeretur, *Kataphoram*, Symmachus *karon* h. e. ſomnum profundiſſime inſtar lethargi mergentem, & opprimentem, quaſi cum gravedine capitis, transpoſuerunt.

5°

5° Hæc eſt inde a tempore natæ hujus verſionis Hieronymianæ uſque ad nos non interrupta ſerie deducta fere totius orbis Chriſtiani perſvaſio, Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici Hieronymo poſteriores, quicunque Latinam noſtram V. T^ti^ verſionem explicuerunt, aut citarunt, Hieronymi eſſe affirmarunt, vel certe ſuppoſuerunt, negavit nemo. Et vero: Si Vulgata non eſt illa Hieronymi, cujus igitur erit? cui tandem cum fundamento attribuemus? *(kk)*

 Nec

(*kk*) Ad explicanda ea, quæ Whitakerus Diſput. de S. Scriptura (pag. 91.) & poſt ipſum alii congeſſerunt, ut Vulgatam non eſſe ex verſione, aut emendatione Hieronymi oſtenderent, obſervandum 1. Ex quo Vulgata noſtra hodie ab Hebræo, aut Græco textu diſcrepat, male illico concludi, etiam ætate Hieronymi diſcrepaſſe, proin Hieronymianam non eſſe: quia videlicet potius hodierna fontium exemplaria ab iis, quibus Hieronymus uſus eſt, poſtmodum diſceſſerunt, & in locis controverſis ſæpius vitioſa fluunt, quod judicia graviſſimorum virorum pag. 40. 42. 47. 48. 52. 88. 89. 90. affatim probant, & Calmetus Tom. 1. Præf. in Gen. pag. 13. poſt medium ita enunciat: „conſtat non unico exemplo Hebræum textum, quem ille (Hieronymus) in ſua verſione adhibuit, diſcrepaſſe in multis ab eo, quem habemus ſuperſtitem „ atque iſtud obtinet potiſſimum, ſi textus ſit momenti majoris, qualis ſane in Eccleſiæ Catholicæ ſinu majori fide, ac vigilantia eſt conſervatus, quam apud perfidos Judæos, aut Græcos a fide ex parte devios.

2. Hieronymum non tam verba, quam ſenſum voluiſſe reddere, ut non ſemel ipſe profitetur: ſic Eccle. 1. 15. vertit: *perverſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus*: licet Hebræus ferat: perverſum non poteſt corrigi, & *defectus* non poteſt numerari: hæc poſterior expreſſio Latino ſermone foret obſcurior: illa priori, ſi recte intelligatur, ſenſus opti-

Nec tamen reputandum eſt Vulgatam noſtram integerrime eandem eſſe, quam Hieronymus aut vertit, aut juxta meliores codices emendavit, Hieronymi enim recte dicitur, cum a ma-

optime redditur; perverſi enim & ſtulti phraſi Biblica maxime Salomonis reciprocantur, impios homines Scriptura ſtultos, & peccatum vocat ſtultitiam: dixit inſipiens (ſceleſtus) in corde ſuo: non eſt Deus: ſcientia, ſeu ſapientia practica eſt vitæ probatæ, & bene moratæ ratio. Improbi nonniſi labore improbo, corriguntur, & eorum *defectus* a vero, & recto adeo varius, & multiplex eſt, numerari ut non poſſit, cum totus Mundus libidinibus, & vitiis plenus ſit, practicæ, & Deo probatæ ſapientiæ defectus h. e. vitæ probæ, nullo poteſt exprimi numero, id eſt: ſtultorum (talium, non vero mente captorum) infinitus eſt numerus.

3. Polyſemiam vocum Hebraicarum, quæ variantium, & a ſe invicem ſæpiſſime, ac plurimum diſcordantium mater eſt fæcundiſſima (p. 409. 413.) in cauſa fuiſſe, cur Hieronymus ſæpe aliter in commentariis explicaret, aliter in verſione, ubi brevitati ſtudendum eſt, ponendum dein cenſeret. (pag. 397.) Eadem quippe vox Hebræa, præſertim ſi puncta, quæ ætate illa nondum ſunt inventa, removeas, & hoc, & illud, & tertium ſignificare ex æquo poteſt.

4. Ipſe priorem ſuam expoſitionem quandoque mutavit. e. gr. L. de opt. gener. interpr. & Præf. in Pent. dicit. Iſai. 11. non debere verti: & flos de radice ejus aſcendet: ſed loco flos Nazaræus, (pag. 274.) quod tamen vertit ſicut habemus. L. 3. Comm. in Iſai. agnoſcit male ſe vertiſſe *refrænantem*, poni oportere: *laſcivientem*, in quo Eccleſiam non habuit ſuffragantem, quæ refrænantem prælegit.

5. Aliqui leviores errores etiam in Vulgatam progreſſu temporis irrepſerunt, quorum emendationem Concilium Trid. X. ſelectis Doctoribus demandavit, inter quos primus nominatus eſt Antonius Filiolus Archi Eppus. Aquenſis, ſed nonniſi Sixtus V. & perfectius Clemens VIII. præſtitit, ac facta etiamnum in leviori-bus

majori, & potiori parte fieri ſoleat denominatio, mixta tamen eſt ex parte, non paucis ex 70. retentis, idque potiſſimum perſpicitur in L. 1. Reg. & Prov. quandoque etiam ex una in aliam edi-

 tio-

bus an. 1631. emendatione hæc deinceps Vulgatæ editio inſtar normæ eſſe cœpit, a qua nulli typographorum licet porro diſcedere, niſi in illa reperiretur manifeſtus error typi, nec ulli fas eſt edere Vulgatam additis ad marginem variantibus lectionibus, aut inſertis in textum, quæ nonnullis ſupereſſe videantur, levioribus mendis, qualia, ſedpaucula omnes confitentur, cum ipſa Clementis præfatio inſinuet, quædam, etſi mutanda viderentur, conſulto relicta fuiſſe, (pag. 42.) hanc editionem pro humana fragilitate omnibus numeris abſolutam difficile eſſe affirmare; modum tamen excedunt in mendis his multiplicandis Franc. Lucas Theologus, & Decanus Cath. Eccle. Audomarenſis (pag. 81. ubi linea 12. zero uno excidente 4000. reponito, conferr. Tom. VI. Polygl. Anglic.) Natalis Alexander Tom. IV. Hiſt. Art. VI. edit. Venet. an. 1776. â pag. 529. usque 584. qui errores tres, & centum aſſignat, ſed a cujus judicio, non obſtante parata contra Fraſſenum apologia in multis diſcedendum eſſe oſtendam inferius. Joan. Cabaſſutius autem in notitia Conciliorum edit. Venet. 1772. pag. 419. prope finem, ubi agit de Conc. Trid. hæc mendoſe legi animadvertit.

1. Eccleſiaſticum univerſim corruptiſſimum eſſe, 2. Paral. 22. 2. & alibi, uti & in LL. Regum numericum errorem interdum occurrere. Pſ. 118. v. 147. *præveni in maturitate*, citra dubium poni debere: *præveni in immaturitate*, ſeu tempore nondum maturo, nondum opportuno.

2. In N. T. Matth. 1. in genealogia mendum eſſe. C. 27. 9. nomen Jeremiæ loco Zachariæ corrupte ſtare. Ad Rom. 5. quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, fatente etiam Corn. a Lap. ex Græco in accuſativo poni debere: *in Chriſtum*, *in mortem ipſius*. Rom. 11. 33. *inveſtigabiles viæ ejus*, cum revera ſint ininveſti-

tionem plures transfuſæ ſunt ſententiæ, cum librarii aut memoriæ, quæ infida eſſe ſolet, nimium confidebant, aut conſveta magis, quam nova probaverunt; maxima igitur pars, non tamen

---

ſtigabiles. Ad Hebr. 12. 2. Chriſtus crucem ſuſtinuit *propoſito ſibi gaudio*, ex Græco liquere *pro* bis eſſe ſcribendum: pro propoſito ſibi gaudio. Anti tès prokeimenès autò charas.

Quibus explanandis obſerva. 1. Hujusmodi ſphalmata librariorum in minutiſſimis cenſeri. 2. Horum pleraque an ſint errata, poni in ambiguo, certare Criticos. 3. Argumenta hypercriticorum in his ultra conjecturam non aſſurgere, hanc autem inſufficientem eſſe receptis, quibus aſſvevimus, lectionibus immutandis. Profecto nec Jeremiæ nomen eſſe tardius intruſum,. nec in Genealogia Chriſtl apud Vulgatum errorem offerri, optimi tuentur interpretes, & ſi quid valeret ferventius hoc Vulgatam corrigendi ſtudium, adverſus fontem non abſimiliter valeret, quia nulla obſervatur in his Vulgatæ a lectione fontis uſualis aberratio. 4. Si quid authoritatis habet Caballutius, pag. 420. nr. 23. dicit, non ſolum in editione Latina menda ſupereſſe, ſed in ipſis Hebraicis Græcisque exemplaribus certum eſſe, reipſa ita contigiſſe, nr. 24. hanc codicum Hebraicorum depravationem ſecundum Bellarm. Genebrardum, Lorinum ſtatuit ex differentia a 70. virali verſione, & iſtud ſubjicit: *fateri ergo neceſſe eſt, Hebræorum codices, quales a Maſorethis habemus, depravationem ab antiquo contraxiſſe.*

Præveni in maturitate optima lectio eſt: Hebr. Kiddamthi benæſchæph: præveni in caligine, ſeu dum adhuc tenebræ eſſent, crepuſculo matutino, diluculo. 70. *en aoria* h. e. intempeſtive, ſeu, ut in contextu explicatur v. 62. dum tempus matutinæ orationis nondum adeſſet, media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Maturitas non tantum valet conſummationem, & exitum temporis, ſed & altera vulgatiſſima ſupereſt voci ſignificatio, qua acceleratio exprimitur, Horatio reditus ante tempus ſolitum *maturus*,

men corpus totum Vulgatæ ex Hieronymi labore ad nos manavit. Ergo ea eſt noſtra ſententia, plurimos libros noſtræ editionis ex Hieronymi interpretatione eſſe, paucos quosdam ex

rus, & Ciceroni, Livio, Cæſari *maturare* eſt ante tempus facere, prævertere: maturate fugam, Princeps Poëta dicit L. 1. Æn. in maturitate igitur, ſeu mature prævenit, quia conſtitutas horas precantium, & matutinas vigilias prævertit. Ita dico: adhuc eſt maturè, mature veniſti. Bellar. addit, Augûſtinum legere *in immaturitate*, ſed credendum eſſe, potius corruptum fuiſſe codicem, quem S. Aug. habuit, nam S. Hilarius, Ambr. & Hier. legunt, ut nos habemus.

Inveſtigabiles græc. *anexichniaſti* imperveſtigabiles: ſed quis unquam dubitavit *in* hìc, ut etiam Epheſ. 3, 9. non pro merè componente, ſed inficiali particula uſurpari? quamvis non ſemper ita ſumatur, ut jam P. Vasquez obſervavit, veſtigo enim verbum eſt aureæ ætatis, non minus, quam compoſitum inveſtigo, ex quo Eccleſiaſtico ſenſu veſtigabilis, ac negativè inveſtigabilis conſecratur.

Propoſito ſibi gaudio: neque ſenſum mutat græcæ lectionis, neque manum poſtulat emendatricem: ſi dicas crucem pro gaudio ſibi antepoſito Chriſtum ſuſtinuiſſe, etiam ad hoc ſignificandum lectionem priorem aptiſſimam vult Corn. a Lap. ex Græco, ſicut v. 16. Eſau propoſita eſca, vel: pro eſca propoſita jus vendidit primogenituræ. Hic ſenſus uti ſimplicior eſt, & planior, ita germanior quoque eſt, & ſignificantior priori; Calmetus ſic: prior explicatio magis conſentanea eſt cum Græci vocabuli ſignificatione. Latina quædam exemplaria legunt: pro propoſito ſibi gaudio: prior lectio melior eſt teſtibus Eſtio, & Ribera. „ Si quid demum: concedi poſſet, *pro* ſcribi melius ſeparatim, quod tamen neceſſarium non eſt.

In Chriſto baptizari idem eſt, quod in Chriſtum. Vulgo quidem dicitur *in* ſexto caſu jungi, ſi quietem, quarto ſi motum ſignificet, Cicero tamen hanc legem

vetere Itala, neutros omni ex parte ſinceros, ſed quibusdam locis, aut verbis ex diverſa editione commutatis. Concludit Joannes Mariana; (pag. 52.) quod Clemens VIII. in Præf. ipſi Vulgatæ præfixa in terminis pronunciat: Latinam hanc editionem ex Hieronymi translatione ſuſceptam, partim retentam ex antiqua verſione Itala: ut hac ratione peculiari Dei in Eccleſiam providentia Vulgata noſtra, qua Chriſtianus orbis potiſſimum uſus eſt, atque utitur, quidquid ſive in Hebræo, ſive in Græco fonte authenticum eſſet, ipſa concineret.

Hieronymiana ſcilicet verſio, & emendatio tamquam omnium fideliſſima cunctis aliis, ipſi quoque Italæ tacita populorum conſenſione ita prævaluit, ut inde a ſeculo VII. usque ad Conc. Trid. ſola mox, atque unica in omnibus Eccleſiis Occidentalibus legeretur, quam etiam Auguſtinus, etſi minus ei faveret, (pag. 339. & 341.) nihilominus permagni fecit, tamquam a presbytero trium linguarum peritiſſimo profectam, cujus literatum laborem ipſo teſtante etiam Judæi fa-

legem migrat ſæpius, & Lexica notant *in* olim ſine diſcrimine motûs, vel quietis utroque caſu fuiſſe uſurpatum; in græco *eis*, quod motum, & *en*, quod quietem indicat, in N. T. alternis adhibentur, & æquipollent, ſæpius, dum quies in loco exprimitur, *eis* dicitur: Matth. 2. 23. Chriſtus habitavit *eis polin* in civitatem, quæ vocatur Nazareth. C. 4. 13. relicta Nazareth habitavit in Capharnaum maritimam. Si hic mutari propter Græcum Vulgata debet, immutemus etiam receptam hactenus formulam Baptismi, nec amplius *in nomine*, ſed *in nomen* P. & F. & S. S. baptizemus, quia Græce Matth. 28. 19. *eis onoma* poſitum eſt.

ſatebantur eſſe veracem (pag. 342.) & doctrinâ ejus in nomine, & adjutorio Domini tantum in lingua Latina Eccleſiaſticas literas adjutas fuiſſe, quantum nunquam antea potuerunt, profeſſus eſt, Hieronymum his verbis allocutus: (epl. 132. inter Hieronymianas.) Infelix eſt, qui non tantos, & tam ſanctos tuorum ſtudiorum labores & digne honorat, & de his Domino Deo noſtro, cujus munere talis es, gratias agit. Eſt etiam, ubi appellat ad hanc verſionem, tamquam ad Hebraicam veritatem, adducitque locum Amos Prophetæ non ex Itala, ſed, ſicut Hieronymus utriusque linguæ peritus transtulit, cui alibi (epl. 97. inter Hieron.) ſcribit: „de interpretatione tua jam mihi perſvaſiſti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræo, ut ſcilicet ea, quæ a Judæis prætermiſſa, vel corrupta ſunt, proferres in medium:„ agnoſcit hanc vetere clariorem, Hieronymum enim vertiſſe ad literam, 70. vero, ut ad ſpiritualem ſenſum ſcrutandum magis admoneretur lectoris attentio, & *in ſpeculo*, quod eſt Philoſophiæ moralis, & vitæ Chriſtianæ quaſi compendium, fere hanc ſolam aſſumit, quoniam hoc opus ad excitandam in lectoribus pietatem ſenſus exigebat planiores, quos verſio iſta offerebat.

Ex eodem Auguſtino conſtat epl. 10. ad Hier. C. 4. & L. 18. de Civ. Dei C. 43. eandem verſionem ſimul, ac prodiit, apud quosdam fuiſſe receptam, etiam in Africa, namque per oppida, & monaſteria ſine mora vulgabatur (pag. 198.) exemplaria in Africam deferebantur, expetebantur in Italia, Heſychius Jeroſolymorum Eppus. verſione hac uſus eſt, Lucinius ex Hiſpaniis ſex ad Hieronymum miſit notarios, qui

 eam

eam deſcriberent, cui epl. 71. reſcripſit: *Canonem Hebraicæ veritatis excepto Octateucho* (h. e. Pentateucho, Joſue Judic. Ruth: Eſther Ruth cum libro Judicum jungendo, vel ſeparando, & Geneſim excludendo. Vallars. OO. Hier. Tom. IX. Proleg. pag. 79.) *quem nunc in manibus habeo, pueris tuis, & notariis dedi deſcribendum.* Sophronius Hieronymi familiaris Pſalmorum, & Prophetarum verſionem Hieronymianam in Græcum eleganti ſermone transtulit, ut adeo nec Græci dedignati fuerint laborem Hieronymi mutuari a Latinis, ita ipſe Hier. in Catalogo Scriptorum Eccleſ. narrat: „Sophronius vir apprime eruditus opuſcula mea in Græcum eleganti ſermone transtulit: Pſalterium quoque, & Prophetas, quos de Hebræo in Latinum vertimus.„ Promiſcuus V. Italæ, & novæ Hieronymianiæ verſionis uſus fuiſſe videtur usque tempora Gregorii M. quia hic in ſua ad Leandrum in Moralium libros epiſtola ita loquitur: Novam translationem ediſſero, ſed ut comprobationis cauſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo: ut quia ſedes Apoſtolica, cui authore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur. Addit: vetuſta translatio diſſonat, ſed tamen, quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis, Arabicoque eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur, credendum eſt, quidquid in ea dicitur. „S. Iſidorus Hiſp. L. 1. Offic. Ç. 12. & L. 6. Etym. C. 5. ait:„ Hieronymi editione generaliter omnes Eccleſiæ usquequaque utuntur, pro eo, quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis. „Subjicit hanc ceteris merito anteferri, quia verborum tenacior, perſpicui-

ta-

tate ſententiæ clarior, atque, utpote Chriſtiana, interpretatione verior. Hugo Victorinus, ſeu a S. Victore Canonicus Reg. S. Aug. in Regia Pariſienſi S. Victoris Abbatia S. Bernardo amicitia junctus an. 1139. denatus, qui claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo L. de Scripturis C. 9. ſic habet: „Hieronymi translatio, quia Hebraicæ veritati concordare magis probata eſt, idcirco Eccleſia Chriſti per univerſam Latinitatem præ ceteris omnibus translationibus, quas vitioſa interpretatio, ſive prima de Hebræo in Græcum, ſive ſecunda de Græco in Latinum facta corruperat, hanc ſolam legendam, & in authoritate habendam conſtituit.„ In quantum videlicet Univerſalis iſte uſus conſtitutionis loco fuit.

Ipſe hic uſus frequentior erroribus in deſcriptione committendis occaſionem præbuit, ut, quod fatum eſt mortalibus inevitabile, librariorum inſcitia, & indiligentia octavo jam ſeculo quam plurimis exemplaria mendis ſcaterent. Immortalis mem. Imperator Carolus M. ſuarum partium eſſe duxit, invaleſcenti malo medelam facere. „Volumus (ita loquitur *in Capitularibus*) & ita miſſis noſtris mandavimus, & præcepimus, ut in Eccleſiis libri Canonici veraces habeantur; ſicut jam alio Capitulari ſæpe mandavimus.„ Alcuino, ſeu Albino Caroli M. Magiſtro omnium, quos ea tulit ætas, doctiſſimo, prophana non minus, quam Eccleſiaſtica eruditione, nec non Hebrææ, & Græcæ linguæ peritia (quamvis hoc poſterius in dubium vocet Vallarſius OO. Hier. Tom. IX. initio pag. XIV.) exculto, proinde accurato, & in primis idoneo epanorthòtæ (correctori) opus eſt demandatum, qui eo jam valde ſenex, cum annum ageret

plus

plus minus octogeſimum ſecundum, in cœnobio, cui præerat, S. Martini apud Gallos Turonenſes egregie defunctus, V. ac N. T^tum non quidem novè ad fontes Hebræum, & Græcum, quia hoc ſuperfluum putavit, ſed ad ſolos meliores Hieronymianæ verſionis, & emendationis codices exactum, una cum epl. nuncupatoria eidem Imperatori obtulit. *Sacros libros in unius clariſſimi corporis ſanctitatem connexos, atque diligenter emendatos veſtræ clariſſimæ auctoritati dirigere curavi.* Peracto opere rem magnam ſe præſtitiſſe indicat Glorioſiſſimus Imperator Præf. LL. & Offic. Eccleſ. *Jam pridem univerſos V. ac N. T^ti libros librariorum imperitia depravatos, Deo in omnibus adjuvante examuſſim correxi.* Aſſerit Corn. a Lap. Procemio in IV. Evang. C. 1. pag. 8. edit. Venet. 1761. correctionem IV. Evangeliorum a Carolo M. procuratam fuiſſe ad Græca, & Syra exemplaria, ejusque codicem, quem ipſe etiam conſpexerit, Aquisgrani religioſe aſſervari, videtur aliis tota hæc emendatio peracta Latinorum collatione codicum. Variæ ſubinde privatorum induſtria inſpectis etiam Hebraicis, & Græcis Fontibus erratorum correctiones prodiverunt, *(ll)* dum Vulgata hæc typographia an. 1440.

(*ll*) Sec. XII. adjuvantibus Judæis quibusdam per Stephanum Abbatem Ciſtercienſem in iis, quæ deſcriptione vitiata ſunt, Hebraico textui magis accomoda reddebatur (apud Mabillonium ad calcem vol. 1. S. Bernardi) ſimile quid tentavit Lanfrancus teſte Roberto de monte in addit. ad Sigebertum, & jam antea Caſſiodorus, ut ex Præf. Divinarum Inſtitut. conſtat. Paſchaſius quoque Radbertus, & Sigebertus Gemblacenſis verſiones cum originariis linguis contu-

1440. inventa proximo tempore, & Moguntiæ an. 1462. imprimeretur, donec a Sixto V. an. 1590. prima inter eas, quæ Pontificia autoritate ſuffultæ extant, & mutatis ultra 2000. ut fertur, locis an. 1592. a Clemente VIII. ut in notis (pag. 420.) expoſui, correctior, integra Bibliorum editio, futura ceterarum norma vulgaretur, quæ, quantumvis Jameſius, & Amama, aliique tumidi, & contentioſi Critici ei obtrectent, multorum tamen etiam heterodoxorum confeſſione longe magis genuina eſt Archetypi in locis omnino non paucis repræſentatio, quam ipſe ſit textus Maſorethicus, quem non eſſe fontem tam limpidum, ut longo ante tempore ſecundum formatas a compluribus heterodoxis ideas ſine ratione creditum fuit, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe plerique jam concedunt, nec tam in demonſtranda hac veritate, quam in Hebraicis Bibliis, ubi illa corrupta eſſe conſtiterit, ex textu Samaritano (pag. 311.), 70. virali (Sect. II.) & Vulgata verſione, ac citationibus N. Tti, actu corrigendis fatigantur præſtantiora ſaniorum Criticorum ingenia.

§. II.

tuliſſe leguntur, omni enim ætate aliqui harum gnari præſertim inter Dominicanos inventi ſunt, qui ſumma cura, atque labore Vulgatam rurſus poſt ſec. 12. addito inſigni varr. Lect. numero non tantum ex MSS. Latinis, ſed ex Græcis etiam, atque Hebraicis apographiis emendarunt, cujus emendationis (*correctorii*) autographum videre licet in Pariſienſi Dominicanorum Bibliotheca Rue S. Jacques, cujus notitiam præbet Fabricius.

§. II.

Vulgata eximie commendari meretur, ex quo Hieronymus ejus eſt partim verſor, partim factæ jam ex Originali textu verſionis emendator.

I.

Hic namque interpres Scripturarum fuit temporibus illis maxime omnium idoneus, requiſitis dotibus excellenter præditus: nimirum (ut in re ad diſcernendum, & definiendum difficillima aliquid dicamus) ut verſor, aut verſionis ex Originali corrector perfectus ſit, ac numeris omnibus abſolutus *(mm)* hæc requiruntur, & ſufficere videntur.

1o Ut

(*mm*) Regulæ facilius poſſunt præſcribi, & pro ratione idearum, quas ſibi unusquisque efformat, multiplicari, quam in verſione ipſa obſervari, & accurate applicari. Ardua, ſi quæ, res eſt, laboris immenſi, eruditionis protenſæ, judicii maxime ſubacti, translatio accurata Bibliorum, ante omnia verſorem in Grammatica optime verſatum eſſe oportet, non illa triviali, quæ apices, & flexiones vocum, atque ad ſummum etymologias ob linguarum inconſtantiam quam maxime incertas venatur, ſed quæ verba propria a figurate dictis ſecernat, emphaſes ex uſu æſtimet, linguæ ipſius, & cognatarum analogiam conſulat, loca parallela conferat, & quæ non alia præſertim in lingua ante annos fere 2000. emortua? verum hic eſt Scripturam non poſſe intelligi Theologice, niſi prius intelligatur Grammatice. Si quem dura manet ſententia judicis olim damnatum ærumnis, ſuppliciisque caput, Lexica conſcribat, dixit Scaliger, quid ergo de eo, qui Biblia accuratiſſime vertenda ſuſceperit, dicturus erat? non valet hic junior, deficit ſenior, &c. quis ſufficiat? exprimendus foret Archetypi habitus, mos, forma, energia, & quantum idiomatis diver-

1º Ut linguæ utriusque, ex qua, & in quam paranda eſt verſio, perfecta ſit cognitione imbutus.

2º Quodſi liber, quem vertendum ſibi proponit, contineat res graviſſimi momenti, quales præprimis ſunt fidei, morumque, hiſtoricas item variorum, & remotiſſimorum populorum, locorum, & temporum diverſiſſimas, quia ſeris venit uſus ab annis, neceſſe eſt, ut ſit ætate maturus, multo rerum uſu edoctus, & ſubacti vir judicii, præterea circumſpectus ac ſolers, populi, cujus hiſtoriam liber proponit, conſvetudinum, locorumque gnarus, ſenili prudentia conſpicuus, qui poſita levitate non partium ſtudio, non ullius hominis, aut præjudicatarum opinionum, ſed ſolius amore veritatis impulſus, quod in originali invenerit, fideliter, ac ſincere transponat.

3º Si inſuper liber hujusmodi ſanctiſſimæ religionis fundamenta, arcanaque fidei principia comprehendit, quæ non humanæ rationis argumentis, ſed illius tantum dono comparantur, & intelliguntur, cui ſine fide, & vitæ probitate placere non poſſumus, pietate, & vitæ ſanctimonia inſignem, & Deo conjunctum eſſe plurimum profuerit, qui recta intentione, ſolo voluntatem Dei inveniendi, & exprimendi zelo operetur, ut poſſit ſacros ejusmodi libros eodem

diverſitas patitur, vox ipſa; conſtat autem Biblicum corpus authoribus ratione materiæ, ſtyli, & inſtituti ſui multum differentibus, unde in verſionibus poſteriorum temporum, de quibus in ſequentibus agemus, obvie, & frequentius offendes, quorum multa te ad riſum, alia ad commiſerationem, quædam etiam ad indignationem provocent.

dem Spiritu, quo primitus ſunt exarati, in ſuum transferre ſermonem. Neque enim eſt ſacramentum æterni Regis impuris attingendum manibus, niſi ſacris prophana, ſummis ima, Divinis humana miſcere velimus. Et vero: quid ſperare liceat ab iis ſalutare, qui non Dei Spiritum, ſed hujus ſeculi, & ſolum prophanæ eruditionis apparatum, affectatamque humanæ eloquentiæ pompam ad perficiendum arduum, & ſanctiſſimum hocce negotium afferunt? nec multo ſecus, atque illas Terentii, aut Plauti comœdias, vel Livii hiſtoriam Divina tractant eloquia? in quorum animam non intrat Spiritus cœleſtis illius Sapientiæ, quæ his libris continetur.

4° Intererit multum, jam præexiſtere verſiones plures, & celebriores, quibus collatis, vir ceterà omni præſidio munitus, & judicii ſolidioris adjuvari poſſit, præſertim, ſi ex præcedentium iſtarum verſionum lectione, rerum in talibus libris contentarum longiori antea tempore, & uſu quotidiano cognitionem non vulgarem comparaverit.

Hæc vero omnia in Hieronymo affatim, certo cumulatius, quam in ullo mortalium ævi illius deprehendas; ut ex compendio vitæ ejus, & graviſſimorum virorum judicio hic ſubnectendo plus, quam ſatis, eluceſcet.

Hieronymus Catholicis parentibus, quibus nec opes, quæ communi hominum vitæ ſufficiunt, nec generis nobilitas defuit, anno Æræ vulgaris 329. aut juxta S. Proſperum an. 331. Stridone ſito in finibus Dalmatiæ, & Pannoniæ oppido, poſtea jam ſub ætatem ipſius a

Go-

Gothis everſo *(nn)* natus in domo paterna ſub ſeveriore magiſtro, quem propterea Præf. in Job Orbilium vocat, rudimentis Grammatices inſtitutus, & cum Bonoſo quodam prædivitum parenten-

(nn) Sicut quondam gentiles de patria Homeri celeberrimi inter prophanos Scriptoris diſceptarunt, & VII. urbes eum ſuum eſſe civem dixerunt, juxta illud: *ſeptem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri, Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ:* (hepta poleis dierizuſi peri rizan Homeru &c.) Ita hodie, cum plures ſint urbes eodem nomine appellatæ, aut ad vocem: *Strido* ſono proxime accedentes, etiam extra fines Hungariæ: ubi reipſa ſit locus iſte, quem hic omnium ſeculorum Phœnix natalem habuit, inter Chriſtianos, qui Hieronymi vitam eruditis lucubrationibus illuſtrant, magna contentione, & multo ſermone agitatur. Vallarſius in Iſtria Italiæ collocat, Tillemontius attribuit Styriæ, ſcilicet ob viciniam; ſicut etiam in nova Styriæ tabula Joan. Bapt. Homanni notatur: *Stridova patria S. Hieronymi Eccleſiæ Doctoris;* Sidronam Liburniæ ſomniant alii, ſed multi hodiernam Dalmatiam conjectant; propius vero accedunt, qui Hieronymi Stridonem ponunt ad Muram fluvium XV. mille paſſibus, (ut illi loquuntur) juxta nos II. milliaribus German. infra Rakersburgum, al. Regedinum, ſive quod eodem redit: non procul ab arce Csáktorna, quæ hinc ab oppido noſtro Sabariâ itinere diei, clarius: XI. milliaribus Germanicis diſtat: explicatius, & optime: natus eſt Hieronymus in Comitatu Szaladienſi, noſtro Comitatui de Caſtroferreo contermino, in inſula Mura, ſeu. Mura-Köz, vel ut Bedekovich vocat, Muro-Dravana, in oppido apud nos pleriſque, qui locorum Regni aliquam notitiam habent, non incognito, quod nobis etiam hodie *Strido*, incolis, qui ſunt Vandali, Germanice *Windiſche*, niſi malint ſe dici Croatas, *Stridovo*, vel *Strigovo*, aut variante pro ratione dialectorum pronunciatione *Strigna* appellatur, & a Mura fluvio mediæ horæ itinere, hinc Sabariâ 12. circiter milliaribus diſtat

rentum filio una educatus, de ſe ipſe pronunciat: „ in Latino (ſermone) pæne ab ipſis incunabulis inter Grammaticos, & Rhetores, & Philoſophos detriti ſumus. „ Ad illum *ſævientem* (Orbilium) de

ſtat; ab eo vero tempore, anno videlicet 1752. quo Citt. Bedekovich opus ſuum edidit, huic loco amplitudo, & multum decoris acceſſit, Eccleſiam habet Parochialem S. Mariæ Magdalenæ honoribus dicatam, quæ, ſicut & domus Parochialis in ſtatum meliorem reducta eſt induſtria, & zelo moderni D. Parochi Joan. Bapt. Simunich Can. Chasmenſis, & V. Archi-Diaconi ex abol. Soc. Jeſu, viri, ut mihi fide digne refertur, officioſiſſimi, zelo pariter, & doctrina conſpicui. Joannes Stiltingus cum ceteris Bollandi continuatoribus hanc ſententiam de Stridone S. Hieronymi natali in Hungaria in inſula Muro-Dravana hodie Comitatus Szaladienſis, Diœc. Zagrabienſis, omnibus aliis opinionibus anteponendam multis probat, Tom. VIII. pag. 426. ad XXX. diem Septembris, & extra omnem dubitationis aleam ponere videtur Jacobus Coletus in Diſceptatione de ſitu Stridonis urbis natalis D. Hieronymi Venet. anno 1784. in 8.

Rationum pondus huc devolvitur: Strido S. Hieronymo natalis non potuit eſſe in Iſtria, nec in hodierna Dalmatia, eo minus in Liburnia, quia & Hiſtoria, & Geographia refragatur, dum e contrario traditioni incolarum inſulæ Muro - Dravanæ utraque amiciſſime jungitur. Namque ipſe Hieronymus de patria ſua hæc habet: *Hieronymus patre Euſebio natus oppido Stridonis, quod a Gothis everſum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit.* L. de viris illuſtr. C. 135. Deinde natalis hujus ſoli a Gothis vaſtati mentionem facit Tom. VI. Col. 676. his verbis: „ Iram Domini etiam bruta ſentiunt animalia, & vaſtatis urbibus, hominibusque interfectis, ſolitudinem, & raritatem beſtiarum quoque fieri, & volatilium, piſciumque, teſtis Illyricum eſt, teſtis Thracia, teſtis, in quo ortus ſum, ſolum, ubi præter cœlum, & terram, & creſcentes vepres, & condenſa ſyl-

de aviæ ſinu ſe tractum eſſe captivum, dum utrumque (ſe, & Bonoſum) *iidem nutricum ſinus, iidem amplexus foverunt bajulorum.*

 An

ſylvarum, cuncta perierunt.„ Ex his conſequitur Stridonem Hieronymi natalem quæri non poſſe in hodierna Dalmatia, longe anguſtioribus, quam olim, finibus circumſcripta, qui limites Pannoniæ nunquam tetigerunt, cum tamen Strido teſte ipſo Hieronymo Dalmatiæ, Pannoniæque confinium fuerit. Iſtria autem intelligi prorſus non poteſt, ſiquidem hæc notabili intervallo a finibus Pannoniæ ſemper abſfuerit, quod etiam alio argumento abunde declaratur, namque verbis ſuperius adductis docet Hieronymus a Gothis vaſtatum fuiſſe ſolum ſuum natale, ubi præter cœlum, & terram, & creſcentes vepres, & condenſa ſylvarum cuncta perierunt. „Hæc ſcribit anno 392. Igitur locus ejus natalis everſus eſt ante hunc annum; atqui ex hiſtoria innoteſcit, Gothos ante annum 400. in Iſtriam non perveniſſe; ergò natalis ejus, qui ante annum 392. everſus eſt, in Iſtria eſſe non potuit.

Porro Dalmatiæ ſub Auguſto Cæſare in provinciam redactæ adjectum videtur, quidquid in Pannonia erat ſubactum, omnis tractus Savo, & Dravo intermedius, ita, ut id totum cum Dalmatia ſtricte dicta unam efficeret provinciam, & tum verum eſt, oppidum Stridonis in inſula Muro-Dravana ſitum, hodie Stridovam, quod a Gothis everſum erat, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuiſſe; clarum etiam fit, hoc oppidum ante annum 392. a Gothis, nimirum, ut Coletus cenſet, inter an. 377. & 380. everti potuiſſe, immo fuiſſe reipſa everſum, ex teſtimonio Zozimi L. 4. pag. 751. dicentis „*Miſiæ, Pannoniæque loca a barbaris vexata fuiſſe;* & Hieronymi in epitaph. Nepotiani, ſeu epl. 60. *Scythiam, Thraciam. Macedoniam - - - cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, - - Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt,* ut adeo hujus Pannonicæ vaſtationis fuerit *teſtis, quo* Hieronymus *ortus* eſt, *ſolum*, ubi præter cœlum, & terram, & creſcentes vepres, & conden-

An prius, (quod puto) vel nonniſi circa 20um ætatis annum Romam tamquam ad omnium ſcientiarum certiſſimum, & tutiſſimum præſidium acceſſerit, incertum, id ſolum conſtat, pluribus annis, in Grammaticis Donato, in Rhetoricis vel Victorino illo, qui etiam ſtatuam in foro Trajani meruit, aut quod rectius dicitur, alio quopiam uſum in hac urbe, orbis Domina, ſtudiis literarum vacaſſe, epl. ad Gal. L. 1. C. 2. Quum adoleſcentulus Romæ controverſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia judicum &c. Tom. 7. col. 408. Vallars. In urbe iſta Bibliothecam ſibi comparavit. epl. 22. ad Eu-

denſa ſylvarum cuncta perierunt. Non minus liquet ex iis, quæ refert Bedekovich, vetuſtam ſtetiſſe traditionem de certa domo ibidem, quæ S. Hieronymo paterna fuerit, quæ ex devotione erga hunc Sanctum in Eccleſiam eſt converſa, extat enim diploma Nicolai V. Pontificis an. 1447. hujus fere tenoris: Cum Banus Slavoniæ ex ſpeciali devotione erga S. Hieronymum Eccleſiam in loco paternæ ejus domus Diœceſis Zagrabienſis ædificarit, ſolemniterque dotaverit, omnibus feſto die Sancti hujus annue eam viſitantibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus.„ His expenſis pronum eſt concludere, pro nullo alio loco pro natali Hieronymi aſſignando tot adeſſe argumenta, quot pro Stridova inſulæ Muro-Dravanæ Comitatus Szaladienſis ſuppetunt. Præterea Domnus Stridonenſis e Pannonia Eppus. primo Oecumenico Concilio Nicæno præſens ſubſcribit, ex quo infertur, Stridoni huic in Pannonia proprium ſuum fuiſſe Eppum. Sed jam ſatis. Ad gloriam Incl. Comitatus Szaladienſis non parum facit, ipſum talem protuliſſe virum, cui in Eccleſia in interpretandis Divinis eloquiis parem ſecula nulla tulerunt.

Euſtochium num. 30. „cum ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſvetudine lautioris cibi me propter regnum cœlorum caſtraſſem, & Jeroſolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ ſummo ſtudio, ac labore confeceram, carere omnino non poteram.„

Poſt Romana ſtudia Gallias petit, ſtudiorum, & viſendæ regionis cauſa, ubi inſpectis bibliothecis complures libros deſcripſit. „Prolixum valde de ſynodis librum S. Hilarii apud Treviros mihi deſcripſi.„ Aquilejæ moratus plurimis, & magni nominis viris, etiam Rufino, qui dein ejus oppugnator extitit acerrimus, cariſſimus erat; inde, quia in monaſterio multi eum in invidiam, & odium adducere conabantur, in Orientem navigat, Antiochiam Syriæ Metropolim, per mare in Thraciam, Ponto, Bythiniâ, totoque Galatiæ, ac Cappadociæ, & ferventis æſtu Cilicum terræ tractu ſuperatis, in Syriam, velut fidiſſimum ſibi naufrago portum cum ſociis pertingit, devectâ ſecum cariſſima ſua bibliothecâ. Apollinarem Laodicenum in ſcripturis celebrem, cujus magna erat fama doctrinæ, Antiochiæ tempore ſatis longo, Didymum Alexandriæ, Gregorium Nazianzenum Conſtantinopoli, in ſcripturis magiſtros audit; â Paulino Epiſcopo Antiocheno anno 33° ætatis ferme invitus ſacerdotio initiatur, certæ tamen Eccleſiæ adſcribi renuit, mavult eſſe monachus, ut ſic orbe peragrato majorem ſibi ſcientiæ gradum e conſortio literatorum, & perluſtratis regionibus comparare poſſit. Antiochiâ in eremum diſcedit. *In eadem parte eremi commoranti, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, dilectio-*

ctionis tuæ ſcripta perlata ſunt. epl. 5. ad Florentium. In ſolitudine Chalcidis quatvor, vel quinque annis vitam duxit adeo auſteram, ut vix oſſibus hæreret, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ipſi videretur, auſteritati huic illud etiam acceſſit incommodi, quod Monachi nec Græcè, nec Latinè, ſed Syriacè loquerentur, unde aut barbarus ſemiſermo diſcendus ei erat, aut tacendum; ad carnem magis edomandam Hebraicæ linguæ diſcendæ ſe mancipat, qui *in media ferme quadrageſimâ* ne prophanos legat libros ſæcularis literaturæ, quibus longiori exercitatione conſveverat, *ſubito raptus ad tribunal Chriſti*, accepta viſione deterretur. epl. 22. ad Euſtoch. ut demum dicere potuerit, jam 15. annos eſſe, ex quo in manus non ſumpſerit libros prophanos, & omnem latini eloquii venuſtatem ſtridor lectionis Hebraicæ ſordidaverit. Quid autem profecerit ex linguæ iſtius infatigabili ſtudio, aliorum judicio ſe derelinquere, quid in ſuâ amiſerit, ſe optimè ſcire.

Cum autem ortâ primum logomachia de prædicanda unâ, aut tribus hypoſtaſibus, dein ut fieri aſſolet, etiam errore tres Epiſcopi inconſutilem Chriſti tunicam ſchismate fædo lacerarent, *ut ſatius eſſet inter feras habitare, quam cum talibus Chriſtianis*, Arianorum impetitionibus ſolum vertere cogitur, qua occaſione epiſtolam veneratione, & obſequio in Romanam ſedem pleniſſimam ad Damaſum dedit.

Dum autem Conſtantinopoli duobus, aut tribus annis ageret, ut a Gregorio Nazianzeno in ſcripturis erudiretur, *Orientis, & Occidentis Epiſcopos ob quasdam Eccleſiarum diſſenſiones Romam Eccleſiaſtica neceſſitas, & imperia-*

riales literæ contraxerunt. Paulinus Antiochenus, & Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, Conſtantinopolim venêre, ut ſimul exinde rectâ Romam navigarent; Hieronymus ibi commorans comitem ſe notis ſuis amicis adjungit, ſeu quod motu proprio Romam iterum videre cuperet, ſeu potius, ut Baronius putat, quod in arduo hoc negotio ab ipſo Damaſo accerſeretur, Romam pervenit, ubi omnium amorem, & gratiam emeruit, ad eum ex urbe concurritur undique, aliis in ipſo ſanctitas, aliis doctrina, aliis comitas placet, omnibus humilitas. *Sanctus, humilis, omnium pœne judicio dignus ſummo ſacerdotio. Eum plane boni omnes admirantur, & diligunt.* Ait apud Severum Sulpitium Poſthumianus. Illum ſibi adjutorem, ut Petro Paulum â Deo veniſſe putat Damaſus, quem in dubiis conſulere, ut vivo, veroque ſenſu, ſupploſis ambiguitatibus ſcripturas exponeret, conſveverat, *de ſcripturis* (dicit ipſe ad Hieronymum) *ſermocinemur inter nos: id eſt: ut ego interrogem, & tu reſpondeas.* Cui dein triennii ſpatio a ſecretis fuit: *ante annos plurimos* (ſic loquitur ad Ageruchiam) *cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* (En recurſum ex orbe toto ad Romanam ſedem!)

Poſteaquam Eccleſiæ gubernacula annis duodeviginti tenuiſſet, obit Damaſus an. 384. 10. Decemb. rerum alea vertitur; namque obtrectatorum, & invidorum machinationibus Siricio Damaſi ſucceſſori exoſus redditur, qui eum, juxta Baronium, â ſecretis, omnique movit officio; quod, ut eveniret, e re ſua eſſe judicarunt cum

 Pres-

Presbyteri ſæculares vitæ liberioris, tum vel maxime Monachi accuratioris diſciplinæ pertæſi, & divitum domos frequentantes, quorum vivendi licentiam ingenua libertate culpabat. *Apud nos affectata* (inquit) *ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis groſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio Clericorum*, & his affinia de Monachis. *Clericis quoque omnis cura de veſtibus, ſi bene oleant, crines calamiſtri veſtigio rotati, digiti annulis radiantes. Vitiis detrahentes offendimus plurimos.* (Usque adeo ſemper veritas, maxime, quæ in vitæ tendit reprehenſionem, odium peperit, & loquenti exitialis eſſe ſolet.)

Ad accuſationum cumulum acceſſerat ſiniſtræ familiaritatis excitata in ſanctum noſtrum ſuſpicio, dum ſanctas quaſpiam virgines, & pias Matronas ſacris litteris inſtituit, quales erant: Paula Romanæ nobilitatis, & pietatis ornamentum, cum ſua matrem moribus referente filia Euſtochio, Bleſilla ſorore, quæ mortuo marito totam ſe Deo conſecravit, Lea, item Aſella, & Marcella, quæ docenti Hieronymo in æde ſua locum conceſſit; tantum nactæ inſtitutorem Paula, & Euſtochium, mater & filia, Bleſillaque, eum in ſcripturis fecerunt progreſſum, ut in diſcendis canendisque etiam Hebraicè Pſalmis, mutua caritate ad laudandum Deum contenderent; verum ſancta hæc, & ſalutaris converſatio ab æmulis in illicitæ conſvetudinis ſuſpicionem vertebatur.

Criminabantur inſuper ab ipſo fæminas ad inſolitam vitæ aſperitatem abduci, præſertim ditiores, Bleſillam Monacham effici, virgines a ſæculo avocari, quas præſtabat in matrimonium elocari, filios, ac nepotes earum videre: urgebant:

bant: *quousque genus deteſtabile Monachorum non urbe pellitur? non lapidibus obruitur?* igitur exacto Romæ triennio an. 385. menſe Auguſto *ſpirantibus Eteſiis* cum multis aliis Monachis, & amicis, ut L. 3. adv. Rufinum narrat, in Orientem redit, Paleſtinam, & loca ſacra inviſit, ut contemplatione eorum ſcripturis ſanctis lumen fœneretur. *Quomodo* (inquit) *Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & Virgilium, qui a Troade ad Siciliam, & inde ad Oſtia Tyberis navigarint: ita S. Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus eſt, & antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem, vel mutata, vocabula cognoverit. Unde & nobis curæ fuit, cum eruditiſſimis Hebræorum provinciam circuire, quam univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſonant. Inde contendi Ægyptum, luſtravi monaſteria Nitriæ, protinus concitato gradu Bethlehem meam reverſus ſum, ubi adoravi præſepe, & incunabula Salvatoris.* Fatetur hanc locorum cognitionem ſibi ad Scripturarum intelligentiam reipſa non parum profuiſſe. In Paleſtina ex Origenis hexaplis omnes V. T^ti^ libros deſcripſit, in Bethlehem manſionem fixit, ubi ad eum Scripturas ex Hebræo vertentem, & explanantem, tanquam ad Oraculum quoddam ex orbe toto concurrebatur, Lucinius Hiſpanus ſex notarios in Bethlehem miſit, qui verſionem Hieronymi transſcriberent, Sophronius vir apprimè eruditus verſionem ejus in Græcum eleganti ſermone transtulit, (pag. 426.) in monaſterio præter quatvor, aut quinque Presbyteros, cæteri pro more illius temporis laici

 erant,

erant, quibus ſcripturas in conventu fratrum ſolitus eſt ediſſerere.

Sunt, qui velint ipſum Eccleſiam loci hujus rexiſſe, ſive fuiſſe Bethlehemiticum Parochum; ſed contrarium ſvadent omnia, niſi intelligas, in quantum rexit Conventum, nam Bethlehemitæ noſtro nunquam animus fuit certæ tantum parochiæ fideles, ſemper autem univerſos ſalutari doctrina, & ſanctæ converſationis exemplo ædificare; ſed neque Joannes Jeroſolymorum Epiſcopus parochiam ei commiſit unquam. Moritur exactis vitæ ſuæ annis nonaginta, an. Chr. 420. ſepultus in Bethlehem. Ibi nimirum ſalutem quæſivit, unde nobis ſalutis Auctor eſt exortus, ibi vivere deſiit, ubi Chriſtus natus eſt. Atque hæc rudis ſit vitæ ipſius deſcriptio, in qua brevitati ſtudens, ſi chronotaxi, & factorum ordini aliquid minus cohærens dixi, correctum volo.

II.

Hieronymus ad publica provocans teſtimonia affirmat, ſe eſſe fidelem Scripturæ ex Hebræo translatorem. *Mihi omnino conſcius non ſum, me aliquid de Hebraica veritate mutaſſe.* Prolog. Galeat. *Certe confidenter dicam, & multos hujus operis teſtes citabo, me nihil duntaxat ſcientem de Hebraica veritate mutaſſe, ſicubi ergo editio mea a veteribus diſcrepabit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis me ab æmulis fruſtra lacerari.* Scribit Sophronio Præf. in Pſ. Dum autem Auguſtinus non parvas Deo gratias agendas eſſe, Hieronymo ſcripſerat, quod ex Græco N. Ttum tam accurate, ac fideliter emendaverit, repoſuit Hieronymus: eandem integritatem

etiam

etiam in V. T^{to} Auguſtinum credere debuiſſe, ſicubi (inquit) *dubitas*, *Hebræos interroga*. Demum ſcribit Auguſtinus, literatum Hieronymi laborem Judæos quoque confiteri eſſe veracem. (pag. 342.)

Et merito: cum dotibus ad perficiendum hoc opus requiſitis abundantiſſime fuerit præditus. Sane linguarum ad Scripturæ S. verſionem, & emendationem neceſſariarum perfectam, & abſolutam habuit cognitionem, qua major deſiderari non debet; namque in Latina, quam paſſim vocat *ſuam*, præ ceteris Patribus ſermone purior, Eccleſiaſtico ſtylo nitidior, & ſenſu acutior videtur, certo non inelegans, immo Claſſicis adnumerandus.

In Græca adhuc adoleſcens dexter, & expeditus celeberrimorum Philoſophorum opera legit, in provectiore ætate longe perfectior, linguæ hujus peritiam ipſe ſibi vindicat L. 3. adv. Ruf. Alexandri vertit commentarios, Porphyrii legit opera, Dialectica Elementa, Soritarum gradus, Pſeudomeni argutias, Sophiſmatum fraudes. Epl. 50. ad Domnion. Didymi libros de Spiritu S. librum Theophili contra S. Joan. Chryſoſt. Euſebii Chronicon, Origenis 28. homilias in Ezech. & Jerem. ex Græco vertit in Latinum.

Et quomodo cum Didymo Alexandriæ, Greg. Nazianzeno Conſtantinopoli, Athenis, quo pariter profectus, quid ibi viderit, L. 2. in Zach. C. 12. Tom. VI. edit. Vallars. colum. 896. narrat, *(oo)* in toto demum Oriente, qui Græ-

(oo) In arce Athenienſium juxta Simulacrum Minervæ vidi ſphæram æneam graviſſimi ponderis, quam ego pro

Græco ſermone utebatur, cum incolis, totidemque viris doctiſſimis loqui, & conferre potuiſſet, ſi Græce bene non ſciviſſet? callebat igitur Græcum, non tantum, ut pedeſtrem, vulgaremque N. Tti ſtylum, aut Alexandrinæ Verſionis Helleniſticum, ſed etiam cultiorem illum Demoſthenis, Ariſtophanis, & aliorum, Atticosque lepores comprehenderet; ex familiari iſto Græcitatis uſu non ſecus, ac Cicero, amat operibus ſuis voces, & gnomas Græcas intertexere. Prophanos, Oratores, Poëtas, Hiſtoricos, Philoſophos, Geographos legit fere omnes, Eccleſiaſticos Scriptores in promptu habuit, quod veterum probari poteſt teſtimonio; nemo profecto univerſos inter Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ Patres plures evolvit auctores, amanuenſibus, & lectoribus uſus frequenter: *Largiente* (ait) *Domino multis ſacræ Bibliothecæ codicibus abundamus, habeo alumnos, qui antiquariæ arti* (deſcribendis ex autographo MSS. vel aliis operibus) *ſerviant*. Queritur alibi ſe, quæ ſcribit, perſæpe deproperare debere, quod jam debilitata oculorum acie non ſcribere ſoleat, ſed dictare, amanuenſem vero, ſi expectare debeat, ac ſubſiſtere, corrugare frontem &c. Notariorum jam multitudinem, & copiam, jam paucitatem, & defectum commemorat. Quando Auguſtinus ab ipſo petiit verſionem de 70. factam, ſibi ſubmit-

pro imbecillitate corpuſculi movere vix potui. Quum autem quærerem, quidnam ſibi vellet, reſponſum eſt ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa maſſa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemquam deſcendere, quam elevatione ponderis ſciatur, quis cui debeat comparari. Tom. VI. edit. Vallar. colum. 896.

mitti, repoſuit epl. 94. inter Aug. 172. *Grandem Latini ſermonis in iſta provincia notariorum* (compendiariis notis, vulgo abbreviaturis in deſcribendis dictatis utentium) *penuriam patimur*, & *idcirco præceptis tuis parere non poſſumus.*

Hebraicæ autem peritiam habuit conſumatam: vel enim Hieronymus nullius ingenii, ſed obtuſæ mentis, infeliciſſimæ memoriæ, & in diſcendo negligentiſſimus, ignavus ſemper, & laboris impatiens fuit, vel hanc linguam perfecte addidicit; prius a communi fide abhorret, ridiculum, & ab omni, qui aliquo judicio valet, rejiciendum eſt; igitur poſterius verum, & pro certo tenendum.

Namque lingua iſta, prout Bibliis, libro videlicet unico, eoque molis non vaſtæ continetur, nec admodum extenſa eſt, *(pp)* immo paucio-

(*pp*) Hebraica lingua juxta Compendium V. Tti Hebræo-Chaldaicum Joan. Leusdeni Roſtochii an. 1757. quod in gratiam DD. Studioſorum, & ex petitione multorum præcipue DD. Hungarorum, in lucem emiſit, complectitur voces in V. T. occurrentes quinquies mille, ſexcentas, & quadraginta, ſeu 5640. quarum mille quadringentæ nonaginta, ſeu 1490. vel tantum ſemel, (apax legomenæ) vel omnino rariſſime occurrunt; hoc adjutis compendio ſpem facit Leusdenus ad omnium vocum tam primitivarum, quam derivatarum, Hebraicarum non minus, quam Chaldaicarum cognitionem ſpatio trium menſium perveniendi, modo ſingulis diebus abſolvas paginas duas cum dimidio. Divide 5640. per 90. pro quovis die 62. voces obtingent diſcendæ.

Voces iſtæ in Dictionario Joan. Simonis editioni Bibliorum ejus in VIII. Halæ 1767. ſubnecti ſolitæ, occupant tantum paginas 75. Apud Chriſtia. Rei-

nec-

cioribus, quam pleræque Europææ comprehenſa vocabulis, nec uſque adeo difficilis, ut majori adhibita induſtriâ, ab homine felicioris, tenaciorisque memoriæ, plenè exhauriri, tenerique nequeat, ſi â magiſtris optimis, longiori tempore informetur.

At-

neccium in Indice memoriali in VIII. edit. Lipſ. (Maphtheachh hazzæchær) comprehenduntur paginis 80. quarum unam uno quovis die emetiri quis diſcendo poſſit. Eduardus Leigh eques Anglicanus in Præf. Criticæ ſacræ V. ac N. T. Gothæ an. 1706. in IV. dicit, Radices V. T. Hebraicas conſtituere numerum 1500. juxta alios 1753. al. 1700. Nempe ſuo tempore lingua ſatis opulenta fuerit, nunc vero in iis tantum ſuperſtes reliquiis, quas unus ſacer codex continet. Sed ſi teſtimonio *Alchalili* Lexicographorum Arabum principis Arabica olim vaſtiſſimo ambitu ſuo 12305412. vocabula continuerit, etiam matrem, aut ſororem ejus, Hebraicam utcunque fæcundam fuiſſe oportuit. Hæc lingua facillima eſt, ſi doctiſſimis quibusdam viris accedas, quorum nonnullos Rmus. D. Adam. Kaſzaniczki (pag. 87.) in Diſſer. Gramm. ſubnexa pag. 228. adducit. *Talis eſt hæc lingua, ut haud decimam temporis, & laboris partem poſtulet, quam Latina, vel Græca, ſi quis enim menſes aliquot in eam impendat, facile bonos progreſſus in ea faciet:* dicit Valtonus Proleg. 3. §. 28. Bimeſtrem, vel trimeſtrem induſtriam ſufficere Amama ſtatuit, ut mediocriter condiſcas: magnam non eſſe difficultatem Erpenius agnoſcit, Martinius vero eam adſtruit facilitatem, ut plus unius, aut alterius menſis ſpatiolo in ea, quam in Græcis, aut Latinis toto fere anno proficere poſſis. Fœminarum, quæ hanc addidicerunt, Paulæ, Bleſillæ, de quibus locuples teſtis eſt Hieronymus, (pag. 440.), & noſtra ætate complurium ex Anglia, Galliis, & Germania exempla producunt.

Ridendi tamen potius, quem audiendi, qui linguæ hujus ſtudium carere difficultate aſſerunt, qui

Hie-

Atqui Sanctus noſter a ſex Hebræis, quorum ſaltem quatuor celeberrimi Rabbini erant, inſtitutus fuit.

Primo: A quodam ad fidem Chriſtianam converſo, dum adhuc juvenis eſſet; narrat enim ſe ju-

Hieronymi aliquoties deſperantis teſtimonio abunde revincuntur, neque ſufficit dicere, hunc mediis fuiſſe deſtitutum, quia ſi caruit mediis, quæ noſtra ætas ſuppeditat, abundavit aliis, quibus nos caremus. Qui cognitionem linguæ hujus nullo fere labore acquiri dicunt, ad excitandum ignavos loquuntur; memini, obiter me inſpexiſſe opuſculum, quo 24. horarum ſpatio in Hebraicis expeditus fias: innoxia, & ſperquam utili fraude 24. horæ ponuntur, dum quavis hebdomade publicæ inſtitutioni una, alterave hora, alia tempora mutuis inter diſcipulos repetitionibus aſſignantur, ut facile trimeſtre ſpatium inſumatur. Si hæc ſcientia usque adeo nullis veniret moleſtiis, damnandi forent, quicunque turpi ſocordiæ veterno merſi, neque tantillo labore eam ſibi vellent comparare! inſuper peculiaris ex eo naſcitur difficultas, quod ii, qui iſtis *vacare* deberent ſtudiis, puta: Clerici, aut alii ſcholis jam emancipati, objectis longe diverſis, iisque compluribus occupentur. Dicam breviter: linguam Hebraicam aliqua reddunt perceptu ſatis difficilem, plurima ſunt, quæ profecturo nullum faceſſunt negotium; ergo expenſis omnibus, perceptio hujus facilior eſt, quam linguarum Germanicæ, Latinæ, & Græcæ, ſi eadem fieret applicatio, & idem temporis impendium.

Jactata illa facilitas ad hæc reducitur. 1. In ſono quarumdam literarum non parva eſt apud ipſos Judæos, & Arabes diverſitas, tu vero ea haud attenta *Aleph*, & *Ain* prorſus absque ſono prætereas, ſola vocali, ſi adſit, pronunciata. Legibus de *Schva* quieſcente, aut ſonante non immoreris, ſatis eſt, ſi tunc ſolum, quando pronunciatio conſonantis ſine vocali foret difficilis, velut *e* breve poſt conſonantem efferatur. Regulas de *Begadchephath* negligito. *Chheth*, ut *Ch.* in vocibus Græco-Latinis, *Tzade*, ut *z* Germ. *tz.*

juvenem in eremo, licet aſperrimum vitæ genus ſectaretur, non tamen incentiva, ardoremque vitiorum ferre potuiſſe, dum fluctibus tentationum agitatus ſibi ipſi videbatur intereſſe choro Ro-

---

tz Hung. vel, ſi & hoc tibi durum videtur, ut S. Latinum pronuncies. Ab eo, qui linguam callet, dictatum Caput primum Geneſis, aut verſus aliquot Latinis literis deſcribe, cum textu Hebræo confer, ut hæc in ceteris legendis norma ſint, & ſecurior directio. 2. Suffixa Nominibus, & Verbis aptare diſcito. 3. Cum unica quidem ſit conjugatio, ſed VII. ejusdem formæ, his percipiendis plurimum temporis impendito; una anomalorum verborum a communi flexione aberrationem advertito. 4. Literas XI. Technicis tribus vocibus, *Moſchæh*, *vechaleb Ethan* h. e. Moyſes, & Chaleb fortis: comprehenſas *ſerviles*, quomodo ad derivata ex radicalibus vocibus componenda concurrant, obſervato. Verum umbratile quoddam, & evanidum eſt omnis Theoria, niſi operoſa accedat praxis, quæ, qualis eſſe debeat, ut ſit conjuncta cum fructu diſcentium, & compendio temporis, ultima ſectione perſequar pluribus. 5. Nomina vi terminationis fœminina ſunt, quæ in *a* ſeu *he* præcedente kametz, & in *thav* ſervile h. e. in *æth*, *ith*, *üth* exeunt: *Dualis* ſi quando occurrit, exit in *ajim*, pluralis maſculinorum in *im*, ut Cherubim, Seraphim, fæmininorum in *oth*, ut Sabaoth, Aſtaroth, Rechoboth. Gentilia, & originem indicantia more Hungar. in *i*. 6. Nullas habent Hebræi Declinationes, adeoque carent flexionis per caſus diverſitate: nullum articulum niſi *ha*, ut Hung. *a*, relativi vicem *Aſchær* invariabile ſubit. Genere neutro carent, quod ſupplent fœminino: ut cum dicitur: *Hæc facta eſt mihi:* vel: *unam petii a Domino*, *hanc requiram*. h. e. unum, nempe ut inhabitem in domo Domini. Ex adjectivo maſculino additione literæ *a* fiet fœmininum, ut *tobh* bonus, *tobhah* bona. 7. Nulla habent verba compoſita, ſed ſolis utuntur ſimplicibus etiam in ſignificatione noſtrorum compoſitorum, ſolum tempus præteritum perfectum, ac futurum, nullum præſens, aut

Romanarum puellarum, quem cum crebris jejuniis frangeret, mens tamen cogitationibus æſtuabat, ad quem (fervorem) edomandum, ait epl. 4. ad Ruſticum. *Dum eſſem juvenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, Alphabetum diſcerem, & ſtridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperaverim, quoties ceſſaverim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea, qui paſſus ſum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam; & gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo.* Videtur hîc egiſſe quadriennio, quo tempore, labore tanto, niſu tam eximio, proficere multum potuit. Scribit de Paula in epitaphio ejus: hæc *hebræam linguam, quam ego ab adoleſcentia multo labore, ac ſudore ex parte didici, & infatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſerar, diſcere voluit, & conſecuta eſt.* Si matrona hæc conſecuta eſt, ut Pſalmos eadem lingvâ decantaret cum filia, quanto magis Hieronymus tempore tam longo? *ex parte*: ſic modeſtè de ſe lo-

imperfectum, vel plusquam perfectum, nullum modum Optativum, vel conjunctivum habent; verbum auxiliare *ſum*, inter ſubjectum, & prædicatum more Hungar. reticent, tertiam præteriti perfecti ſing. pro radice, (uti Hung. præſentis tertiam) aſſignant. E quibus luce clarior fit hujus in comparatione multarum aliarum linguarum e. gr. Græcæ facilitas.

loquitur, ut ſanctorum mos eſt, habito item reſpectu ad Latinam, quæ quaſi vernacula ore omnium circumferebatur, & uſu ipſo notior erat. Ita accipias velim etiam præf. in Esdram ad Domnionem, & Rogat. „ nos hebrææ lingvæ ſaltem parvam habemus ſcientiam, & Latinus nobis ſermo utcunque non deeſt,„ ſacros, prophanosque ſcriptores etiam in iis, quorum certam habent cognitionem, aut aſphaleian, non ſemel ſic loquentes invenias. Hungarus, aut Germanus, vir de cætero etiam cultioris latinitatis peritus dicere poſſet, ſe latinè ex parte ſolum ſcire, vel didiciſſe.

Secundo: Ab alio quodam Hebræo magnopere quidem celebrato, cujus ipſe meminit in epiſtolis ad Damaſum.

Tertio: A quodam Baranina, ſeu Barrabano. Epl. 84. al. 65. ad Pammachium. *Veni rurſus ex Ægypto Jeroſolymam, & Bethlehem, quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui præceptorem, timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.*

Quarto: Dum Jobum verteret, a Lyddæo quodam famoſiſſimo Rabbino. *Ad intelligentiam hujus nòminis memini me Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemiſſe nummis.* Præf. in Job.

Quinto: Dum libros Paralipomenon transferret, a quopiam Tyberiadenſis Academiæ Doctore. Se enim quæ etiam ſciret, nunquam ſuis penitus commiſiſſe viribus. *Denique cum á me nuper litteris flagitaſſetis, ut vobis librum Paralipomenon transferrem, Tyberiade quemdam legis Doctorem, qui apud hebræos ad-*

admirationi habebatur, aſſumpſi, & contuli cum eo, a vertice, ut ajunt, uſque ad extremum ungvem. Præf. in Lib. Paral. ad Domnionem, & Rogatianum.

Sexto: Ab alio demum Judæo & Chaldaicæ linguæ apprimè guaro, a quo Chaldaicam eſt edoctus. Præf. in Daniel. *Cum ego adoleſcentulus adhuc, poſt Quintiliani, ac Ciceronis lectionem, ac Rhetoricos flores me in linguæ hujus piſtrinum recluſiſſem, & multo ſudore, multoque tempore vix cœpiſſem anhelantia, ſtridentiaque verba reſonare, & quaſi per cryptam ambulans, rarum deſuper lumen aſpicerem, impegi noviſſimè in Daniëlem, & tanto tædio affectus ſum, ut deſperatione ſubita omnem laborem veterem voluerim contemnere, verum adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebrius in ſua linguâ ingerente: labor improbus omnia vincit: qui mihi videbar ſciolus inter Hebræos, cœpi rurſus eſſe diſcipulus Chaldaicus. Et, ut verum fatear, usque ad præſentem diem magis poſſum ſermonem Chaldaicum legere, & intelligere, quam ſonare.*

Videtur aliis quoque uſus fuiſſe, cum toties in Commentariis in Prophetas inſinuet: Hebræus, qui nos in Scripturis inſtituit, ſic vel ſic legendum eſſe dixit. Hebræus, qui in Scripturis me inſtituit, *layed* aſſerebat in præſenti loco magis *in futurum* ſignificare,, nempe quam *in teſtimonium.* In C. 1. Amos. *Hebræus, qui me in ſanctis Scripturis erudivit, tzor tribulationem interpretatus eſt.* Zach. 14. 20. *nos etiam metzuloth fræna poſuimus juxta 70. quos & nos hoc loco ſecuti ſumus, ne novum aliquid*

quid in quæſtione Vulgata videremur afferre: quod quum ab Hebræo quærerem, quid ſignificaret; ait mihi: non debere nos legere metzuloth, ſed metzaloth, quod ſignificat phaleras equorum, & ornatum bellicum, & hic ſolum, nullibi alibi in ſcripturis reperiri; frænum vero hebraicê ræſæn vocari. (qq)

Ex his omnibus conſtat Hieronymum â primâ juventute ad extremum usque ſenium linguæ hujus ſtudio vigilantiſſimè intendiſſe; quod non parum ex eo confirmatur, quia aſſiduitate Hebraica legendi de elegantia Latini ſermonis ſibi aliquid deceſſiſſe identidem affirmat. Dicit ad Marcellam epl. 130. *nos, ut ſcis, Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus in tantum, ut loquentibus quoque nobis ſtridor quidam non Latinus interſtrepat.* Quibus verbis aſſvetudo, & habitus quidam indicatur Hebraicè loquendi, & ſcribendi, unde ignoſcendum ſit Latini ſermonis ariditati. Comment. in Agg. a lectore ait ſibi quoad latinitatem parcendum eſſe, *cujus venuſtatem multo tempore Hebrææ linguæ ſtudio perdiderit.* Epl. 22. ad Euſtoch. *omnem latini eloquii venuſtatem ſtridor lectionis Hebraicæ ſordidavit. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili ſtu-*

(*qq*) Ut vocem hanc ſine aliqua interpretatione non prætermittam, hodie mitzeloth legitur, & omnino tinnientia quædam, ac ſtrepitum edentia equorum ornamenta deſignare creditur; variant veteres, Aquila, & Theodotion profundum vertunt, ambulacrum umbroſum placet Symmacho, maluit Hieronymus ſtare a 70. quam in re incerta judicio Hebræi ſui deferre.

ſtudio, *aliorum judicio derelinquo. Quid in meà amiſerim*, *ego ſcio.*

Magnam eſſe oportuit, in tam felicis ingenii, vaſtiſſimæque memoriæ, nec imparis induſtriæ viro Hebrææ linguæ peritiam, & uſum frequentiſſimum, ſi in Latinæ, qua inter Eccleſiaſticos ſcriptores excellit, venuſtate labem aliquam eſt propterea perpeſſus.

Secundum pro peritia Hieronymi argumentum inde ducitur, quia loquebatur Hebraicè. Eſto enim: abſolutè linguæ cujuſpiam tota quanta eſt latitudo, & extenſio, idiotismi, vis, & energia comprehendi poſſint, etiamſi in familiaribus colloquiis eam nunquam adhibeamus, nemo tamen jure negaverit, eam nos perfectiori cognitione aſſequi, quam uſu quotidiano terimus. Unus eſt Hieronymus, qui Hebraicà adhuc florente literaturâ, cum præſtantiſſimis Rabbinis, a quibus didicit, & quibus converſabatur, hanc loquebatur, & ſolam, velut nos in ſcholis a tioribus,,& ipſe cum Donato, aliiſque Romanis Latinam, adhibuiſſe videtur, quod ex allatis in præf. in Danielem ejusdem verbis infertur. Si enim Hebræus ille in ſua lingua illud crebrius ipſi ingeſſit: *labor improbus omnia vincit:* hebraicè ipſi loquebatur; ſi fatetur ſe usque in præſentem diem magis poſſe legere ſermonem Chaldaicum, atque etiam intelligere, quam ſonare, igitur ſonuit, & locutus eſt etiam Chaldaicum, ſed non æquè perfectè, ac Hebraicum. Quod clarius porro elucefcit ex præfatione in Tobiam, ubi narrat, ſe, ut librum hunc ex Chaldaico in Latinum tanto felicius, & promptius transferret, adhibito utriusque linguæ peritiſſimo, labore unius diei, *quidquid ille Hebraicis verbis expreſſit*,

 hoc

hoc ſe accito notario: id eſt: tachygrapho amanuenſi, *ſermonibus latinis expoſuiſſe*. Audis Rabbinum, quod Chaldaicus textus habet, Hebræis verbis enunciantem, Hieronymum totum hoc intelligentem, & e veſtigio Latino ſermone dictantem! *(rr)* Ter-

(*rr*) Sed nec illud prætermittendum: licet jam quartum â tempore diſſipatæ gentis volveretur ſæculum, perduraſſe nihilominus apud Rabbinos hebraicæ linguæ longè perfectiorem, quam deinceps manſerit, cognitionem, ſermo ſyro-Chaldaicus vernaculus erat in Paleſtina, ut ex operibus S. Ephrem, ſubſcriptionibus conciliorum, aliisque argumentis doceri poteſt, qui ab hebræo non planè abludit, eumque tamquam filia matrem præſupponit. Quanto magis ergo hebræus ſermo magiſtris notus! Academiæ: *Jabhnenſis*, cui præfuit Rabbi Tarphon, ille veroſimilius, qui cum Juſtino Martyre diſputans Tryphonis nomine nobis innotuit: *Lyddenſis*: *Zipporienſis*: *Tyberiadenſis*, quæ per plura ſæcula floruit; & ſi aliqua ex parte hebraicarum rerum ſtudium in Paleſtina defecit, augebatur Babylone, ubi celeberrimæ fuerunt ſec. III. IV. & V. *Academiæ*: *Nehardeenſis*, quæ ſic dicta eſt, quod ibi *flumen* (Euphrates, ad cujus ripam erat, Hebr. *nahar*) eſſet *ſcientiæ* Hebr. *deya* (unde ain ut *gain* vel *K*, Hung. deák) de quo haurire quilibet poſſet, ubi 70. erant Geonim (pag. 156.) ſeu excellentes Rabbini, quorum induſtriæ debetur Thalmud Babylonicum; huc ex Paleſtina, Ægypto, Africa, Hiſpania, & toto occidente ſtudiorum cauſa parentes filios ſuos mittere conſueverunt. *Pumpedithana*: Pumpeditha urbs erat Babyloniæ celebris inter Euphratem, & Tigrim ſita ſec. III. ſtudiis literarum inſignita, 2000 circiter Judæis frequens. *Sorana*, aliter Machhaſiana eodem tempore longe celebratior, cui præfuit R. Huna 40. annis, qui primus fuit eorum, qui Rectores fuerunt in Babylonia. In his Academiis melior *Thargumim* editio, ſanior *Thalmudis* pars, tandemque Maſorethicus ille Bibliis illatus labor, quem tamen Tiberiadenſibus vulgo tribuunt, ante & poſt tempora Hierony-

Tertium argumentum pro facilitate parandæ verſionis, quia Hexapla, & octapla Origenis præ manibus habuit, quorum beneficio ex tot verſionum collatione pariter, ac lucubrationibus, no-

ronymi lucem viderunt (pag. 131.) Quæ omnia pleniorem tum adhuc viguiſſe Hebraicæ lingvæ cognitionem oſtendunt. Studiis his in Babylonia annus Chr. 1037. finem attulit, Hizkia Pumpedithanæ Academiæ Rectore ſublato, in Hiſpaniam, ubi Toleti, Cordubæ, Barcellonæ ſec. XIII. vigebant, & alias regiones diſperſi ſunt Doctores Judaici. Romæ florebant præſide Rabbi Nathan, Auctore Libri *Aruch* (Lexici) ſec. XII. ſec. XV. Conſtantinop. ac Venet. mox Pragæ, Cracov. Amſtel. &c. vide Diſſer. Calmeti de ſcholis Hebræorum, ubi Europæos celebriores poſteriorum temporum Rabbinos refert. Lexicon Thalmud. Buxtorphii pag. 1752. Ugollini Tomo XXI. Geor. Urſini Antiq. Hebraicas, & Joan. Leonar. Heubneri Diſſer. de Academiis Hebræorum pag. MLV.

Accedit Judæos temporibus Theodoſii primi, Arcadii, & Honorii in Oriente, etſi utcunque diſperſos, urbeque Majorum, & templo carentes, eximio vitæ ſplendore, rerumque opulentia floruiſſe, frequentiam Synagogarum, variaque privilegia Reſcripta Imperatorum teſtantur. Cod. Theod L. 16. Tit. 8. L. 9. & L 12. „Judæorum ſectam nulla lege prohibitam ſatis conſtat. Unde graviter commovemur, interdictos quibusdam locis eorum fuiſſe conventus. Sublimis igitur Magnitudo tua (ita ad Addeum Comitem, & Magiſtrum utriuſque militiæ ſcribit Imperator) hac juſſione ſuſcepta nimietatem eorum, qui ſub Chriſtianæ religionis nomine illicita quæque præſumunt, & deſtruere Synagogas, atque expoliare conantur, congrua ſeveritate prohibeat. „Dat. III. Kal. Octob. Conſtantp. Theod. A. III. & Abundantio Conſſ. (anno Chr. 395.) Idem triennio poſt Arcadius, & Honorius ſtatuunt, & ſcribunt ad Cæſarium Præfectum Prætorio: *Nos in conſervandis Judæorum privilegiis veteres imitemur, quorum ſanctionibus*

tis, ac Commentariis Origenis ibi adnexis, item Rabbinorum, in locis difficilioribus judicium veteris Eccleſiæ cognoſcere, & in ipſa hebraiſmi peritia mirum quantum proficere poterat. Com-

onibus definitum eſt, ut privilegia his, qui Illuſtrium Patriarcharum ditioni ſubjecti ſunt, Archi-Synagogis, Patriarchisque, ac Presbyteris, ceterisque, qui in ejus religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri Nominis perſeverent &c. ratio additur, quod jam Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, & Valens idem ſtatuerint. *Sint igitur etiam a curialibus alieni, pareantque legibus ſuis.* Patriarchæ eorum jam *Illuſtres*, jam *Spectabiles* ſunt appellati. Militare iis permiſſum, donec jure hoc demerito ſuo exciderent. *Sane Judæis liberalibus ſtudiis inſtitutis exercendæ Advocationis non interdicimus libertatem, & uti eos curialium munerum onere permittimus, quam prærogativa Natalium, & ſplendore familiæ ſortiuntur. Quibus cum debeant iſta ſufficere, interdictam militiam pro nota* (contemptùs, & infamiæ) *non debent æſtimare.* Cod. Theod. L. 16. Tit. 8. L. 29. L 17. Cod. Juſtin. de Judæis. Vide Joan. Seldeni L. VIII. de jure Naturali, & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum Tom. XXVII. Ugollini pag. 729. Præterea refert Hieronymus tamquam ſibi familiarem hebraicarum vocum pronunciationem nobis jam hodie ratione organi haud imitabilem, ſonum auribus noſtris inſvetum, cum ad hunc ritè efferendum opus ſit, *ſolutis labiis, obtorta lingua, ſtridente ſalivâ, raſa fauce.* Comment. epl. ad Tit. C. 3. *Si erraverimus in accentu, in extenſione, vel brevitate ſyllabæ, maxime in aſpirationibus, & quibuſdam cum raſura gulæ litteris proferendis, ſolent cachinum attollere, & jurare, ſe penitus non ſcire, quod dicimus.* Quis eſt hic, & laudabimus eum, qui ævo noſtro ſermonem hunc ita calleat, ut quæ Hieronymus ſcivit, nos edoceat, rationem commutationis aſpiratarum aleph, ain, he, chheth? ſtridorem diverſum ſibillantium, extenſionem, & brevitatem ſyllabarum, præter eam, quæ ſequiori ævo invecta

Commodum, hinc natum emolumenta ex Lexicis ævi noſtri, quæ ſæpius fallunt, manantia vel æquavit, vel ſuperavit. Calmeti judicio præf. in Gen. pag. 14. *Hexapla perinde erant, ac theſaurus librorum planê infinitorum egeſtatem compenſans.* Epl. ad Tit. C. 3. 9. ait Hierony-

 mus

---

cta eſt, literas cum raſura gulæ accuratè efferendas? ſciunt linguæ guari, quid velim, evolve omnes hebraicas, quæ facile octingentæ numerantur, Grammaticas, videbis demum primæ litteræ aleph, & conſonantis ain ſonum, ne de aliis gutturalibus loquar, mire a variis exprimi, revera autem ignorari, illud demum reſtare, ut pro aphònis, ſive ſono carentibus habeantur, & ſola enunciata vocali ipſæ negligantur. Jacobus Altingus *Aleph h* inverſo h. e. q. *Ain* per *hhh*, chheth per *hh*, alii *Ain* per *gn* ſive *ny* Hung. repræſentant; quidam *Aleph*, & *Ain* pronunciatione confundunt, quod vitium ſacerdotem ineptum reddit ad benedictionem ſolemnem teſte Majmonide de bened. ſacerd. C. 15. §. 1. Joan. David Michaelis in Gramm. ſua Arabica Götting. 1781. pag. 9. 10. 32. inſinuat quarumdam conſonantium ſonum ab iis, qui nati Arabes ſunt, eſſe percipiendum, ſonum *Ain* in charta oſtendi non poſſe, ſed orali inſtitutione diſcendum venire. In Bibliis utriuſque T. edit. Roberti Stephani an. 1557. quæ in V. T. verſionem Sanctis Pagnini, & Franc. Vatabli, in Apochryphis, ut heterodoxi vocarunt, h. e. deutero-Canonicis (pag 164.) Claudii Baduelli, in N. T. Theodori Bezæ (pag. 89.) exhibent, adnotatur loco *ſchin*, *tzade*, *Samech*, *Chheth* in Latino duas, & tres quoque fuiſſe a multis adhibitas literas„ norunt autem omnes, (continuatur) quam ſit adhuc inter ſingulas prope nationes controverſa earum literarum prolatio. Nos itaque ex doctiſſimorum hominum judicio, ut unicuique liberum eſſet illas pronunciare, ut vellet, ipſarum characteres Hebræos Latinæ conſonanti, quæ ipſas indicat, præpoſuimus. „ Edmundus Caſtellus Lexici Heptaglotti par. 1. pag. 220.

mus. *Unde & nobis curæ fuit omnes V. Legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digeſſerat, de Cæſareenſi Bibliotheca deſcriptos, ex ipſis Authenticis emendare. In quibus & ipſa Hebræa propriis ſunt charactеribus verba deſcripta, & græcis literis tramite expreſſa vicino. Aquila etiam, & Symmachus*, 70. *quoque, & Theodotion ſuum ordi-*

220. ad literam octavam Perſarum *Chheth*, obſervat literarum *tet*, *tzade*, *gimel*, *zain*, *ain*, *Koph* ſonum ab Europæis neque apte pronunciari, neque ſine viva docentis voce clare intelligi poſſe.

Non tam imperfecte, nec tam ab ignaris Magiſtris didicit noſter Bethlehemites, qui etiam Arabicæ dialecti, quæ non multum ab hebræo diverſa eſt, & hodie ad vocum hebraicarum incertam ſignificationem eruendam plurimum valet, notitiam habuiſſe videtur; optimè enim obſervat, Jobi librum cum hâc maximam habere ſimilitudinem, dicitque ſe tranſlationem ejus adornaſſe, nullum ex interpretibus ſequendo, ſolum *ex ipſo hebraico*, *Arabicoque ſermone & interdum Syro*, quem pariter, cum rurſum & hic mera ſit hebrææ dialectus, maximè poſteaquam chaldaicè noverat, ex familiaritate cum Monachis Syriæ hunc, non alium loquutis, perceperit, quem nonnunquam allegat. Sic Eccle. 1. dicit ad vocem: royoth. 70. *non Hebræum ſermonem expreſſerunt*, *ſed Syrum*, *dicentes proæreſin*. Nec in hoc fallitur. (pag. 145.) Sunt, qui etiam Ægyptiacæ cognitionem eidem attribuant, quia præfatione in Regulam S. Pachomii dicit ſe *ſimplicitatem ſermonis Ægyptii* in Latina *fuiſſe imitatum*. Nec hoc quidquam habet paradoxi: ſolertiſſimus quiſpiam, & felicioris talenti ſex diverſas linguas perfectè intelligere, & loqui poteſt, tanto facilius, ſi tres poſteriores meræ dialecti ſint priorum. verum de his ſentiat quiſque, prout voluerit, Hebrææ linguæ peritiam Hieronymo tantam fuiſſe, nullus ut Grammaticorum hodiernorum ipſi ſit æquiparabilis, ex dictis colligitur.

dinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi, qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt, tres alias editiones additas habent: quam quintam, & ſextam, & ſeptimam translationem vocant, authoritatem ſine nominibus interpretum conſecutas. Hoc immortale illud ingenium ſuo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimeamus ſupercilium Judæorum, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliva, & raſâ fauce gaudentium. (pag. 268.)

Cæteris requiſitis dotibus fuiſſe præditum tanto eſt luculentius, ſi regionum, locorumque cognitio, ſi mores populorum perſpecti aliquid conferunt, quod de Ulyſſe mox initio Odyſſeæ velut horum expertiſſimo canit Homerus: *multorum hic hominum mores conſpexit & urbes.* (pollón anthrópón iden aſtea, kæ noon egnó.) Id potiori jure de Hieronymo dici poteſt. Si Hebraicæ gentis antiquam poſtulas hiſtoriam, inſignem traditionum, interpretationum, fabularum, & obſervationum Judaicarum farraginem in Commentariis ſuis, cæterisque ſcriptis larga manu inſperſit, quo conſtat non idiomate ſolum, ſed univerſa fere ætatis ejus encyclopædia Hebraicâ imbutum fuiſſe. Et hæc quidem in tam clara luce poſita ſunt, ut non ignobilis inter Proteſtantes Criticus Carpzovius pleraque non ſolum concedat, ſed etiam ſerio affirmet, & probet quam maxime, qui poſtmodum ſubjicit „ non poſſum translationibus ejus ex Hebræo eximium non ſtatuere pretium, cum bonæ interpretationis regulas curatè obſervaverit, & nunc verba, nunc ſenſum, nunc ſimul utrumque, prout res, & neceſſitas ferebat, latinè expreſſerit, ut præfatione in Jobum teſtatur.„ Addatur his rationibus

nibus aſperrimum vitæ genus, aſſiduæ Orationi, & tenerrimæ pietati conjunctum, quo diviniori luci aptiſſimum animum præſtitit, aliorum quoque orationibus ſe adjuvari enixè petiit, ut poſſet ſacros libros eodem Spiritu, quo ſcripti ſunt, in Latinum transferre ſermonem, ut ipſe dicit præf. in Pent. merito proin Eccleſia 30a Septembris in Oratione de ſancto iſto, Deo gratias refert in hunc ſenſum. Deus, qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacris ſcripturis beatum Hieronymum Doctorem maximum providere dignatus es!

Si via authoritatis procedamus, pro eximia, ac conſumata Hieronymi eruditione ſuffragium ferunt univerſi veteres, viri, in quibus ſanctitas, & doctrina pari gradu de palma contendunt, teſtanturque in ipſo nihil omnino fuiſſe prætermiſſum, quod ad inclytum Eccleſiæ Doctorem, ac verè magnum Theologum inſtituendum pertinebat: affirmant Hieronymum unum eſſe, quem habet Eccleſiaſticus orbis utraque doctrina ſacra, & gentili juxta abſolutum: concludunt, cæterorum quidem alios aliis dotibus commendari, in iſto una comprehenſione junctum fuiſſe, quidquid in aliis, per partes miramur. Præfixi operi fines hæc transſcribere encomia non patiuntur, quibus per ætatum ſucceſſiones Hieronymus ab omnibus nullo non tempore fuit exornatus, Tom. 11. Operum edit. Vallarſii legi poſſunt, ubi 44. Authorum de inſigni Hieronymiana eruditione teſtificantium nomina ponuntur. Plurimi fit ab Auguſtino, a S. Proſpero dicitur: *Hebræo ſimul & Grajo, Latioque venuſtus eloquio, morum exemplum, mundique magiſter:* a Caſſiano: Catholicorum Magi-

giſter, cujus ſcripta per univerſum mundum quaſi Divinæ lampades rutilant. Vir ſicut maximæ ſcientiæ, ita probatiſſimæ puræque doctrinæ, toto Mundo mirabilis. A Gennadio: luculentiſſimus interpres. A Facundo Hermianenſi: vir admodum doctus (qui) tantæ erat lectionis, ut omnes, aut pæne omnes ſive in græco, ſive in latino eloquio Divinarum ſcripturarum tractatores legerit.

Prætera Gelaſius Papa in Concilio Romano 70. Epiſcoporum ſe ea ſentire profitetur, quæ ſenſiſſe Hieronymum conſtat. Lupus Servatus, eum alterum lumen vocat Tractatorum, Divina & ſæculari doctrina præcipuum. Alter: Doctórem tot linguis incomparabiliter eruditum, cui in ſacrario literarum vix aliquis poſſit comparari. S. Althelmus Epiſcopus canit: *inclytus hic conſtat ſchedis per ſæcla magiſter, quæ nunc per mundum ſcribuntur ritè quadratum*: inter Opera Alcuini: totius Hieronymus doctor mirabilis orbis: Jonas Aurelianenſis: Hieronymus S. Legis interpres, & ut ita dicam: Bibliothecà matris Eccleſiæ.

Si adhuc ex Tomo III. operum ejus pag. 993. apud Joan. Martianæum poſita duorum Eraſmi, & Sixti V. teſtimonia produxero, finem faciam laudandi virum illum, cujus laudibus limites ætas nulla poſuit.

Bonis artibus, & ſtudiis expolitum fuiſſe Hieronymum qui neget, nemo virorum èſt, ſi magiſtros, quibus in humanioribus ſtudiis, Rhetoricis, & Philoſophicis uſus eſt, ſpectes, optimi, & ſummi fuerunt, verè tamen diſcipulus de ſe dicere potuit: ſuper omnes docentes me intellixi. Si naturæ felicitatem expendas, quid illius ingenio vel ardentius ad diſcendum,

vel

vel acrius ad judicandum, vel fæcundius ad inveniendum? ſin eloquentiæ laudem requiras, in hac certè Chriſtianos ſcriptores univerſos longo poſt ſe reliquit intervallo. Sin doctrinam exigas, quæſo te! quem habet vel eruditiſſima Græcia ſic abſolutum in omni doctrinæ genere, ut cum Hierónymo ſit committendus? quis unquam pari felicitate omnes totius eruditionis partes conjunxit, & abſolvit? quis unquam in tot linguis antecelluit unus? cui tanta hiſtoriarum, tanta Geographiæ, tanta antiquitatis notitia contigit unquam? ſacrarum, ac prophanarum omnium literarum abſolutam ſcientiam eſt conſecutus. Sin memoriam examines: quis Author ſeu vetus, ſeu novus, quem ille non in promptu habuerit? ſin induſtriam: quis unquam tantum aut evolvit, aut ſcripſit voluminum? quis ſic univerſam Divinam Scripturam edidicit, imbibit, concoxit, verſavit, meditatus eſt? jam ſi morum ſanctimoniam ſpectes, quis Chriſtum ſpirat vividius? quis docuit ardentius? denique quis eum vita magis expreſſit? Hæc Eraſmus; cujus magnum eſt nomen apud Proteſtantes.

Tanta per ſe eſt Vulgatæ editionis auctoritas, tamque excellens præſtantia, ut majorem deſiderare penitus inane videatur. - - Libros in ea contentos partim ex vetere Itala fuiſſe retentos, partim ex Hieronymi translatione adſcritos - quibus idcirco, quantus honor deferendus ſit, is facile intelligit, qui eorum interpretis dignitatem agnoſcit. Fuit enim S. Hieronymus Græco, Latino, & Hebraico eruditus eloquio, & ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis, literisque ſacris ad decrepitam usque vixit ætatem: atque omnes,

quis

qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerant, pæne vidit, aut legit: conſulebatur ab omnibus; qui ad Sanctarum Scripturarum ſcientiam conſequendam nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, & doctiſſimos quosque in Gallia adiverit. Conſtantinopoli Gregorium Naz. Alexandriæ Didymum, & alios alibi conquiſierit, uſus denique clariſſimis Hebrææ linguæ magiſtris, plurimis, iisque eruditiſſimis. Quin imo & loca ipſa, quæ in Scripturis ſæpe commemorantur, inſpexit, idque ad intelligentiam ſcripturarum ſummopere ſibi profuiſſe teſtatur. Quicunque igitur tanti interpretis ſanctitatem, ingenium, eruditionem, ſolertiam, magiſtros, labores, illud, in quo vixit, ſæculum, cum linguarum omnium, & præſertim Hebrææ ſtudia florerent, diligenter ſpectaverint, facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, aut etiam meliora, ſeu paria præſtare ſe poſſe confidunt.„ Hæc Eccleſiæ Catholicæ ſummus Sacerdos Sixtus V. in præf. Bibliis ſuæ edit. præfixa.

Nec minora ſunt, quæ Heterodoxorum complures in commendationem Vulgatæ, atque ipſius Hieronymi depromunt, laudum encomia. Namque Vulgatam noſtram, licet quidam eorum omnibus remis, velisque reprehenſum eunt, moderatiores tamen Theologi, cujuscunque demum ſint inſtituti, ſed eminenter docti, & qui non ſunt de vulgo, plurimi faciunt. (pag. 34.)

Omnium nomine reſpondet Brianus Valtonus vir ab editis Polyglottis Anglicanis celeberrimus, Proleg. 10. Nro 14. *Vulgatam eſſe magnifaciendam, & non temerè proſcindendam, tum prop-*

propter ejus Antiquitatem, & uſum generalem per Occidentem per mille annos, tum propter interpretis, quem Hieronymum ex parte agnoſcimus, doctrinam, & fidelitatem, quem de Eccleſia bene meruiſſe, gratis animis prædicant Proteſtantium doctiſſimi.
Oxonienſium, Conradi Pellicani, Hugonis Grotii judicium (pag. 34.) vidimus, hic tunc ita locutus eſt in voto pro pace Eccleſiæ, dum factioſo illo tempore exorta etiam circa Scripturæ lectionem contentio homines multiplicatis verſionibus in diverſa ferebat, qui præf. in V. T. rationem aſſignans, cur notas ſuas ad Vulgatam tamquam textum Scripturæ referat, *Vulgatum* (inquit) *ſemper feci plurimi, non modo, quod nulla dogmata inſalubria contineat, verum etiam, quod multum in ſe habeat eruditionis.* Vidimus & Druſium Joan. (pag. 33.), qui inſuper addit: „interpres vetus Latinus haud paulo eſt melior, quam vulgo exiſtimatur, quædam melius convertit, quam recentiores.„ Ludovicus de Deo in notis ad Evangelia, vir Orientalium linguarum cognitione in primis celebratus, Vulgatam cum Eraſmi, & Bezæ verſionibus conferens, hoc promit judicium. *Si Vulgatum interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum, imo doctiſſimum virum fuiſſe aſſeram, non me peccaſſe judicavero. Suos habet nævos fateor, habet & ſuos barbarismos, ſed quin paſſim ejus fidem, judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non poſſum.* Paulus Fagius verſionis ſuæ Latinæ Paraphraſeos Chaldaicæ C. 4. qui Vulgatam vituperant, *non attendunt, quid, & quem ſecutus fuerit Vulgatus Author, cum enim a veritate Hebraica diſ-*

ſen-

ſentire videtur, vel 70. vel Paraphraſten Chaldæum, vel aliquem ex Rabbinis ſecutum fuiſſe verè ſemper deprehendo: non eſt ergo temerè nata Vulgata editio, ut quidam ſcioli ſtultè & imprudenter clamitant. Albertus Schultenſius, vir, qui multa Hebræi codicis obſcura, vel incerta vocabula conatu felici, eruditione rarâ, utilitate eximiâ ex Arabico ad claritatem reduxit, præf. in Jobum edit. Vogel. pag. 17. *verſioni Vulgatæ ut plurimum tribuo generatim, ita ſpeciatim in Jobum, palmam ei præ cæteris deferre non dubito, eſt etiam non parum ſæpe, ubi recentiores vincat.* Caſaubonus in notis ſuis ad Evangelia, & Actus Apoſt. ſæpe Vulgatam Græci textûs hodierni lectioni præfert, & cum antiquis MSS. eandem congruere oſtendit. unde ſæpe, cum diſſentire videtur a Græco, nec Vulgatam dicit in vitio cubare, nec in interpretis errorem invehitur, ſed Græcos codices, quibus Latinus interpres uſus eſt, a noſtris hodiernis variaſſe oſtendit, ut obſervat Nat. Alex. Tom. 4. pag. 527. Hanc Calovius ratione perſpicuitatis, & proprietatis verborum, aliis plerisque Latinis interpretationibus anteferendam ducit. Beza invehitur in Eraſmum, ut qui ſine cauſâ recedat a Vulgatâ, ſed ejusdem criminis Eraſmus accuſat Bezam, adeo nec in ſemetipſis probant illud, cujus oppoſitum nobis vitio vertunt, conſentiunt rectè fieri a ſuis, quod nos dum facimus, non tam ex vero, quam ad ſpeciem culpant. Famigeratus Michaelis Profeſſor Goettingenſis, ab heterodoxis velut quoddam ſæculi noſtri oraculum habitus, Orientalis literaturæ laudem conſecutus ſingularem, in recenſione ſubſidiorum ad

Hebræam linguam intelligendam §. 23. palam fatetur, ſe ex nulla vetere verſione ad intelligendam Hebræam linguam tantum profeciſſe, quantum ex Vulgata. Obſervat ſingularem conceptum de Hebraica eruditione Hieronymi formaturum eum, qui ejus commentaria attenta mente perluſtraverit. Bibliothec. Orient. T. S. Millerus Profeſſor Dogmatices Georg. Auguſtæ edit. Lipſien. 1767. *Vulgata errata habet, ſed hoc non obſtat, quo minus a proprietate, & perſpicuitate quam maxime commendetur.* Joan. Boys Vulgatam juſto tuetur volumine. Ludovicus Capellus in Libr. Eſther. judicium, ingenium, eruditionem doctam, & ingenuam in verſione libertatem, ſermonis puritatem, elegantiam, bonam fidem laudat. Rambachius in Academia Gieſſenſi Proteſtantum celebris Profeſſor L. 3. C. 8. §. 13. dicit etiam Lutherum ſuum in locis obſcurioribus, cum aliis ſubſidiis deſtitueretur, ſæpe ſenſum a Vulgato interprete ſuppeditatum in ſuis Germanicis Bibliis expreſſiſſe. Utinam potius omnia ab eodem deſumpſiſſet, minus novaſſet, minusque erraſſet! Erneſti Bibl. Th. 7. non dubitat iſtud apertè dicere: *Lutherus pro ſuæ verſionis fundamento non archetypon, ſed Vulgatam habuit.* Confidenter aſſerit Joan. Bern. de Roſſi ſpecim. variar. Lect. Romæ 1782. pag. 120º „Vulgatæ authoritatem in variis lectionibus, & diſſenſione ab Hebræo hodierno textu, veteribus erroribus, & præjudiciis antiquatis, eoque, ut videtur, animorum æſtu & odio ſublato, quo ante ferebantur, agnoſcunt jam, & luculenter confitentur doctiores heterodoxorum Critici. Quotquot variantes, proin dubias lectiones collegerunt, Vul-

ga-

gatæ authoritatem in ſubſidium vocant. Auguſtus Dathe doctus Hebraicarum literarum in Lipſienſi Academia Profeſſor diſertè ſcribit, *verſionem Vulgatam inter eas, quæ ex antiquitate ſuperſunt, haud infimum locum occupare:* ex duàbus eam verſionibus eſſe mixtam, *quarum par non poteſt eſſe auctoritas, utriusque tamen ſemper tanta, quæ ſine temeritate prorſus rejici non poteſt.* Luculentius adhuc loquitur Joh. Auguſtus Starckius ſummæ eruditionis, ac judicii vir, qui in opere doctiſſimo de Davidis, aliorumque Poëtarum Hebræorum Carminibus multis in laudem & authentiam Vulgatæ prolatis, Tridentini decreti agnoſcit æquitatem, candideque fatetur, nihil in eo durum, aut a libertate Chriſtiana averſum ſe deprehendere, ſed legem potius ad unitatem Eccleſiæ valde ſalutarem, ne verſionum varietate confunderentur imbecilliorum animi. Ex ipſis porro ad Pſalmos adnotationibus (concludit), *perſpecturi ſunt eruditi, quantum nobis in recte dijudicandis lectionibus antiquis præſidii hæc verſio præſtiterit.* Hæc in rem meam Roſſius. (confer. pag. 33.)

Nempe veritatis ſtudioſis, quamvis a ſacris noſtris ſint alieni, non poteſt non ſingulariter placere in Vulgata illa fidelitas, qua Latini ſermonis potius declinat venuſtatem, modo quod in fonte legitur, perſpicuè poſſit exprimere, nulla hîc fucatioris elocutionis ambitio, ſimplex, & nuda eſt veritatis expreſſio, abeſt malum illud, ut inquiunt, inevitabile, partium ſtudium, quod efficit, ut Catholicus etiam in verſione Catholicus, Lutheranus, Lutheranus, Calviniſta, Calviniſta, Socinianus, Socinianus eſſe non deſi-

nat. Quod dum ita evenire non negant, quid ſalubrius, quid magis conſultum, quam retin e-re verſionem illam, quæ has omnes, quibus hodie ardent animi, controverſias antegreſſa, ſola in Eccleſia Occidentali, cujus omnes nos filios profitemur, mille annorum ſpatio probata perſeverat?

§. III.

Laudibus Vulgatœ ajunt obſtare errores ejus copioſos, ſed ſine ratione.

I.

Namque errores illi, quos longa ſerie non tantum heterodoxi, ſed etiam Catholici in apricum proferunt, adhibito diligentiori ſcrutinio aut nulli, aut leviſſimi deprehenduntur: quales ſunt bis mille variantes illi loci, quos enumerat Thomas Jameſius Anglus in L. *Bellum Papale, ſive concordia diſcors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem:* Londin. in IV. an. 1600. aut errata illa, quæ adhuc etiam poſt emendationem an. 1631. ſupereſſe putant e Catholicis Lucas Brugenſis, & Bukentopius, quorum CIII. recenſet Natalis Alex. Hiſt. Eccl. Tom. IV. Diſſ. 39. quæ demonſtrantur ibidem adverſus P. Claudium Fraſſen Ord. Minor. Theologum Pariſienſem. (pag. 421.)

Primo: Etſi inventa ſint, actuque inveniantur in Vulgata errata, nunquam tamen, ut Sixtus Senenſis reponit Bibl. L. 8. aliquid deprehendi ſeu in veteri, ſeu in hodierna editione potuit, quod fuerit vel a veritate Chriſtianæ fidei devium, falſumque, ac mendax; vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, vel

præ-

præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omiſſum; vel adeo depravatum, ut occaſionem pernicioſè errandi attulerit, vel hæreſibus, ac pravis dogmatibus materiam, & fomenta præſtiterit; vel ita obſcure, & ambiguè verſum, ut myſteria noſtræ fidei occultaverit, aut non ad ſufficientiam, & quantum ſatis eſt ad ſalutem, explicaverit.

Leviores autem differentias, aut etiam mendas conſulto correctores diſſimularunt, & reliquerunt, quod ſæpe in ambiguo eſſent, quodve animadverterint, nihil periculi in fide ac moribus ex his tam levibus erratis imminere, ne fideles importunæ, ac nimis exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures inde ab infantia vetus illa editio occupaverat. Nonne idem fit in fontium ipſorum, Hebraicorum, Græcorumque editione? nonne Eccleſia vetus talem emendandi normam, ne quid nimium ſit, in Hieronymo, qui ſæpiuſculè multa ex veteri Itala retinuit, licet in Commentariis moneret aliter aptius transferri poſſe ex Hebræo, probavit? nonne decuit vetuſtam illam editionem, & ingenuam antiqui interpretis ſimplicitatem venerari, quæ fidem Eccleſiæ educavit, roboravit, evexit, ut non omni ex conjectura mutetur? nonne conveniens erat Apoſtolorum inſiſtere veſtigiis, qui verſioni 70. etſi ab Hebraico ætatis illius fonte diſcrepanti ſimilem honorem habuerunt?

Secundo: Ad Jameſii Proteſtantis invectivas reſpondet, & kat' autopſian (ad oculum) oſtendit laudatus Bukentopius L. Lux de luce 3. in præf. *nullam eſſe realem contrarietatem utri-*

usque lectionis, hoc eſt, nihil ad fidem, & mores ſpectans eſſe diverſitatis inter utraque Biblia; ſed in omnibus pœne locis eundem plane ſenſum exprimi, etſi parumper mutatis verbis, aut etiam mera diverſa eorundem verborum conſtructione.

Sed neque Concilium Trid. ſibi contradicit, dum Authenticam pronunciat, & tamen emendari quam diligentiſſime Vulgatam jubet. Nam primum fidei & morum, alterum levioris momenti res pro objecto habet. Aut clarius: Concilium Authenticam dicit, ut erat *per ſe:* emendandam ut erat *ex accidenti:* illapſis progrediente tempore nævis; neque unus Pontifex adverſatur alteri, ſed priore multa menda ſufferente, eodem aſſumpto labore, plura adhuc tollit poſterior, ut, licet prior editio, *quoad fieri* tunc *potuit*, *emendatiſſima*, adeoque acceptanda, neque privatâ authoritate caſtiganda foret, ſequens tamen eadem authoritate Apoſtolica ſecundis curis perfectior prodiret. in quo labore utique nihil eſt contrarietatis, plurimum laudis. (pag. 93.)

Tertio: Univerſim errores Vulgatæ a Proteſtantibus objici ſoliti ad 8. claſſes revocantur.

1° Dum loca adferri poſſunt fontibus directè contrapoſita, quale illud Gen. 8. 7. de corvo non revertente, pro: revertente. Sed mox oſtendam corvum reipſa nunquam reverſum fuiſſe, aut ſaltem rem eſſe in ambiguo. Cætera vero, quæ huc coacervantur, faciliorem adhuc habent apud interpretes explicatum.

2° In numeris eſſe errorem. Sed utinam non eſſent etiam in Hebræo quoad numeros errores complures! producuntur a præſtantioribus Cri-

Criticis Proteſtantum. Liceat adducere verba Sam. Bocharti præf. in Hieroz. pag. 62. „Cum 1. Reg. 4. 26. Curulibus Salomonis equis attribuuntur ſtabulorum, aut ſaltem loculorum 40000. ſed 2. Par. 9. 25. nonniſi 4000; alterutrum mendoſum eſſe oportet, cum hæc duo ſint aſyſtata. Conſentiunt Jacobus Capellus, Polus, Grotius, & alii. Calmetus 3. Reg. 4. 26. *reputare non immerito poſſumus amanuenſes literulas duas ſuperfluas adjeciſſe, ut pro ärbay, 4, reddiderint ärbaim*, 40. Opponi ſolent Gen. 8. 4. & 11. 13 ſed ibi Hebræos codices errorem, Vulgatum habere veritatem ſuſtinemus. Rurſus: Exod. 32. 28. ſed etiam hic Vulgatus defendi cum fundamento poteſt. (pag. 319.)

3° Deficere multa in Vulgata, quæ adſunt in fonte. Sed infirma eſt hujusmodi argutiola, nam fontem abundare, & ſuperfluis acceſſionibus turgere, ſubinde oſtendetur. Superflua, & impertinens ejusmodi adjectio eſt illa: *quia tuum eſt regnum, tua potentia, & gloria:* Matth. 6. in oratione Dominica. Hoc argumentum ab hoſtibus veritatis oppoſitum fuit contra 70. verſionem Eccleſiæ primitivæ, nec tamen ideo Græcam verſionem ex fonte Hebræo cenſuit reformandam.

4° Multa abundare, & ex ſuperfluo addita eſſe in Vulgata, quale illud Gen. 4. 8. Iſtud vero priori oppoſitum pari facilitate refellitur. Ac Gen. 4. 8. in fonte lacunam eſſe omnia demonſtrant, quod alio loco declaraturi ſumus.

5° Menda reperiri librariorum, quæ jam ſint authoritate Pontificum munita. Uti Exod. 15. 19. eques pro equus. Verum 1° falſo ponitur menda librariorum authoritate Pontificum

muniri, id Pontifices intendunt nunquam, gravis ſit eis injuria, dum iſtud iis impingitur. 2° Siquæ a nonnullis menda eſſe judicantur, ab aliis defenduntur, atque ideo relicta fuere, donec res uberius elucidetur. 3° Quod eques, pro equus ſit poſitum: exiguæ latinitatis eſt, qui, quod Gellius, & Calepinus adnotant, ignorat, vocem eques, Virgilio, aliisque equum, & equo vehentem, ſeu inſidentem ſignificare. *It eques, & plauſu cava concutit ungula terram.* Georg. 3. *atque equitem docuêre ſub armis inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.* Et tali reſponſione etiam ad expediendas in Hebræo textu de equis Salomonis ex diverſis Scripturæ locis adductas difficultates luculenti interpretes utuntur. Vide Calmetum 3. Reg. 4, 26. denique quis fontes ipſos ab hujusmodi mendis dicet immunes? par eſt hîc utrinque ratio.

6° Diacriticas notas ſæpe male poni, interpunctiones imperitè fieri. Ad hunc retundendum cavillum ſufficit advertere, nec fontis, nec ullius verſionis interpunctiones eſſe, niſi arbitrarias, tardius appoſitas, a quibus, dum cauſa gravis ſubverſatur, recedi poteſt. In fonte Hebræo, & Græco ſæpe male eſſe fixas conſtat.

7° Onomaſticos offerri errores: dum nomina propria pro appellativis, & viciſſim uſurpantur. Talia eſſe. Gen. 12. 6. usque ad convallem *illuſtrem* pro: *More.* C. 14. 5. *cum eis*, pro: *in Ham.* 1. Par. 4. 22. *qui ſtare fecit ſolem, virique mendacii, & ſecurus.* Pro: *& jokim, & viri Chozba, & Joas.* Et ut vulgariſſimo utar exemplo: Pſ. 94. 9. *ſicut in exacerbatione*, ſeu: ut hodie legitur: *in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto.* Loco: ſicut in *meri-*

riba: ſicut in die *maſſa* in deſerto. Nempe duo caſtra ad Raphidim, ubi populus aquarum penuria efferatus ſeditionem in Moyſen movebat, *diſceptatio*, & *tentatio*, dicta ſunt.

Nec hæc efficaciter urgent: 1° enim ſæpe dubium eſt, an proprium ſit occurrens ejusmodi nomen, vel appellativum, ex quo ſuum cuique jus naſcitur exponendi, prout aptius eſſe judicaverit. Talis locus cenſeri poteſt Gen. 12. 6. 70. planitiem *illuſtrem*, *altam* reddunt. Vallis deſignatur, quæ quercubus conſita amænitate ſpectabilis erat. Idem eſto de Pſ. 94. 9. nec heterodoxi conſentiunt omnes verba: in die tentationis: in die *maſſa* transponi, ſed volunt to *maſſa*, appellativè ſumi; idem de meriba dici poteſt. Res demum exigui eſt ponderis. Ad Par. 4. 22. ipſi Hebræi tradunt Elimelechum fuiſſe, qui non ſecus, ac Joſue ſolem ſit remoratus; item: quod fortis, ac temporibus Joſue natus, ſic dici poterat; cujus duo filii ideo viri mendacii ſint appellati, quod ſine poſteritate relicta ſteriles manſerint; mentiri in hac lingua eſt ſterilem fieri: *mentietur opus olivæ:* quali expreſſione & Hungari, quemadmodum multis aliis Hebraismis utuntur. Hieronymus ſic appellativè transferre potuit, ut ſignificatio, & nomina facilius memoria retineantur, interim ſatis indicans non mera eſſe adjectiva, vel appellativa, cum majuſculis literis expreſſerit, addito: *qui principes fuerunt in Moab.* Theologi apud heterodoxos magni nominis, primatum Hebraicæ linguæ erepturi contendunt, Moyſen ipſum, qui totius ſcriptæ revelationis primus eſt Author, nomina propria omnia, & paronomaſias deperditæ illius primævæ linguæ in Hebraicum ſuæ ætatis idi-

oma vertiſſe, ut ſi Iſaacum *riſum* vocatum fuiſſe a ſuis dicas parentibus: evincere iſtud Grotius in Cap. 11. Geneſeos exemplis conatur, qui unâ addit 70. viros ejusmodi nomina propria ſæpius vertiſſe juxta verbalem, & etymologicam ſignificationem: ſi talem Eccleſia primitiva probavit verſionem, novitia hodie cur contemnit? quod Moyſes ſecundum multos fecit continuo, Vulgatus interpres ſi committat aliquando, reprehenſionem tam acerbam non propterea merebitur. Gen. 14. 5. 70. vertunt *ſimul cum eis:* Hieronymus quoque tranſtulit: *& zuzim cum eis*, quia *bahem* in: ſeu: cum ipſis: loco: in *Ham* legebant. Obſervat Hieronymus in Hebræis ætatis ſuæ codicibus per chheth fuiſſe ſcriptum *behhom* in Hom, hodierni Codd. per he habent, contigit igitur aliqua literarum ſimilium permutatio, nec certo confici hodie poteſt, an he, vel chhet in archetypo fuerit, verſiones antiquæ aliæ he, aliæ chheth in autographis, ex quibus natæ ſunt, habuerunt.

8° Denique errata ineſſe Vulgatæ generis mixti, quæ ad 7. ſuperiores claſſes non aptè referantur, ſed ad genus quoddam ex pluribus mixtum pertineant. Talia eſſe. Gen. 3. 17. *in opere tuo* (maledicta eſt terra) loco: *propter te.* Gen. 21. 9. vidit Sara Ismaëlem ludentem cum Iſaach: loco: hoſtiliter illudentem, ex Gal. 4. 29. & Gen. 38. 5. quo nato parere ultra ceſſavit. loco: & fuit in Cheſib, cum pareret eum. Pſ. non reſurgent impii in judicio: quod eſt contra fidem noſtram de univerſali omnium reſurrectione, loco: non conſiſtent: Pſ. 2. apprehendite diſciplinam, loco: oſculemini filium.

Dico

Dico pluribus permixtum eſſe hoc accuſationis genus mendaciis. *In opere tuo*: ſeu propter opus tuum violatæ legis, idem valet, atque illud: *propter te*: ſeu: in transgreſſione tua: manetque ſemper dubium, reſchne, an daleth Moyſes ſcripſerit. 70. Viri beyabhodecha legerunt, quod futurum in colenda terra laborem, ærumnamque deſignat magis, quam præteritam transgreſſionem. Quia tamen unum antecedit, alterum conſequitur, utraque lectio & loco congruit, & in idem redit.

Ludentem Ismaëlem poſt Hebræi, & 70. viralis textûs nulla compoſitione affectam expreſſionem, polyſemam tamen, Vulgatus optime repræſentavit, ut ſenſui Apoſtolico luſûs ſpeciem declaranti apprimè poſſit aptari. Gen. 38. 5. melior eſt Vulgatæ propoſitio, quâ to chezib, in ſenſu mendacii jam ante expoſito, appellativè ſumitur, teſte Hieronymo tum hîc in verſione tum in qq. in Genes, habita nexûs ratione, quæ planè indicat filium hunc fuiſſe poſtremum, unde & Aquila, ille Cacozelotes Hebraicæ veritatis, & etymologiarum accuratiſſimus juxta Hebræos conſectator vertit: *ſtetit* (defecit) *partus ejus.* alii nomen proprium loci reputant, Joſ. 15. 44. & Michææ 1. 14. ubi Judas moratus fuerit, dum ſua uxor Sellam enixa eſt. Locus ergo in ambiguo ponitur. Pſ. 1. verſio eſt verſionis 70. quam univerſa ſemper probavit Eccleſia, & vocis *kum* propria non minus, quam illa: *ſtabunt:* defenſat ſignificatio: nempe *ad vitam cœleſtem* non reſurgent. Nolim tamen negare alteram clariorem, locove huic aptiorem eſſe verſionem, non conſtituros in cætu juſtorum, utpote qui in judicio cauſâ cadent, quoniam

niam Dominus approbat vitæ inſtitutum, quod juſti ſectantur, illud autem, quod ſequuntur improbi, perdet. Pſ. 2. Nondum eſt evictum verti debere: *oſculemini filium:* quod tanta obtenditur fiducia, ut poſtea docebo. 70. viralis verſio *draksaſthe paedeias:* pugillo fortiter comprehendite inſtitutionem ejus. *Apprehendite diſciplinam:* idem dicit, ſolum aliis verbis. Qui Meſſiam veneraturus oſculatur, inſtitutionem ejus amplexatur, & iſtud qui facit, oſculari ipſum vult, & deſiderat. Nec tamen pigror verba Hieronymi huc inſerere dicentis contra Ruf. „ Niſi prolixum eſſet, & redoleret gloriolam, jam hinc tibi oſtenderem, quid utilitatis habeat Magiſtrorum limina terere, & artem ab Artificibus diſcere; & videres, quanta ſylva ſit apud Hebræos *ambiguorum nominum*, *atque verborum: quæ res diverſæ interpretationi materiam præbuit*, *dum unusquisque inter dubia*, *quod ſibi conſequentius videtur*, *hoc transfert.*„ Si itaque aliquid varietatis iſthic conſpicitur, vocum, quas Spiritus Dei locutus eſt ad homines, ambiguitati, non vero interpretum vitio deputatur; nec ambiguitas iſta in errorem, ſed in plurium veritatum ſibi affinium cognitionem nos deducere nata eſt, atque inſtituta, puta; cum vox bar *puritatem: filium: frumentum*, *electum*, *doctrinam* ſignificat, ut pii ſenſus plures ſibi ſubordinentur; hinc aliqui: *adorate panem:* id eſt: Dei filium ſub externa panis Euchariſtici ſpecie latentem. Ut nihil adferam de polyſemia *naſchſcheku*, quod vulgo redditur: oſculemini. An Chaldæum Paraphraſten Judæi argui ſinent, qui pariter (kabbelu ulpana) *recipite doctrinam* ejus, ſeu inſtitutionem, vertendum eſſe ratus eſt?

Octo

Octo hæ claſſes errorum totidem generalibus Canonibus expediuntur, quibus nunc datæ reſponſiones facile aptari poſſunt.

Primus: Totidem, ejusdemque generis varietatibus olim verſio Græca 70. viralis diſſenſit ab Hebraico fonte, multo puriore, quam nunc ſit; & tamen primis ſæculis habita eſt authentica, nec judicabatur eſſe ad normam Hebrææ lectionis reformanda. Igitur idem nobis de Vulgata hodie ſentiendum.

Secundus: Hebræus, & Græcus textus abſoluta caret authentia, & quandoque mendoſus eſt, vel abundat, vel deficit, vel quædam demutat, ut ex jam dictis quoque intelligitur, & ſuo loco uberius declarabitur.

Tertius: Sæpe in iis locis, qui de mendo accuſantur, Vulgatæ Pentateuchus Samaritanus, 70. Chaldæus Paraphraſtes, & verſiones antiquæ conſentiunt, ex quo conficitur, in antiquis Hebræorum libris, quibus iſtorum operum authores uſi ſunt, conformiter Vulgatæ lectum fuiſſe, codicem vero Maſorethicum labem ſubinde contraxiſſe.

Quartus: Sæpe non eſt circa rem ipſam, & verum ſenſum diverſitas, ſed ſolum in verbis, & modo enunciationis. Puta: dum una propoſitio eſt univerſalis, particularis altera; una generalis, ſpecialis altera: una de toto, de parte ſonat altera. Applica huc, quæ ad ſolvendas antilogias adhibere ſolent interpretes; ſi enim textus ſcripturæ textui conciliatur, etiam opera danda eſt, ut, quantum fieri poteſt, fons, & verſiones, licet inter ſe differre videantur, non propterea illico damnentur, & rejiciantur.

Quin-

Quintus: Cum in Hebræo ſermone voces pleræque ſint polyſemæ, ſæpe diverſitas, quæ fontis inter, & verſionis ſenſum eſſe videtur, oritur ex ambigua, & multiplici vocis Hebraicæ notione: hinc uterque ſenſus verus dicendus, & quidem ſi cetera amice conſpirent, etiam intentus, ſaltem juxta communiorem eorum ſententiam, qui hoc ad Scripturarum fæcunditatem, & Majeſtatem (pag. 26.) pertinere putant.

Sextus: Frequentiſſime ſola puncta diverſitatem ſenſus efficiunt, quæ poſſumus detrahere, & aliter, prout Vulgatæ expreſſio poſtulat, legere, ſi nempe certæ rationes, eæque ſolidæ ſuffragentur, neque enim novitius iſte Rabbinorum partus internum textûs habitum, valoremque nativum poteſt immutare (pag. 7. 16.)

Septimus: Si quæ ſunt reipſa mendoſa, Vulgatam *ex accidenti* minutis quibusdam nævis non carere, haud tamen *per ſe*, & in momentoſis vitioſam eſſe convincunt. Sicut in Fontibus, & verſione omni, quæ ſub ſole eſſe poteſt, ita in Vulgata vel ad variantes, ſenſum tamen nihil immutantes Lectiones, vel ad errata librariorum referri debent.

Octavus: Si usque adeo evidens Fontem inter, & Vulgatam repugnantia appareat, ut nulla inveniatur probabilis ratio utrumque ſibi conciliandi, quod corvo quoque rarius albo eſt, 1° Salmeronis adhibenda eſt regula, (pag. 46.) ut non extemplo fontis lectio præferatur, ſed cetera quoque ſanioris Critices adhibeantur principia. 2° Quando quidem ex Trid. Concilii decreto Vulgata nullo prætextu poteſt rejici, nec ex prætextu Fontis hodie aliud offerentis (pag. 36.

36. 82.)' mutari protinus debet, ſed potius, ſaltem non infrequenter a fonte diſcedendum, nam & hic, & Vulgata potuit errare, & quidem pari facilitate, pro Vulgata vero ſtat decretum Concilii, quod ad talem caſum non extendi nondum a quoquam eſt demonſtratum, unde non videtur tum Vulgatæ lectio inquietanda, & ſuo loco movenda ob ſolam Fontis hodierni differentiam, (pag. 209.) unde naſcitur: 3° Errata illa, quæ Vulgatæ objiciuntur, non eſſe certa, ſed in ambiguo poſita, imo veriſimilius in hujusmodi locis Vulgata recte habet, errant vero, qui errorem, ubi non eſt, quærunt, & ſe deprehendiſſe gloriantur.

Lubet, ſed brevitatis ſtudio ſolum ea, quæ in Geneſi male verſa Natalis Alexander, & ejus adverſus Fraſſenum defenſores arguunt, ordine, quo ibi proponuntur, expendere, & modeſte vindicare; de cetero etiam in decurſu operis hujus ſparſim quædam defenſa reperies, e quibus ad alia, quæ Natalis ibidem producit (pag. 421. 468.) agmine longo, facilem formabis conſecutionem, ſi æquus es rerum æſtimator, perſpiciesque, ratam hactenus Vulgatæ lectionem incertis nonnullorum, quamvis eruditiſſimorum, conjecturis poſthabendam non eſſe.

Primus error non error.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus. Dicit Deus ad ſerpentem. Gen. 3. 15. Indubitatum eſſe, verti oportere *ipſe*, ſeu ipſum, ut ad ſemen, h. e. filium mulieris, non ad mulierem referatur, multis argumentis demonſtrant: olim fuiſſe ſcriptum *ipſe*, & ex *e* factum *a* ero-

ro-

rore, vel quod olim, ut nonnulli monent, pronomina per diphthongum ae ſcriberentur, ex *ipſæ* detrita *e* litera ſupereſſe *ipſa. Prodigioſe igitur hanc ſententiam falſant Papiſtæ, dum legunt ipſa, & contritionem capitis Satanæ referunt ad Mariam.* Ait hoc loco in nota marginali Andr. Oſiander; quod in Hebræo ex Grammatica, & *affixis*, verbique *præformante* oſtendit, & productis Catholicorum teſtimoniis firmat Nat. Alex. Alii vero cum Clerico dicunt ſubaudiri *ſoboles*, vel *proles*, ſicut apud 70. *autos* h. e. ipſe, non jungitur *tó* ſperma, ſed to *hyios*, vel *pæs*, aut tokos ſecundum illud: Reſpicit interdum nomen generale Poëta, quod & Hiſtoricus facit. (confer. pag. 84.) Dico poſt Corn. a Lap. Calmetum, & P. Fran. Xav. Widenhoffer, nihil eſſe immutandum in antiquiſſima hac lectione. Nam 1o Argumenta, quæ contra hanc lectionem producuntur, ultra conjecturam non aſſurgunt; atqui ob eam ſolam lectio hujusmodi eliminari, eique altera ſuffici non debet. Equidem in verſione Hieronymi, prout extat hodie, *ipſe* legitur, & in QQ. Hebraicis in Gen. dicit Hier. juxta 70. *ipſe ſervabit* (inſidioſe obſervabit) *tibi caput: melius habet in Hebræo: ipſe conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum ejus.* Quia & noſtri greſſus præpediuntur a colubro, & Dominus conteret Satanam ſub pedibus noſtris velociter. „ Nec tamen prorſus certum videtur, Hieronymum in textu poſuiſſe *ipſe*, Palatinus Hier. codex habet *ipſa* Tom. 9. Vallars. pag. 26. aut antiqua ſaltem verſio habuit *ipſa*, nam fatente Natale Alex. *maxima pars Latinorum exemplarium* cum Auguſtino, Ambr. Greg. M. Beda,

Ra-

Rabano: juxta Calmetum *Patres omnes propemodum* ita legerunt, ex quo conſequi videtur in 70. ſaltem. multis exemplaribus fuiſſe *aute* ipſa, ut eſt in uno apud Calm. Poëtæ Chriſtiani in ſuis carminibus ita referunt: *Teque tuo perimet mulier, cum ſemine:* Marius Victor. *Conteret una caput tandem tibi fœmina victrix, naſcendumque etiam tali de ſtipite germen.* (ss) *inſiſtens ſemper pavidæ ſectabere calcem* (tu. ſerdens) *conterat illa caput, victoremque ultima vincat.* Alcimus Avitus Vienn. in Galliis Arch. Eppus. Sec. V. T. X. Bibl. Vet. PP. edit. Venet. 1788. Andr. Gallandi Presbyt. Congreg. Orat. pag. 770. verſ. 135.

20° Si bene contextus conſideretur, cum ſerpens non immediate ſemini, ſed matri ejus eam decipiendo nocuerit, hæc ipſa, ut caput ipſius conterat, æquum eſt, ſive per ſe, ſive virtute Filii ſui, quod hic diſerte non exponitur; unde Grotius in hunc locum: *ipſa conteret: quaſi de muliere ageretur, ſenſu non malo.* Si ita: ut quid oportuit tot in hanc translationem inferre cavillos? Sane ultimo facta eſt mentio mulieris, ordinarium vero eſt, ut pronomen demonſtrativum cadat in id, cujus poſtremo fit mentio: *inter ſemen tuum, & ſemen illius:* ex quo pronum eſt cogitare *conteret* ad *illam* re-

(*ss*) Illud antem, quod Bellarminus codicem Hebraicum viderit, ubi *hi*, loco *hu* h. e. ipſa loco ipſe poſitum fuerit: rurſus: quod Joſephus L. 1. Antiq. C. 1. juxta Rufini verſionem dicat: præcepit, ut mulier capiti ejus plagas inferret: in rem meam adferre nolo, quia primum novitium: in altero verſio abludit a fonte, in quo mulieris nulla eſt mentio, ſed in genere de homine eſt ſermo.

referri: *illa conteret;* totus ſermo ad mulierem ſpecialiter dirigitur, directe mulier opponitur ſerpenti, velut *decepta deceptori*, quæ eum propterea hoſtili adverſitate ſit perſecutura, *ſemen* vero mulieris non ſerpenti, ſed multo congruentius in ſerie ſermonis *ſemini* ſerpentis opponitur. (ſemen Hebræis, & cunctis ferme nationibus ſunt poſteri per metonymiam cauſæ; hic ſingularis quispiam eorum, ſive *Meſſias* intelligitur.)

3o Nihil periculi eſt in lectione *ipſa*, prout omnium hac lectione utentium nationum conſenſus declarat, veteres PP. confirmant; quis enim aliter accepit unquam, niſi quod hæc Excellentiſſima virgo eum ſit paritura, qui conteret? contrituram per filium, ut in ſimili dicit Aug. de Symb. ad Catech. Per fæminam mors, per fæminam vita, per Evam interitus, per Mariam Salus, (namque) naturam, in qua ille vicit, Victori dedit, ipſum Victorem noſtrum parvulum fovit, lacte enutrivit, perſequente Herode ſuis ulnis in Ægyptum deportavit, quo ſervatrix ejus noſtrum nobis Servatorem conſervaret.„ Ita, ubi conſtaret, aliquam mulierem Heroem partu effuſuram, qui nationem ab hoſte ſubjugatam, in antiquam afferat libertatem, hanc liberatricem fore, hanc hoſtes contrituram, merito, & citra omnem filii injuriam, immo non ſine gloria ejus diceretur.

4o Spectatis etiam Hebraicis vocibus, qua ex ratione 70. pronomen hu (Hung. ő) ad ſemen referunt, eadem Vulgata ad mulierem referre potuit, nam *hu* ipſe, vel *hiv* ipſa pariter legi poteſt, actuque locis in hoc libro Geneſeos compluribus legitur: & ut *hu* legeretur,

hoc

hoc ipſum ævo Moyſis, fere ut Hungaricum *eö* communis generis fuit, ſexum quod claudit utrumque, quemadmodum optimi obſervant Grammatici, & clare docent Guſſetius, Danzius, Starckius, Reineccius: eodem modo *nayar* olim puerum, & puellam eadem terminatione deſignavit, verbo proſem, (utero excuſſam), donec poſterius appoſito *He* cœpit diſcriminis cauſa puella *nayarah* vocitari. Quid unquam Hebrææ ſermoni magis frequens, quid magis obvium, quam miſcere genera? clariſſimis exemplis ex ipſo Pentateucho adductis docet iſtud Buxtorfius in Theſauro ſuo Grammatico, a pag. 437. usque pag. 445. in quibus omnibus de fæminis eſt ſermo, & genus ponitur maſculinum, puta: Gen. 30. 39. &c. imo Arabes, quorum lingua quoad Syntaxim, & idiotismos fere eadem eſt, in plurali tertia perſona futurorum nec agnoſcunt generis diverſitatem in præformantibus. Quid opus multis? hæc ipſa mulier C. 2. 23. virago (vira proprie, ut veteres dixerunt) appellanda dicitur, quia de viro ſumpta eſt, quod in Hebræo non fæminino: *le zoth thikkare iſcha:* ſed maſculino genere: *le zoth jikkare iſcha:* quaſi dicas: hic vocabitur virago: ponitur. C. 3. v. 12. *Ipſa* dedit mihi, & comedi: Hebr. *hu* legitur, licet punctetur *hiv.* v. 20. Adam vocavit uxorem ſuam *Evam* Hebr. *chhavvah* h. e. per aphæreſin *mechhavvah*, vivificantem, partu alios in hanc vitam edentem, eo, quod mater eſſet cunctorum viventium Heb. Chi *hiv* h. e. remotis punctis *hu hajetha em chol chhaj. Ipſe* mater &c. Si exceptionibus iſtius modi locum dederimus, reformanda veniet vox *Kohælæth* h. e. congregator, Eccleſiaſtes, qui ad

 Ec-

Eccleſiam h. e. evocatam ad audiendum multitudinem dicit, ut non concionatorem, ſed concionatricem appellemus, omnesque Orientis *Chhaliphas* mulieres fuiſſe putemus, quia iſta verbi flexio fæminini eſt generis, ubi monet Reineccius Hebræos, & Arabes in nominibus officiorum, & dignitatum viris competentium genus adhibere fæmininum. Notiſſimo textu Exo- 22. 18. *maleficos non patieris vivere:* quem nemo cenſet immutandum, in Hebræo legitur ſing. fæminino: *mechaſchſchepha lo techhajjæh:* h. e. *maleficam*, præſtigiatricem. Itaque præformans futuri, & ſuffixum maſculinum pro lectione *ipſe* certum non præbet argumentum, cum hujus enallages obvia ubique ſint exempla, hic vero ita loqui Moyſen oportuerit, ut ſingularis prærogativa mulieris iſtius, & virtus Divinitus conceſſa indicetur; ſicut ab oppoſito: debiles, nullius efficacitatis viros fæm. genere aliquoties legimus compellari. E quibus omnibus patet rationes mutandæ hujus lectionis *ipſa conteret*: ultra conjecturam non porrigi, ex Hebræo autem textu nullo certo fundamento poſſe impugnari

Secundus error, non error.

Reſpexit Dominus ad Abel, & *ad munera ejus.* Gen. 4. 4. melius poni cum Theodotione: & *inflammavit.* Quæro, quid velit? an ſic eſſe in Hebræo, aut ſic verti debere? Theodotion explicare maluit modum, quo externum reſpectûs gratioſi, ſeu complacentiæ ſignum Deus exhibuit, & *hanc interpretationem veram eſſe* dicit Hieronymus, ſi quæratur, quomodo Deus munera illa reſpexerit; ſed aliud eſt officium verſoris, aliud commentatoris, modumque rei ex-

pla-

planantis; unde in verſione nihil immutavit Hieronymus. Hebræa vox eſt *ſchaya*, quæ non niſi hoc, quod Germanicum *ſchauen* ſignificat, (pag. 398.) nihil hîc cum incenſione, & ridiculus eſſet, qui ſerio affirmaret ex Hebræo juxta verbi notionem transferri oportere: *inflammavit*, Alexandri verba: *Hebræus textus verti poſtulat*, *inflammavit*. A veritate tantum diſtant, quantum æra lupinis.

Tertius error, non error.

Dimiſit Noe Corvum, *qui egrediebatur*, & *non revertebatur*. Dicam hîc ſcribit Alexander Vulgato, quia Hebræus textus fert: *vajjetze jatzo*, *vaſchubh*; & *exiit exeundo*, & *revertendo*, *donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*; nempe donec aquæ exareſcerent, ultro citroque corvum penes arcam volitaſſe. Quamvis (inquit) vulgatus, ſi rectè intelligatur, non pugnet cum Hebræo, corvus enim in arcam reverſus non eſt, ad arcæ tectum tamen identidem revolabat.

Sed corvus ille atro gutture crocitans, negat ſe ad tectum arcæ unquam revolaſſe, aut ad Noëmi veniſſe conſpectum. Nam 1° columba ideo reverſa eſt, quod non inveniret, ubi pes ejus requieſceret, ſordibus, & torrentibus non aſſveta: corvus vero, cujus natura ab his non abhorret, facile in arboribus nidum, & ſupernatantia aquis, arborumque ramis adhærentia cadavera, eſcam ſibi congruam, inveniens regredi neceſſe non habuit. Columba proin dimittenda erat, cum corvus nuncius haud rediret. Sane oppoſitio realis eſt inter columbam, & corvum in eo, quod illa, non iſte revolaverit; nec locus eſt hîc dandus illi ſubtiliori commen-

to: non revolavit introrſum ad arcam: revolavit ad arcæ tabulatum. Nam intro ad arcam nec columba venit, ſed ſolum tecto advolavit, quam manu extentâ, ut habet textus, Noë introrſum rapuit. Diſpareret itaque omnis oppoſitio, ſi commentitiæ illi explicationi locus eſſet. Moyſes unum aliquid ſcripſit, qui ſimpliciter aut reverſum, aut non reverſum narrare voluit.

2° 70. ferunt: *kæ exelthôn uk aneſtrepſen: & egreſſus non eſt reverſus.* Syrus: *qui quidem egreſſus eſt, neque reverſus.* (pag. 143.) Sic & aliæ verſiones, quæ negationem nunquam poſuiſſent, niſi in autographis legiſſent.

3° Corvum nunquam fuiſſe ad tectum arcæ reverſum fere totus orbis credit, quocunque hæc diluvii pertigit hiſtoria: in proverbium etiam in Oriente abiit: *corvus nuncius*: qui miſſus aliquo, ut nuncium referret, emanſerit. Ethnici fingunt, indubie vel ex hac lectione, vel lectionis tradita veritate, corvum ab Apolline dimiſſum non rediiſſe, donec ficus matureſcerent. Ovidius L. 2. Faſtorum. *immemor imperii ſediſſe ſub arbore fertur, dum fierent tarda dulcia, poma mora.*

4° Si authoritate ſit decernendum, *Patres omnes Vulgatæ lectionem ſervant*: ait Calmetus, nec diffitetur Natalis; ſed, inquit, 70. ſequebantur; ſi ita: illam, veritatem tenere ſuppoſuerunt, ſupponamus, & ſequamur etiam nos! addit Calmetus: *utra melior lectio, in utramque partem diſceptatur. plerique lectionem 70. & Vulgatæ præferunt;* Ex heterodoxis Samuel Bochartus Hierozoici parte II. edit. Lugd. Batav. 1712. pag. 209. 1° vulgarem illam conciliationem: rediit ad tectum: non rediit intro

ad arcam: dicit eſſe reſponſionem inanem, quod illuſtrat hoc exemplo: Moyſes Gen. 22. 1. ait: Deus tentavit Abrahamum: alter vertat: Deus non tentavit Abrahamum: nonne falſus erit interpres? licet alio ſenſu verum ſit, a Deo neminem tentari. Jacob. 1. 13. deinde: in textu: egreſſus eſt: ex arca egreſſus indicatur, porro ſæpe egreſſus, eodem intraſſe ſupponitur; omnino illud *egreſſus eſt exeundo*, hebraikótaton eſſe, ſed: *exiit redeundo*: ineptum ſenſum facere; ut animal quodpiam dicatur exire redeundo. 2° Facili mutatione, quod olim in codice 70. ſeniorum fuit: *velo jaſchubh: & non revertebatur:* converſum eſſe in codicibus hodiernis in: *jatzo vaſchubh: exeundo, & revertendo.* Subjicit: *neque facile dixerim, utra lectio ſit præferenda, & quamvis Hebraicam lectionem venerari ſoleam, tamen Græcam fateor hoc loco eſſe perſpicuam magis.* an igitur non eſſet præcipitare judicium, tam ſolidis rationibus, & authoritatibus firmatam turbare lectionem? maneat ſanctum, atque inviolabile illud ſcitum Hebræorum: in ambiguis ex mera conjectura nihil eſſe immutandum. To *donec* Hebraicam lectionem non juvat, quia in propoſitione negativâ hîc valet *nunquam*, & ſenſus eſt: nec eo usque reverſum, donec ſiccarentur aquæ. Additur *donec ſiccarentur aquæ:* ne aliquis putet, quod valde naturale videretur, & columbæ contigit, ipſum durantibus aquis revolaſſe. Porro vel poſtmodum demum fæmellam, ſuam conjugem tamen deprehendit, vel, quod melius dicitur, ante egreſſum inibat eam, ut Rabbini quidam tradunt, poterat itaque ſpecies corvorum propagari, etiam ſi aquis præfocatus nunquam ad ſuam rediiſſet.

Aliqui Hebræum vertunt: *exivit exeundo, & revertendo* ad naturalem ſuam libertatem, dum ante captivus eſſet. Alii to *ſchubh* ſignificare hîc *receſſum* contendunt: *exivit exeundo, &* ſemper magis, magisque *recedendo*; quaſi innuatur, valde procul demum receſſiſſe, ut nec jam videretur, nec ſpem ullam relinqueret reditûs ſui. Bochartus, Calmetusque Syntaxim Hebraicam verſioni huic obſtare monent. Ego non puto, facile *mimmænnu: ab ipſo*, aut ſimile quid ſubaudiri poteſt. Videas hoc ipſo capite v. 3. talem ſignificationem non excludi. Ruth. 1. 16. non adverſeris mihi *ad recedendum a te:* Hebr. *laſchubh me ächharæcha.* Ezech. 18. 26. *cum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea.* Hebr. *beſchubh tzaddik mitztzidkato.* Dein *ſchobhabh:* pro: *averſus* quandoque occurrit in Bibliis. His ſvadetur nec hodiernam Hebræi textûs lectionem verum illum Vulgatæ ſenſum prorſus reſpuere. Si Hebræa lectio mutata non eſt, veteres negatione inſertâ reddentes, hac notione accepiſſe dicendi ſunt.

Quartus, & Quintus error, non error.

A Natali ponitur Gen. 8. 4. ubi arca requieviſſe dicitur *menſis* 7i *die* 27o. Ac Gen. 11. 13. ubi Arphaxad, poſtquam genuit, 303. *annis* vixiſſe perhibetur, cum tamen priori loco *dies* 17us, poſteriore *anni* 403. juxta Hebræos codices legi debeant. Sed nos Vulgatæ lectionem utroque loco veram, & retinendam probavimus in præcedentibus. (pag. [illegible]7. 319.)

Sextus error non error.

Ipſe eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon Patris ſui. Gen. 36. 24. ſecundum textum Hebræum

(ait

(ait Natalis) legitur: *&* *invenit mulos.* Dein mox Judaicarum fabellarum ineptiis productis ſubdit, conſentire verſionem Arabicam, & Thargum Jonathanis; favere etiam adjuncta, inverit enim, *cum paſceret aſinos.* „ Et indicat ſcriptura aliquid non fortuito, ſed ex induſtria inventum „ putares ex Tripode locutum. In defenſione contra Fraſſeni criticam pag. ibidem 549. additur, Hieronymum innuere, *mulos* eſſe de ſententia communiori, cum enim vir ſanctus enarraſſet, alios maria, ſeu aquarum congregationes, quarum inventio in eremo difficilis eſt, alios aquas calidas, juxta Punicæ lingvæ viciniam, quæ Hebrææ contermina eſt, alios onagros, quos Ana ad aſinas admiſerit, interpretari, adjicit „ plerique (Hebræorum) putant, quod equarum greges ab aſinis in deſerto fecerit primus aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur. Sane cum diverſa punctatio ejuſdem Hebraicæ vocis mutet ſignificationem, a punctationis Authoribus petenda eſt loci interpretatio „ mox ſale perfricatur, & aculeis verborum perpungitur Fraſſenus, qui Latinè, ſed ſine ratione loquatur in gratiam onagrorum, & aſinorum, qui etiam agaſonem in medicum transformet.

Hæc ordine ſuo, quo poſita ſunt, nullo negotio ſolvuntur. *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.* 1 Secundum textum Hebræum legitur: *hajjemim*, quid autem ſignificet, in orbe terrarum ſcit nemo, divinare poteſt omnis, nullus autem, ut Natalis facit, Dictatoria authoritate pronunciare: *ſecundum Hebræum textum legitur: mulos.* 2. Favere adjuncta, nam pavit Ana *aſinos.* Contra eſt. 1. Ut reponit Valent.

 Schind-

Schindlerus in Lexico Pentaglotto ad vocem *jemim*, quia aſinorum eſt mentio, non ſequitur ignotam vocem *jemim* mulos notare. *Levi quadam conjectura ducti exponunt mulos.* 2. Nulla fit mentio *equarum*, vel equorum, ergo quomodo commiſiſſet iſta duo animalia, ut hybrida naſceretur, dum adfuiſſe equos nullatenus probatur? 3. Scriptura innuit aliquid ex induſtria inventum. Errat Natalis! an ſic latinè loquitur? Vox enim Hebræa *matzä*, etſi ultra 400.es extet in Bibliis, tamen, ut advertunt omnes commentatores, nullibi ſignificat, invenire, quod non erat, ſeu excogitare: incidere fortuito, caſu invenire ſignificat. Et demum ſecundum nonnullos aliquando irruere, opprimere hoſtem; ſtructas detegere inſidias. 4. Conceditur ex verbis Hieronymi pleroſque *Hebræorum ſuæ ætatis* ita judicaſſe, non tamen omnes; & pleroſque Ma orum ſenſa non amplius tenuiſſe in re obſcuriſſima. 5. Falſum eſt â punctorum Authoribus loci obſcuri petendam eſſe interpretationem, dum horum Anteceſſores aliud vidiſſe, & intellexiſſe conſtat; male conſuleretur Eccleſiæ Chriſtianæ, ſi hodiernæ punctationis neceſſario inhærendum eſſet interpretationi. Alii comminiſcuntur primo ſcriptum fuiſſe *equas* in coitu, vel ad coitum *calidas*, errore factum: *aquas*: nos dicamus: par enim eſt relicta utrinque conjectandi libertas, primo fuiſſe loco *he*, *chhet*, quod ſimillimum elementum attenuatum eſt in *he*; nec prorſus fingimus. 70. enim habent in Codd. plur. *eamim*, e pro cheth poſito, nam *chhet* per *e* ſolent efferre, ut omnibus notum eſt, & apud Corn. a Lap. adnotatur. Certe Chore, Noe, Thare, illud Hieronymi: la rue a jom: ad ventum

diei

diei apertiſſimè oſtendunt, chhet veteres per e ſonuiſſe frequenter, & quid aliud docet vox *Eva*, in qua *Chheth* in *e* converſum omnium Nationum linguis innotuit? quaſi Chham jammim, vel chhajamim, aut chhemim, quod ſine omni dubietate aquas calidas ſignificat; aptè in rem meam Bochartus Geograph. Sacr. part. poſter. L. 2. C. 16. pag. 764. *punctis nondum adſcriptis pro Hebræo* (hodierno) *hajemim potuit legi hemim*, *Arabicê porro hemim aquas calidas ſonat*, *Giggejus* (in Lexico:) *alhemim: aqua calida:* vicum *Hemaus* â Jeruſalem 60. ſtadiis diſtantem adnotat ideo ſic appellatum, quod ibi fons eſſet calidarum aquarum, & ad morborum curam idoneus, docente Joſepho Flavio. Hæc Bochartus, qui tamen non aquas calidas, ſed *jemim* pro *Emim* poſito, Emæos populos e genere gigantum interpretatur cum Onkelos, & Samaritano, in quos ex improviſo inciderit Ana; rurſus *pro aquis*. Syriaca verſio habet. *iſte eſt Ana*, *qui invenit ſibi aquam in deſerto.* in quem locum Diodorus Tarſenſis. *Syrus*, *& Hebræus jamim aquam ſignificare volunt*, *ac ſi diceret:* (Moyſes) *invenit fontem in deſerto.*

Item: Phæniciâ, ſeu Punica linguâ, quam eandem eſſe cum Hebræa ab eruditis demonſtratum eſt plusquam ſatis, teſte Hieronymo thermæ jemim vocantur; igitur vero ſimillimum eſt, etiam antiqua Hebræa ſic fuiſſe vocatas. Demum *jammim* indubie; atque obviè maria, lacus, & omnem aquarum congregationem ſignificat, legi porro jammim nil vetat, aut archaïkós *jemim* pro jammim apud aliquos ſonare potuit; quam enim parum interſit inter ſonum

pa-

pathach, & tzere, quamve facile præſertim in variis alternent dialectis, non eſt incognitum. Jam nihil facilius eſt, quam Alexandri ſemi-aſinos loco iſto depellere. 1° Licet muli apud Chaldæos, Syros, Arabes, Æthiopes, Ægyptios, Perſas variis, & diſtinctis vocitentur nominibus, quæ Bochartus cit. l. producit, tamen in nulla ex tot linguis *jemim* appellantur: indicio gravi, nunquam ipſis nomen iſtud adhæſiſſe. 2° Ad mulos deſignandos adeſt in Bibliis vox Hebræis notiſſima, & obvia *pæræd*, ſeu contractè pærd, vel *pherd*, cujus etiam etymologia ad ſingularis hujus animalis deſignandam naturam propius accedit, cum tamen vox *jemim* nihil ſimile offerat, hac Moyſes uſus fuiſſet, ſi muli tum noti fuiſſent, aut nomine aliquo deſignati. A pæræd nomen veredus, ac burdo 4. Reg. 5. 17. quidam derivant. Si *jemim* Moſaica phraſi muli ſunt, cur nomine hoc antiquato, aliud in Bibliis tam eſt Vulgare? 3° Cum Patriarcharum opes, omnisque oeconomia ferè in re pecuaria conſiſteret, (unde & pecuniæ nomen Latinis uſurpatur) frequentiſſima eſt de armentis, ovibus, capris in Jobo, in Geneſi mentio, mulorum nullibi, niſi poſt 700. annos ſub ætatem Davidis, nec tunc *jemim*, ſed *peradim* dicuntur; erant proin usque hoc tempus ignoti, ac dum innotuerunt, pərad incœperunt appellari, h. e. ſeparatum ab aliis hactenus notis animalibus genus. Præterea: ſi muli antiqua illa ætate ante 700. annos in montanis *Seir*. noti fuiſſent, incredibile videtur, vicinæ Paleſtinæ manſuros fuiſſe incognitos usque ad ætatem Davidis, & Salomonis, qua veluti rariores quæpiam animantes non ex vicinis montanis *Seir*,

quæ

quæ jam Davidi parebant, ſed ex remotis regionibus non ſecus, ac *pavones*, & *ſimii (tt)* 3. Reg. 10. 22. munificentia Reginæ *Saba* ſunt allati, antea vero nec innotuerunt, nec uſibus homi-

(*tt*) Auro, & argento vix aliquod fuiſſe præ copia pretium in diebus Regis Salomonis 3. Reg. 10. 21. indicatur, quia claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in *Tharſis* (h. e. in Africam, vel in maria longioris itineris, al. Tharſum Ciliciæ. al. Tunetum Africæ al. Toloſam Hiſpaniæ) deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & *ſimias*, & *pavos* Hebr. *Kophim*, *vethüchchijim*, poſteriore voce jam meleagrides, ſeu gallopavones, jam juxta Huetium in comment. de navigatione Salom. C. 7. pſittaci, juxta alios Numidicæ gallinæ, ſeu Africanæ aves Nomadum h. e. paſtoritiam vitam ducentium, & in paſcuis degentium intelliguntur; pro Vulgatæ pavonibus magno eruditionis apparatu, & nobiliſſimorum interpretum conſenſione pugnat Bochartus Hieroz. L 1. C. 20. part. II. Erudite litem dirimit Jacob. Haſæus Diſſert de *Tüchchijim* ad Salomonis, & Hirami navigationes Ophiriticas, & Tharſiſias. 1. Cenſet *thüchchijim* eſſe dialecti *Thav* pro ſono, & figura *S* adoptantis varietate poſitum loco *Süchchijim* 2. Paral. 12. 3. nec aliud, quam cavernarum, & ſpeluncarum habitatores a *ſachach* texit, operuit, & *ſoch*, vel *Süchchah* h. e. ſpelunca, qui Græce a *trógle*. h. e. caverna, & *dyo* ſubeo, ingredior, *troglodytæ* dicuntur, ſive homines ſint, ſive feræ, ut Job. 38. 40. *beſuchchah*, ſignificat in caverna, ubi bene Lutherus: *in der höle*, & 70. Pſ. 10. 9. vertunt: *mandra* (ovium latibulum, hinc Archimandrita cellarum ſeu monachorum in cellis latentium princeps, Rector). ſunt vero *troglodytæ*, qui juxta Solinum C. 44. *ſpecus excavant*, *illis teguntur*, juxta Plinium L. V. C. 8. *ſpecus excavant*, *hæ illis domus*. Igitur aliqui mancipia de tali hominum genere capta, alii homines, ſed non in cavernis, verum in *Süchchoth*, ſeu alia dialecto *thuchchoth* h. e. tabernaculis (papilionibus,) ſeu tentoriis habitan-ſes

minum ſunt adhibiti; hac ætate autem frequenter 3. Reg. 1. 33. 2. Reg. 13. 29. Pſ. 32. 9. nolite fieri, ſicut equus & *mulus*, quibus non eſt intellectus, Hebr. *ſicut ſûs* h. e. equus, & *phærd*, h.

---

tes (prout faciunt Arabes propterea dicti *Schenitæ*) intelligunt. Haſæus vero ſimias, proin nec aves, nec homines, ſed *pithekos*, certum ſimiarum genus, fors quod a caudarum longitudine (*kerkos* eſt cauda) *cercopithecus* dicitur, quaſi dicat: Simias; & nominatim rarius hocce earum genus; *cephus* certa ab aliis multum diverſa ſpecies ſimiorum ex *Küph*, ſeu *Koph* Hebr. Germ: meer-Katzen, quod inſtar felis caudata in Germaniam mari devehantur, ex *tuchchim* vero altera ſpecie, quæ in Ægyptum allata addito articulo Ægyptiaco *pi*, *thüchim* diceretur, Græcum pithe*kos*, finali terminatione *im* in *os*, & *ü* in *e*, ſeu *i* verſis natum eſt. *Pi* enim articulus eſt, ut ex *Uro*, ſeu horus, & *pi*, fit Pharao, *Pi uro*, ut Hung. Ur, ſeu Hebr. hhur, hhurim Dominus, Domini: vel *rum* altus, celſiſſimus *piramis*, a *rám* altus, quaſi excelſa, (die höhe) in altum erecta. Confer Exod. 14. 1. Exech. 30 .17. 1. Reg. 10. 11. 2. Paral. 2. 8. & 28. 9. notum eſt, e lingvis peregrinis articulos una cum vocibus ipſis in vernaculas ſeu ex ignorantia, ſeu quacunque ex cauſa transferri, ita *al* Gebra, *al* calf, *al* manachh, *al* Koran dicimus, & noſtros ſuperaddimus articulos: der Al koran, az Alkòràn: atque eadem ratione judicat Haſæus ex *thüch ſimia*, factum Ægyptiace *pi* thüch, Græce: ho pithekos. Sane Diodorus ſiculus urbes in Africa a ſimiis ne, vel Schenitis frequentatas *Pithechuſas* appellatas memorat; ſimiæ ex Ægypto in Græciam allatæ; Judæorum multi ita tenent, Kimchhius ſec. 12. in Lexico *thuchchim* dicit eſſe *gato majmon* felem ſimiam (majmon Turc. Hung. majom) Qui vero pro hominibus interpretantur, 70. verſores 2. Par. 12. 3. habent ſuffragatores, qui troglodytas vertunt, *qui* (ut Poëta canit) *ſibi de petris ædes fecere cavatis: hi bion en petrèſi katòrycheeſin ethento.* Bochart. par. 2. L. 1. c. 20. Sed, dum vox polyſema occurrit, eo minus

h. e. mulus (hinc German. pferd) 4º Si tam eſt conſtans, & antiqua gentis traditio *de mulis*, producatur illa! novitiam dicimus, quia ſolus Jonathan (pag. 134.) & quidam alii poſteriores habent, Onkelos (pag. 133.) non agnoſcit, non Veteres, ut liquet e verſionibus, & Samaritano. Et vero: ſi tam eſt explorata veritas *jemim* mulos deſignare, dent nobis rationem, cur 70. Hebræi 280. annis ante Chriſtum, item ſec. Ær. Chr. II. Triumviri illi Aquila, Symmachus, & Theodotion Græcis literis Hebræum *jameim* deſcribere contenti, nullam addiderint interpretationem, ut quam certa aliqua ſignificatione reddi poſſe forſitan deſperaverint? Atque hæc reprimendæ temeritati eorum, qui Vulgatam levibus de cauſis, & ex pura, putaque conjectura corrigere volunt, ſufficiant.

II.

Ad examinandam Hebraicam Hieronymi eruditionem convertuntur, contra quam Joan. Clericus, Jacob. & Ludov. Capellus, Richardus Simonius, varias formant objectiones, ſed quæ nullius ſunt ad ſolvendum difficultatis.

Primo: Ajunt Sanctum noſtrum Judæis facilem accomodaſſe aurem, quibus dum credidit, ſæpius in errorem ſit deductus, ipſe namque fatetur in commentariis, quædam ſignificantius &

nus *pavones* Vulgatæ loco hoc auferendi, quod 2. Reg. 17. 30. *Suchchoth benoth: gallina cum pullis*, & *ſechvi* Jobi 38. 36. veriſimiliter juxta Vulgatum recte *gallus* vertatur, ex *thüch*, Arabes hodiedum gallum *dich*, gallinam *dicha*, ut Hung. *tik*, & per *t* molle *tyuk* vocitant.

& melius verti potuiſſe. Ita in C. 19. Iſai. v. 15. ac C. v. 14. *In eo, quod nos tranſtulimus incurvantem, & refrænantem, poſſumus dicere, incurvum, & laſcivientem, nos autem verbum Hebraicum agmon, dum celeriter quæ ſcripta ſunt, vertimus, ambiguitate decepti refrænantem diximus, quod ſignificantius Aquila tranſtulit ſtreblunta, id eſt: qui nihil recte agit, ſed omne perverſum.* Item Zach. 11. ait pro plaſte, ſeu fictore, ſe olim ſtatuarium fuiſſe interpretatum, verbi compulſum ambiguitate, cum certe melius figulum transtuliſſet, quemadmodum apud Matth. C. 27. interpres vere convertit. Subjicit modeſte vir S. *Melius reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam confiteri, in errore perſiſtere.*

Verum putaverit Hieronymus ſe deceptum, quia quod perfectius, & ſignificantius judicabat, non fuit aſſecutus, Eccleſia tamen nihil mutandum, ſed verſioni cenſuit eſſe acquieſcendum (pag. 420.) a qua cacozelotes ille Hebraicæ literæ Aquila haud procul abeſt; profecto *Agmon* non tantum juncum, ſed hamum, ferrum recurvum. Job. 40. 26. ſonat. *Chhaphah* abſciſſum ramum, & incurvatum, hoc ipſo refrænatum, & cur non activè refrænantem? etymon incurvare notat. Cur non ex Arabico prohibentem, retrahentem? Rabbinis quoque *chhaphah* ſingnificat ligare, ſtringere, comprimere, cogere, quæ verbo refrænare vicina ſunt; vulgo tamen *agmon* juncus eſt, *chhapha* ramus, & per illud debilis populus, ſubditi, quos ad imperata quaquaverſum flecti neceſſe eſt, per hoc fortes, Proceres: utroque vocabulo rectores, & plebs, unâ omnes intelliguntur.

Non-

Nonniſi circumſpecte, & cum delectu, ac judicio, nec ubique Magiſtris detulit Hieronymus. Aquilæ verſionem conferebat cum fonte, & verſione 70. virali, ne forte Synagoga in odium Chriſti aliquid mutaverit, ut ſuo loco uberius videbimus. Ad Pammachium, & Oceanum ſcribens teſtatur, ſe miro odio ferri in Judæos; qua Chriſtiani nominis hoſtes, eos, quamvis verſionem ipſius Latinam fateantur veracem, dolere vehementer, quod occaſio ipſis jam ſit erepta Chriſtianos irridendi. *Deuteroſeon* (ſeu Miſchnajoth pag. 140.) h. e. Traditionum Judaicarum exiguam habet rationem, niſi dum aliis etiam firmioribus innituntur fundamentis, *Deuterotas* præcipuos *Hillelum*, & *Schamaium*, (pag. 133.) ut prophanos veritatis diſſipatores (ex alluſione Nominum) in plerisque deſpicit; in C. V. Eccle. directe recedit ab Hebræi Præceptoris verſione, & in C. IX. addit: *ſed quia nobis hæc* (Judæorum) *expoſitio non placet, ad majora tendamus!* ita etiam alibi vice non una. Eccleſiaſticorum virorum traditionem reſpicit potiſſimum, e. gr. Præf. in epl. ad Eph. dicit: *Nunquam ab adoleſcentia aut legere, aut doctos viros, quæ ignorabam, interrogare ceſſavi, nunquam me ipſum, (ut plerique) habui magiſtrum; denique nuper ob hanc vel maxime cauſam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in omnibus Scripturis, quæ habebam dubia, ſciſcitarer.*

Secundo: Hieronymus ſæpius aſſerit vocem aliquam in Hebræo a vocali incipere, ubi tamen regula eſt certa hodiernorum Grammaticorum, vocem omnem inchoari conſonante, ſeu prius efferri conſonantem, dein ſubſequi pronunciatio-

nem vocalis ejus; meminit etiam diphthongorum, quæ tamen nullæ ſunt in Hebræo; quid quod non videatur ſciviſſe *numeralia* ſequiori genere in *ith* terminari, cum Damaſo ſcribat Exo. 13. 18. *Si eſſet: quinta generatio:* legeretur *ameſa dor.* in C. 2. Oſe. de *Bayal* ait: *inter Beth, & Lamed literas conſonantes Ain vocalis ponitur, quæ juxta linguæ illius proprietatem nunc Beel, nunc Baal legitur.* Explicans vocem *Gaza* addit: *Sciendum, quod a principio non habeat conſonantem, ſed incipit a vocali Ain, & dicitur Aza.*

Reſpondetur, Hieronymo *Ain* eſſe vocalem, in quantum in linguis noſtris eſt *aphona*, & ſola ejus vocalis pronunciatur apud gentes exteras, incipit itaque a vocali, prout effertur Latine *Aza*, ut etiam patet ex nomine *Beel;* hanc literam dum ſuperne puncto notatur, Arabes ut *g* durum proferunt, & vocant *gain*, quomodo etiam 70. Seniores in hac ipſa voce *Gaza*, & *Gomorrha*, alias vero ſine omni ſono, ut in vocibus *Hebræus*, *Aminadab* reddiderunt. Non pauci etiam ex hodiernis docent, *Ain*, immo & *Chheth* eſſe vocalem, quia nec hanc effert Hieronymus, niſi per *e*, (prout faciunt etiam 70. Interpretes pag. 490.) atque in hac ipſa voce *ameſa* præterit ſonum conſonantis *Chheth*, qua vox iſta inchoatur.

Præterea à vocali incipit etiam *vav*, ſeu *u* ſonat ante omne *Bumaph*, & literam initialem ſchevate affectam, ita dicimus: *udvar*, *ulmoyadim*, *uben*, h. e. *& verbum*, *& tempora conſtituta*, *& filius*. Quid ſi olim *Iſrael*, *immaſer*, *ithmaſſer*, non *jiſrael*, *jimmaſer*, *jithmaſſer* dicebatur? licuit Joſepho aſſerere L. VI.

de

de bell. Jud. C. 6. nomen Dei tetragrammaton (h. e. IV. conſtans in Hebræo literis *Jahvo* ſeu *Jehova*) per IV. elementa vocalia (ſtoicheia phóneenta) ſcriptum fuiſſe in tiara ſummi Pontificis, & Hieroymo easdem literas *Jod*, *He*, *Vav*, *He* vocales appellare nefas? *Numeralia* quod attinet, ſicut in *ith*, ita etiam in *ijath*, ſi per *i* in maſculino finiantur, ſecus in *ah* poſſunt terminari; idem eſt de nominibus *Gentilibus*, ut monent Grammatici. Porro *Chhamuſchim* pluralem eſſe terminationem, non vero ſingulari dici aſſerit ipſe Hieronymus, ſed verba ejus Clericus non debebat depravare; alioquin ſi iſtud Hieronymus ignoraſſet, rudiſſimus fuiſſet, quod ridiculum eſt. Quod de diphthongis adfertur, has multi agnoſcunt, licet communiter in Grammaticis oppoſitum tradatur, interim in ipſis Grammaticis notatur, vocales cum *jod*, & *vav* diphthongeſcere, quod eodem redit; ſane *goj*, *thaluj*, *Adonaj*, *Schaddaj*, &, ut multi efferunt, *Kav*, *tzav* (gens, ſuſpenſus, Dominus, omnipotens, linea, præcipe) pronunciantur ſicut diphthongi. Adjectiva vero generis maſculini, ſed terminationis fæmininæ, (hic mos eſt linguæ) in numeralibus præcedunt, non ſequuntur, quod tamen pudendo rurſus errore non per ignorantiam, ſed per incogitantiam erroris poſtulat Clericus. Vide Gen. 5. 6. atque ipſam vocem *chhamiſcha* Gen. 47. 2. Qui autem plus, aut perfectius Hebraice ſe ſcire profitetur, quam legatur in Scripturis, vel Scripturæ in Hebræo ſermonem corrigere attentat, non tantum aberrat, inſuper deridiculum ſe præbet eruditis. *Numeralia* contra ac adjectiva alia, ſuis præponuntur ſubſtantivis, quod vere ab Hiero-

ronymo expreſſum dum iterum ſugillant intemperantiores Critici, ridendo ad confuſionem circumferuntur errore, ita Gen. 5. 7. Dan. 10. 2. *ſcheloſcha ſchabüyim* h. e. tres ſeptimanæ, Pſ. 95. pertæduit me generationis hujus 40. *annis: arbayim ſchanah*, non *ſchanah arbayim*. Siquis mortalium, Iſaias Propheta ſcivit Hebraicæ, (C. 15. 5. & 19. 24.) & Jeremias (C. 48. 34.) attamen qui Hieronymo non parcunt, horum ſermonem non poſſunt non reprehendere, ſed quantuli ad obſcurandum lumen tanti Doctoris? quorum in Hebraicis peritiam ſi Hieronymianæ addideris, Crœſi divitiis obulum adjeciſti. (*uu*) Sed non

(*uu*) Ipſi etiam celeberrimi Rabbini poſt tempora S. Hieronymi non amplius ea valent Hebraicæ lingvæ cognitione, qua Majores eorum, adeoque ipſe quoque Hieronymus fuerat præditus. *Rambam*, ſeu Majmonides reconditæ eruditionis, & admirandæ doctrinæ inter ſuos Autor Sec. XII. lingvarum præter Hebræam Arabicæ, qua librum *More Nebhuchim* h. e. Doctor perplexorum edidit, (pag. 357.) Chaldaicæ, Græcæ, & Turcicæ gnarus, de quo dicere amant ejus populares: *A Moyſe ad Moyſen* (iſtum) *non ſurrexit ſicut Moyſes*, candide in Cit. L. C. 1. pag. 451. ſic dicit: *conſtat nos hodie lingvæ noſtræ non uſque adeo peritos eſſe.* R. Salomo ad C. XI. Levit. ubi ſermo incidit de variis animalium nominibus Hebraicis, ſubjicit: *nos in his exercitati non ſumus. Abenezra* ſec. XII. Hiſpanus Rabbi inſignis juxta Buxtorſium Theologus, Aſtronomus, & Philoſophus, qui præclara commentaria ſcripſit in tota Biblia, apud ſuos nomen *Sapientis* (hæchhacham) conſecutus, ita dictus, quod *æbhæn yæzær* 1. Sam. 7. 12. h. e. lapis auxiliaris eſſet ſuo populo ad Theologiam firmandam, & originem ſuam ad Esdram illum S. Librorum emendatorem referret, proin *ibno* h. e. Arabice filius Ezræ, proinde abænezra eſſet, ad Cant. Cantic.

non convenit intentatas ſancto viro calumnias ignominioſis caſtigationibus refellere.

Tertio: Hieronymus in nominibus Hebraicis ſæpe falſas, & violentas adfert etymologias, immo

 quo

tic. C. 5. 11. hanc ob incertitudinem vocum Hebraicarum ſtatuit regulam: *propterea omne vocabulum, cui non invenitur ſocium in Scriptura* (quod tantum ſemel occurrit) *eſt autem ei ſimile in lingva Iſmaëlitica*, (Arabica) *dicemus fortaſſe ita interpretandum, etiamſi verbum ſit in ambiguo.*

Proteſtantum in hoc literaturæ genere non obſcuri nominis Theologus Joan. Forſterus Wittembergæ an. 1556. VIII. Decemb. denatus in Præf. editi a ſe Lexici Hebr. palam aſſerit, perexiguam eſſe in hodiernis Rabbinis Hebraicæ lingvæ notitiam, ipſos, *quod ad S. Scripturæ intelligentiam, atque etiam Hebrææ lingvæ cognitionem attinet, præſtitiſſe quod laudem mereatur, omnino nihil; nam Dictionaria, & Commentaria ipſorum plus obſcuritatis, & erroris in Eccleſiam Chriſti invexerunt, quam lucis, & veritatis.* Nolim tamen ejus verba de omnibus accipi. *Teſtibus Kimchhio* (vixit in Hiſpania circa an. Chr. 1200.) Hebræorum Grammaticorum Principe, Autore Grammaticæ *Michlol* h. e. *perfectio* appellatæ, de quo a ſuis dicitur: *non eſt farina* (purior doctrina) *ſine molitore*, nam (Kimchhi molitor, & Kæmachh eſt farina Heb. *en Kæmachh beli Kimchhi,*) & *Thalmudicis Authoribus*, Rabbini cum multa neſcirent vocabula, fluctuantes, & ambigui ex Arabica, aliisque cognatis lingvis, ſibi cognitis ſunt interpretati, vel prout in tali lingva fortuito ab advenis, vel mercatoribus, & infimæ ſortis ancillis uſurpari audiverunt. *Deprehendimus* (ait Kimchhi) *Magiſtros noſtros lingvam de lingva didiciſſe, cum dicunt in Thalmude: neſciebant Magiſtri noſtri, quid eſſet Iſai* 14. 23. *vetéteti ha:* & ſcopis everram, Tract. Megill. fol. XI. donec audirent famulam quamdam Arabicam dicentem ſociæ ſuæ: *Schikli tététha, veteté betha:* h. e. accipe (a ſchakal accepit, ſumpſit) ſcopas, & everre domum. Alibi vocem ignorantes, ſignifica-

quo nihil poteſt eſſe inſulſius, Græca, & Latina vocabula, tamquam eſſent Hebraica, ex Hebraicis derivat radicibus, ut ſi dicas: *Paulus* os tubæ, ex *pæh* Hebr. os, *oris*, cum pure Græcum ſit *puſillum* denotans, aut vilem, & pravum, ſi cum ſpiritu *phaulos* efferatur. Sine fine Tractatus iſte decurreret, ſi omnia, quæ ipſi cavillantur, referrem, notiora meminiſſe ſufficiat.

Male dicit (inquiunt) *Iſraël* ſignificare virum *videntem Deum*, cum ſit vir *prævalens Deo*, dominans Deo, Princeps Deo: *David* fortem manu, cum ſit *dilectus*, quaſi *dud*, & juxta Chald. formam velut in *peil*, Devid David, *vav* mobili, invariabili. *Orebh* ſiccitatem, gladium, & corvum, ubi tamen ſiccitas, & gladius per *chheth*, corvus per *ain* literas in nullo, niſi quod ambæ *gutturales* ſint, convenientes,

---

cationem, qua ab Arabe mercatore proferri audiverunt, ratam volebant. Præterea ſtabiliverunt nonnulla præcepta ſupra lingvam alienam: ut cum dicunt: quis eſt ſenſus iſtius dictionis *Jobel?* ſignificat illa arietem, dixit enim Rabbi Ahiba: cum iter facerem in Arabiam, audivi, quod arietem vocarent jobla: Roſch haſchana c. 3. 26. (hinc vox Jubilæum Lev. 25. adductæ libertatis, & remiſſionis) &c. *ſcæchvi* Job. 38. 36. an gallus gallinaceus ſit, R. Schimeon filius Lakis dixit: cum peregrinarer in Africa, audivi, quod challah h. e. ſponſam appellarent *nimpham*, & tharnegol h. e. gallum ſcæchvi: Bereſchith rabba ſect. 25. in Arabia vocant tharnegol *ſæchvi*; ex quo infertur *ſcæchvi* valere gallum gallinaceum ſæpe vera, ſæpe falſa conjectandi ratione. Hæc ex comment. Ludolfi Jobi L. 1. C. 15. pag. 202. (ſupr. pag. 154.) Buxtorf. Lexico Hebr. voce *jobel*, Thalmudico voce *taat.* Morin. Exerc. 6. C. 5. pag. 226. Honorati a S. Maria Animadv. in Reg. & Us. Critic. Diſſ. V. pag. 240.

tes, in reliquo longe diſtinctas, ſcribuntur, ut etiam Bochartus Hieroz. L. 2. C. 10. lapſum viri S. obſervat. Neque *Cherubim* ſcientiæ, ſeu cognitionis multitudinem, ut Hier. vult, ſignificat. Vocem *Hoſanna* male epl. ad Damaſum, *Reſcheph* Habac. 3. 5. ubi habemus: egredietur *diabolus* ante pedes ejus: iſtud quidem pro diabolo interpretatur, ut ſit nomen illius dæmonis inter alios principis, qui in Paradiſo ſub figura ſerpentis mulieri ſit locutus, ſiquidem *ræſchæph* reptans ventre interpretatur. Non ita eſt, (inquiunt) *ræſchæph* enim vel avem rapacem, vel motas velociter ignis ſcintillas, carbones vivos, ignitas prunas, & his affinia deſignat; avem quidem rapacem tum ad textæ orationis filum, tum ad Scripturæ analogiam ope radicis e dialecto Arabica repetitæ intelligi docet *Michaëlis*, ut ſenſus ſit: *eum* nempe Deum ultorem *anteibat peſtis*, & *ſubſequebatur avis rapax*, devorans ſcilicet cadavera peſte extinctorum. Quidni ignarum, & infelicem conjectorem ſe prodit in ipſius Alphabeti Hebraici expoſitione? ſcribit enim ad Paulam Urbicam *Koph*, ſeu literam *k* vocationem, *Samech* adjutorium, *Mem* ex ipſis, & ſic porro ſignificare, quod certe violentum, aut falſum eſt.

Reſpondemus ex ſimilibus imperitiam Hieronymi male inferri, cum non ex defectu cognitionis, ſed tantum cujuſpiam illuſtrationis gratia hujus generis derivationes quandoque attulerit; etiamſi vox ſit Græca, ut *Paulus*, Hebraica originatio ei dari poteſt, & e converſo: modo mere illuſtrationis, & labilis noſtræ memoriæ juvandæ gratia iſtud fiat. Simili de cauſa Joſepho Flavio Hebraicæ linguæ peritiam non ſine

injuria abjudicant aliqui, quod ipſorum judicio in vocibus Hebraicis in Græcum ſermonem convertendis errare nonnunquam videatur, e. gr. *Jeroſolyma* ait ſignificare *ſacra* Solyma, quia *hieros* Græce ſanctus: ſed melius alii interpretantur eum *ſacra*, ſeu *hieros* non ex Græco, verum ex Hebraico *jirah* timor, reverentia, adeoque ſanctitas derivaſſe, atque inde ſignificatum accerſiviſſe; cum aliunde ſatis conſtet eum Hebraicæ linguæ probe gnarum fuiſſe, qua gentis ſuæ hiſtoriam aliquando perſecutus eſt, quamve ſuam, Græcam vero alienam, & peregrinam (*allodapén*, *kæ xenén* L. 1. Antiq. C. 1. pag. 2.) vocat dialectum. Ita & de Hieronymo cogitandum, qui vocem *Iſrael* adducta Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & 70. authoritate, adductis ipſis, quibus vox *Iſrael* conſtat, literis planiſſime exponit *vir princeps Deo*, *ſeu dominans*, *prævalens Deo*, a *ſcarah* Dominatus eſt, (unde ſire, ſieur, ex quo monſieur in aliquas linguas migravit) prævaluit, & *el* Deus, quod Angelo Dei vices gerenti in lucta prævalens, a Deo principatum ſit conſecutus, nam vir videns Deum (iſch roæh el) magis in ſono tantum eſt teſte Hier. quamquam a *jaſchar* h. e. rectus fuit, alii derivent.

David fortem manu ſonat, ſi *daj* h. e. ſufficiens, *jad* manus, aut *dajvejad*, vel *vav* & *jod* alternantibus *davjad*, & *jod* ut *i* efferendo *David* pronuncies. Nec tamen neceſſe eſt confiteri, Hieronymianam eſſe hanc originationem, cum ſæpe aliorum adferat, quin ſuo calculo adprobet, *David*, idem ſonare, ac *dod* ſeu *dilectus* optime novit. Quod ad *yoreb* ſpectat, ſeu ad *corvum*, *gladium*, & *ſiccitatem*, animad-

advertendum, Bochartum cito credidiſſe editioni Eraſmi, ponentis verba Hebræa Hebræis literis, quæ Hieronymus Latinis tantum expreſſerat, & quia *ain*, *chheth* eidem mere ut denſior aſpiratio valebant, poſuit hareb, oreb, ereb, qua pronunciatione ſiccitas, corvus, gladius, idem ſunt quoad ſonum in Latina prolatione, addit Hieronymus: *ſed* pro diverſitate nimirum ſignificationis *aliis apud Hebræos ſcribuntur literis*, ut perfectior in ambiguis iſtiusmodi vocabulis explanatio deſiderari non poſſit. Appoſite exagitat Hieronymi vituperatores Joan. Druſius, qui errores viro doctiſſimo affingunt, cum errent ipſimet quam maxime. „Dupliciter (inquit) erratum a nuperis correctoribus in Hieronymum: primum in eo, quod characteribus Hebræis ſcripſerint, quæ Hieronymus Latinis ſcripſerat: deinde quod mutata veteri Lectione pro ea novam, ac Hieronymo incognitam poſuerint.„ h. e. Maſoretharum ſomnia loco lectionis, & pronunciationis antiquæ.

Cherubim verè ſonat multitudo ſcientiæ, facile X. ſignificata voci tribuuntur, *ſicut puer*, quia velut pueri, & juvenes pingebantur, cum *rabe* puer, *ribba* puella ſit Chaldæis, *chaph* vero præponi ſolitum notam efficiat ſimilitudinis; vel *bos*, cum *cherab* Syris arare, *cherob* aratrum, *charub* aratorem 1. Cor. 9. 10. deſignet, quæ notio probatur Calmeto in C. 3. Gen. 24. Collat. Ezech. 1. 10. & 10. 14. profecto Ezech. 1. 10. quæ dicitur facies *bovis: pné ſchor* Hebr. C. 10. 14. velut ſynonymo iteratur *pné cherub* h. e. facies Cherub. Duæ puerorum imagines ſuper operculo arcæ ex auro ſolido ex utroque latere alis ſe contingentes, ut quaſi ſe-

 dilis

dilis formam Deo, qui phraſi Scripturæ ſuper Cherubim ſedere dicitur, pararent, Cherubim vocantur Exo. 25. loc. cit. Geneſ. Hieroglyphicon quoddam ſignum, unum variis e figuris compoſitum, comminiſcuntur alii, monſtra terrifica, aut longi fulminum tractus, & fulgetra aliis, plerisque Angeli ſunt, quos Moyſes ita appellaverit, accomodans ſe captui populi, cui noti erant Cherubim arcæ in tabernaculo. Alii *ſicut Rabbi*, ſeu doctor, a multitudine ſcientiæ ſic dictus, vel certe, veluti *Chebír* potens virtute, & ſpecifice ſcientiâ (hinc ex Oriente Dii potentes *Chabiri* apud Veteres Latinos;) ſunt, qui vocem hanc inter *apora* (imperveſtigabilia) referendam, nec operam in ejus explicatione ludendam putent. *Dico* Hieronymi interpretationem, quæ eſt multitudo ſcientiæ, ex meris conjecturis, & incertis, atque ambiguis originationibus nullatenus eſſe deſerendam; dum enim veteres communi teſtificatione (prout hic contingit) afferunt unam quampiam vocis hodie ignotæ notionem, etiamſi nobis alia videatur convenientior, non eſt recedendum, ſed omnis potius collocanda opera, ut eam, quo poſſumus, modo ex ipſo fonte oſtendamus, defendamusque, nam Majores noſtri ab iis, quos ratio impoſiti nominis non latebat, non ita procul aberant, & in ſingularibus ejusmodi nominibus ſæpe apud nationes illa vera eſt originatio, quæ minus Grammaticalis, & explicatu difficillima apparet, quia per aphæreſin, (ablationem literæ initialis) apocopen, (abſciſſionem ultimæ literæ) & metatheſin, (literarum tranſpoſitionem) aliasque ſimiles exerrationes naſcitur appellatio, ita & de Cherubim ſentiendum. Malo igitur loqui

cum

cum Servatio Gallæo Sibyllinorum Oraculorum L. 2. edit. Amſtelod. an. 1689. pag 307. in IV. Vox hæc (inquit) multa cognitione præditum ſignificat, ut plane conveniat cum affini *chebir*, hunc vocis ſenſum Lexicographi moderni ;non agnoſcunt, ei vero ex antiquis haud pauci patrocinantur; Philo Judæus, Clemens Alex. Dionyſ. Areop. „mox probat ex cognata lingua Syriaca, ex Lexico Iſabar Ali, ex verbis Joannis Metropolitæ Darenſis, quem Abraham Ecchellenſis ſec. IV. vixiſſe perhibet. Etiam cœleſtibus ſpiritibus ea de cauſa nomen iſtud tribuitur, quod fortitudine, & ſcientia polleant, velut exercitus 1. Reg. 22. 19. Pſ. 68. 19. & 103. 20. item 78. 25. Aug. in Pſ. 98. pag. 340. Tom. 6. edit. Venet. 1761.„ Interpretati ſunt *Cherubim*, qui noverunt linguam illam Hebræam, & dixerunt eſſe *Cherubim* plenitudinem ſcientiæ.„

Reipſa *nachar* Hebraice ſignificat cognovit, in conj. Hiphil, *rabab* multus fuit, porro triviale eſt, verba defectiva *pe nun* hoc *nun* ab initio abjicere, unde in hiphil dicitur *hichchir*, agnovit, & Iſai. 3. 9. occurrit vox *hachchara*, ubi non dubito valere ſcientiam, cognitionem, Vulgata favente: *agnitio vultus eorum reſpondet eis*: Lexico Schindleri conſentiente: ex facie apparet, ſeu cognoſcitur natura eorum. En exemplum ſimilis ex verbo *pe nun* derivationis nun abjecto! Job. 29. 18. vox occurrit *chhol*, quam, ſi a chhul derivetur, arenam ſignificare non dubitatur, hic vero apud Jobum dico ſignificare palmam per aphæreſim loco *nachhol*, vel nachhla, nachhala; quæ *thamar*, ſeu palmam ſignificat, ſaltem Arabibus indubie Pſ. 2. Alcoran. 2.

con-

contextu mirum in modum cohærente, naturaque hujus arboris ad multiplicationem comparatâ, *radix mea aperta eſt* (expoſita eſt) *ſecus aquas*, *&* *ros morabitur in meſſione mea*, *in nidulo meo moriar*, *&* *ſicut palma multiplicabo dies meos*. Palma ſtupende annoſa eſt. 70. verſores, ne quis phœnicem avem illam fabuloſam intelligat, ſtelechos phœnikos h. e. truncum phœnicis, ſeu palmæ verterunt, Calmetus vero ſpeciali diſſertatione pro arena decertat; itaque ſicut hic chhol a nachhal, ita in *cherub*, *cher*, a *nachar* ſupereſt, ut ſit quaſi nacherrub &c. *Nun* literæ in ſpecialibus ejusmodi vocabulis abjectionem exemplis minime controverſis evincit Bochartus Hieroz. par. 2. L. 6. pag. 877. ut dum *zer*, pro *næzær*, corona, *Bul* pro *nabul* October, *Buchhadnetzar*, pro *Nebuchhadnetzar*, ſeu Nabuchodonoſor dicitur, idem præſtat in *Phaleg* pag. 347. verum in re linguarum peritis per ſe clara non multis opus eſt exemplis.

Vocis *hoſchiana* ſeu Oſanna in antehac editis quidem exemplaribus confuſior legitur explicatio, ſed ſi ea, quam dedit vir S. ſuæ reſtituatur integritati, exactiſſima eſt, ſicut demonſtrat, & exhibet Vallarſius Tom. 3. ſuæ edit. ad calcem pag. 1040. *Salva quæſo!* Et vero: an ſerio quiſpiam ſibi perſvadebit tantum virum vocem tam obviam, & facilis ex *jaſchay* derivationis, in tot nominibus propriis ſuperſtitem non intellexiſſe? Aug. Tract. 50. in Joan. „Vox autem obſecrantis eſt *Hoſanna*, ſicut nonnulli dicunt, qui Hebræam lingvam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam ſignificans, ſicut ſunt in lingva Latina quas interjectio-

ctiones vocant; vel cum dolentes dicimus heu, vel cum delectamur, vah dicimus.„ Pari dexteritate Vallarſius oſtendit, *ræſchæph* vere ſignificare repſit, ventre reptavit, nec ſupereſſe ullum Lexicon, in quo Syriaca vocis hujus iſta non adnotaretur uſurpatio, provocat ad Lexicon heptaglotton Edmundi Caſtelli Colum. 3654. addi poteſt Schindleri Lex. Pentaglotton Colum. 1773. ubi lego *ræſchæph* Rabbinis dæmon nocens. Syriace reſchaph, repſit ut ſerpens; male igitur dicit Ludov. Capellus: *Judæus aliquis ei impoſuit, atque os ſublevit, nihil enim ſimile ſignificat.*

Illi porro, qui explicationem literarum Alphabeti apud Hieronymum cenſoria virga notant, ipſi analphabeti videntur, 1° enim qualis uſu jam recepta fuit, talem proponit, in qua ſiquid obtruditur violentum, aut longe petitum, non temere ei adſcribendum eſt, quod ipſe abjiciendum decernit. 2° Si verba ipſius Hieronymi expendantur, nihil occurrit in iis reprehenſioni obnoxium. *Koph vocatio* (inquit) - - *ſed melius excuſſio, quam Græci ekkruma vocant*, & bene: a *nakaph* excidit, concidit. *Samech* proprie fulcrum, ſuſtentaculum, confirmatio: metaph. auxilium, ſubſidium, demum in deſignatione ad ſacrum miniſterium impoſitio manuum. Meem, loco *mehem* utique eſt *ex ipſis. (xx)*

In

(*xx*) Inſuper clamitant Gen. 41. 44. Nomen a Pharaone Joſepho inditum *Tzaphnath phayaneachh* corrupte fuiſſe converſum in *Salvatorem Mundi*, cum tota probet antiquitas *revelatorem occultorum;* nec leve pondus addit, nonnullos horum ante tempora Hie-

In reliquo Hebræa nomina a diverſis, ſæpe etiam tribus, aut quatvor radicibus poſſunt de-
du-

Hieronymi in Ægypto vixiſſe, aut ab Ægyptiis diſcere potuiſſe, puta: Philonem, Alexandrinos Interpretes, qui tamen ſine interpretatione *Pſontomphanech* ponunt, ut habet etiam vetus Itala (pag. 387.) apud S. Ambroſium, alii exprimunt Sophnath paanech, al. Saphenath phanech, al. Sephinathi phane. al. Saphineth phane. *Tzaphan*, *abſcondit* obſervant eſſe Hebraicótaton, *payneachh* vero *revelator* ait Pagninus in Epitome Theſauri ſui, qui addit aliis eſſe præteritum *Piel*, & pathachh ſub prima radicali eſſe loco chhirich. Buxtorph. Lexic. Thalmud. pag. 1780. *payaneach* revelare, indicare, manifeſtare; Rabbi Bechaj in Gen. citat ex quadam precatione *mepayaneachh nœyalamim* revelans occulta, in notis ad OO. Joſ. Flavii edit. Haverc. Tom. 1. pag. 79. ponitur *phayana* Arabice *aperuit*, *manifeſtum*, *expanſumque dedit*, unde pluribus Arabicis, & Syriacis documentis Saphnethphane redditur *cui declarantur occulta*, vel tón kekrymmenón ekphantor, *abſconditorum oſtenſor*, conſentit Reineccius in C. 41. Gen. Athanaſius Kircherus (pag. 150.) vir in revelandis Ægyptiorum arcanis ſuper æthera notus in Prodromo Copto, ſeu Ægyptiaco Romæ Typis S. Congreg. de propag. fide an. 1636. edito pag. 124. evidenter oſtendit (1.) Nomen hoc non eſſe Hebraicum, ſed Ægyptiacum, ipſa hoc peregrinitate ſatis, ſuperque indicari, ideo a R. Salomone dici: *non eſt ſimile verbum phayaneachh in Scriptura*, neque ab Abrahamo R. negari vocem eſſe Ægyptiacam, barbariem ejus omnes Rabbinos fateri. (2.) Veram lectionem eſſe *Pſomtomphanech*, ut 70. habent, & ipſe Pentateuchus Copticus, quam ob difficultatem pronunciationis Hebræi in *tzaphnath* abſconſum, abſconſio converterint. (3.) Non eſſe dubium, quin futurorum vatem, ſeu occultorum revelatorem ſignificet, prout tradunt Syriacus Pentateuchus, Thargum Babylonicum Jonathæ Ben-Uzielis, Onkelos, Joſephus Flavius, Philo, & Chronicon Alexandrinum, proin
Ægyp-

duci, & ſic varia habere ſignificata, atque ideo Authores etiam hodie in tot partes ſcinduntur, licet

Ægyptiacum edit. Græco-Lat. fol. 197. ubi adnotatur Ægyptios vates ſuos ita vocare, Moyſen quoque Pſomtomphanchthi appellatum, dum Ægypto 10. plagas intulit. Hæc ſunt argumenta Kircheri, & aliorum pro communiſſima illa interpretatione adverſus Hieronymum, unde & Lutherus reddidit *intimum conſiliarium* (den heimlichen Rath.)

Reſpondeo: *Primo* exploratiſſimum eſſe, Hieronymum ſcire communem iſtam de occultorum revelatore interpretationem ſuſtineri poſſe, ſi voces Hebraice exponantur, verum addit, (quod & Kircherus evincit) nomen eſſe Ægyptiacum, & ideo ſignificatum ejus non debere repeti ex Hebræo, ſed ex Ægyptio ſermone, unde, quia iſto Salvatorem Mundi ſonat, ita eſſe vertendum. „Licet Hebraice hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet: tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius (Ægyptii) lingvæ habere debet rationem; interpretatur ergo ſermone Ægyptio Saphneth phanee, ſive, ut 70. transferre voluerunt, pſomtomphanech Salvator Mundi: eo quod orbem terræ ab imminentis famis excidio liberavit.„ Arbitratur Hieronymus 70. vocem nonnihil deflexiſſe, vere enim pronunciari Saphnath phanee, contra, ac Kircherus putat, niſi verba ejus intelligas de ſignificatione in Hebræo, ubi non pſontom, ſed ſaphnath eſt abſconſio. Tom. III. edit. Vallar. pag. 17. de nominibus Hebraicis dicit.„ Somthonphanech corrupte (mallem legere correpte, non productè ſephinati phanee) dicitur, nam in Hebræo legimus ſaphneth phanee, quod (juxta Hebræum) interpretatur abſconditorum repertor. Porro ab Ægyptiis didicimus, quod in lingua eorum reſonet *Salvator Mundi.*„ Nihil igitur culpæ admiſit vir S. ſi ab iis ſignificatum vocis accepit, a quibus non accipere culpa fuiſſet.

Secundo Bene quidem veteres interpretatos occultorum revelatorem, ſi Hebrææ vocis *tzaphan* ratio habeatur, ſed forte male ſic, vere autem *pſontom* dici

licet excellenti doctrina conſpicui. Inſpice Tom. VI. Bibl. Polyglott. ad calcem. Ita *Job* præter id

dicitur, de cetero in *payaneachh* mere divinant, Arabica notio ſerius eſt nata, omnes concedunt vocem eſſe Ægyptiacam, valida proin manet ratio Hieronymi, eſt enim incredibile Pharaonem Hebraica voce uti voluiſſe, & potius reſpexiſſe in Joſepho futurorum præſagium, quam præſens emolumentum Salvatoris Mundi, quæ magnificentior, & glorioſior eſt appellatio; non poſſumus ergo in Hebræo plene conquieſcere, Ægyptiacum etymon eſt accerſendum, ſecundum quod vox iſta quidnam ſignificet a Monachis Nitriæ, quibuſcum egit, diſcere poterat Hieronymus. P. Guilelmus Bonjour Erem. Ord. S. Aug. in Diſſert. Romæ 1696. apud P. Graveſon Hiſt. Eccl. Tom. II. pag. 37. edit. Aug. Vind. & Herbip. 1751. argumentis ex antiquæ Ægypt. lingvæ fontibus deſumptis probat Hieronymum recte vertiſſe; ſane *Serapis* ille Deus, Joſephi, & beneficiorum ejus eſt delineatio, vetuſtæ inſcriptiones hunc *ſervatoris* nomine inſigniunt. Suffragatur Auguſtinus L. quæſt. ſuper Genes. quæs. 135. „Hoc nomen interpretari dicitur: occulta revelavit, ex illo utique, quod ſomnia Regi aperuit, Ægyptiaca vero lingua Salvatorem Mundi perhibent iſto nomine appellatum.„ Quidſi Hier. linguam Ægyptiacam apprime callebat (pag. 458.) qui epiſtolas, quas Pachomius, Cornelius, & Syrus Ægyptio ſermone ad ſe ultro citroque ſcribebant, Latine verterit, ut teſtatur ipſe Præf. in Regulam S. Pachomii his verbis: „Ajunt Thebæi, quod Pachomio, Cornelioque, & Syro, qui uſque hodie ultra centum, & decem annos vivere dicitur, Angelus lingvæ Myſticæ ſcientiam dederit, ut ſcriberent ſibi, & loquerentur per Alphabetum ſpeciale, ſignis quibuſdam, & ſymbolis abſconditos ſenſus involvens: quas nos epiſtolas, ita, ut apud Ægyptios, Græcosque leguntur, in noſtram lingvam vertimus, eadem, ut reperimus, elementa ponentes, & quâ ſimplicitatem Ægyptii ſermonis imitati ſumus, interpretationis fides eſt, ne viros Apoſtolicos, & to-

id, quod eſt *vir dolorum* præſtigiatorem, ventriloquum (engaſtrimython) magum, inimicatorem,

totos gratiæ ſpiritualis ſermo Rhetoricus immutaret.„ Apud Calmetum Gen. 41. adnotatur in margine, Pſotemphane Coptica lingva, Ægyptiacæ ſurculo ſonare Salvatorem Mundi. Vallars. Tom. 3. OO. Hier. pag. 1008. „ Qui lingvæ Cophthæ, ſeu antiquæ Ægyptiacæ ſtudent, conſentiunt cum Hieronymo, docent enim lingva Cophtharum Salvatorem ſeculi, ſeu Mundi *phſotem pane*, pro quo 70. corrupte legunt Pſontomphanech, appellari„ Idem in notis ad Quæſt. Hebraicas„ Scite Hieronymus ad Ægyptiacam Originem has voces refert„ mox illa profert teſtimonia, quæ ponuntur in notis ad Tom. 1. Joſephi Flavii pag. 79. *Pſotem phene* reapſe dici Ægyptiace *ſalus ſeculi*, Pentateuchum Arabicum quidem, ſed Ægyptiaca manu deſcriptum in marginali nota addere, Pſontomphanech obſcurum vocabulum valere *Salvatorem Mundi*, ſeu ut ille Arabs exprimit *Muslimu-l-dunja:* Octateuchum Græcum h. e. libr. Pentat. Joſue, Jud. Ruth Collegii Oxonienſis Pſontomphanech explicare *ho eſti ſoter tu Koſmu*. h. e. Salvator Mundi. Unde jam hodie viri ſumme eruditi Hieronymo conſentiunt, uti Jablontskius &c. Addo hoc nomen ſeu caſu, ſeu ſpeciali Dei voluntate ita eſſe Ægyptiacum, ut etiam Hebraice aliam Joſephi proprietatem, encomiumque contineat, ex quo factum, ut communiter originatione Hebraica veteres fuerint contenti, contingit enim non infrequenter, ut nomen perſonæ alicui, aut genti impoſitum in duabus etiam linguis. E. G. Græca, & Latina congruentem det ſignificationem, & poſſit a radice Græca, vel Latina derivari; exemplo ſit vox *Roma* Græce Valentiam, robur, romylos, virum robuſtum, Hebraice altitudinem (vox in *Rama* h. e. in excelſis audita eſt) convenienti utrinque ſignificatione notat, & ut alia mittamus, quoniam litem de Cophthica voce litigamus, nomen *coptus* ex voce Ægyptus per aphæreſim, & literæ *g.* in *c* converſionem, alii cum ipſo Kirchero ab urbe *Coptos*, cujus meminit Joſephus L.

4.

rem, deſiderabilem, & charum, item ad Deum revertentem, bene reſipiſcentem denotat; *Moria*;

4. C. 11. de bell. Jud. quam Strabo L. 17. Arabum, & Ægyptiorum communem urbem vocat, & cujus vinum febrientibus valde prodeſſe dicitur: alii ab Arabico *chibth*, quo Ægyptus appellatur, alii ex Græco *Kophthos* h. e. ſciſſus, circumciſus, quia circumciſionem adhibent, deducere ſatagunt. Itaque in ipſo Ægyptiaco non multum inter ſe variaverint duæ voces, quarum priore occulta revelans, (nam piſton panicha dicitur eſſe augur) poſteriore Salvator Mundi ſignificatur, atque hinc natam iſtam ambiguitatem, quæ tamen lucidæ Hieronymi interpretationi ex Ægyptiaco ſermone repetitæ uecquidquam obſtat, quæ fuit præcipiti damnata criſi, meliore ſoluta.

Cl. Monſperger par. 2. Herm. pag. 150. & ſeqq. Vulgatæ, & 70. virali verſioni complura vitio vertit, ſed minutiora, quæ ab interpretibus commode explanantur. e. gr. Exo. 34. 29. *quod Moyſis facies cornuta eſſet*, loco: radiabat cutis faciei ejus: *Karan* utique cornutum eſſe notat, ex quo Græci, Latini, & Germani ſuum ejusdem ſignificationis vocabulum effinxerunt, unde Hieronymus in C. 6. Amos ex Aquila reddit: *neſciebat, quod cornuta eſſet ſpecies vultus ejus*, nempe ſplendor ille cornuum figura apparuit, unde vetuſtas Heroes, ac Numina ſua imitatione Moyſis plerumque cornuta exhibuit; vide Calmetum, & a Lap. in h. l. ſplendorem Vulgata ſupponit. Item Pſ. 81. 17. cibavit eos ex adipe frumenti; ſed quis neſcit, *ex adipe* Hebraiſmum eſſe pro ſuperlativo gradu, ut ſenſus ſit: pingviſſimo, & optimo tritico. Hebræus habet in ſeq. *& de petra melle ſaturabo eum*, ſed hæc literarum poſitio, & punctatio vitioſa ab aliis putatur, cum 70. virali lectioni Arabs, Syrus, & Æthiops conſentiant. Rurſus: Iſai. 22. 17. gallum gallinaceum male verti obſervat, cum Hebræus habeat: *Æternus ejiciet te ejectione viri*. Hebr. *gaber*, vel *gæbær* h. e. exterminaberis penitus. At gallus apud Iſaiam cucuriens alarum plauſu, cantuve ſuo pro loco ſuo acriter, atque alacri-

ria, mons *timoris Dei*, *reverentiæ*, *viſionis*, *aut proviſionis*, quia dixit Abraham ad filium

 Iſaach:

criter pugnat. Hebr. *hinne* (ut Hung. ime!) *Jahvo metaltelecha taltela gabher!* *ecce Dominus transferens* (projiciens) *te translatione O vir!* putant enim vocandi caſu accipiendum, · ſane genitivo reddi vetat accentus; & abſolutus ſtatus vocis *taltela;* & dato non conceſſo, *viri* h. e. forti, virili translatione, ſeu *penitus* tolleris, unde probabit vir Cl. ſumi debere? genitivus *viri* ſubſtantivis additus ſæpe quidem legitur, ſed ſignificatione tali nunquam, translatio *viri*, eſſet quæ fieret a viro ſimpliciter. 70. vertunt: *Kyrios ekbalei*, *kæ ektripſei andra*, Dominus ejiciet, & conteret virum. Recta eſt Vulgatæ verſio: O Sobna tu theſaurarie, qui templo præpoſitus es! abduceris in captivitatem Babelicam, ut nec pedibus terram contingas! *ecce Dominus aſportari te faciet*, *ſicut aſportatur gallus gallinaceus*, & *quaſi amictum ſic ſublevabit te.* Gallus ligatus, & pendens de manu, aut baculo portitoris ad forum defertur venumdandus. Eo quod Hieronymus a magiſtro ſuo didicerit, *gaber* hoc loco valere gallum, non ſequitur eſſe falſum, nec enim ſemper fallunt veteres Rabbini, *ſicut* (inquiebat Rabbinus Hieronymo) *gallus humero portitoris de alio loco transfertur in alium*, *ſic te Dominus de loco tuo leviter aſportabit*, quæ ſimilitudo captivitatem Sobnæ una cum Rege Manaſſe abducti, & ibi (v. 18) mortui mire illuſtrat. Si Sobnæ, & galli ſuperbam indolem ſpectes, conveniunt, excepto namque pavone gallo nulla avis ſuperbior, Sobnam victum, captumque capti ligatique, & venum abducti galli probrum affabre pingit, quia, ut Cicero de Divin. dicit: *galli victi ſilere ſolent*, *canere victores:* ſi Hebræam vocem ſcruteris, *gaber* (unde per aphæreſim Lat. vir) ſicut Græc. *aner* Lat. *vir* pro maſculo (vir gregis ipſe caper, Virg.) ita Hebr. gaber pro gallo, obvium, & in ſchola Rabbinorum maxime tritum, cum enim gaber ſit maritus, gebira marita, vel domina, gallus utique gallinarum maritus eſt; ita R. Selomo, *chaph* ſimili-

Iſaach: Deus ſibi victimam providebit. Jeremias *projectio*, vel *elevatio*, *exaltatio Dei*, aut do-

---

litudinis ſubaudit, & per *tharnegol* h. e. *gallum* exponit, *qui deportatur de loco in locum*, ex Midraſch (explicatione Pſal.) Thehil. neque galli cantum, de quo frequens in Thalmud mentio, aliter, niſi *kirjaih haggæbær* vocant, quia vero Thargum Jonathanis Num. 33. 35. Deut. 2. 8. ipſa nomina propria locorum, quæ voci *gaber* componuntur, per gallum ſeu *tharnegola* reddit, vero ſimillimum ſit, hanc ſignificationem etiam antiquis temporibus fuiſſe uſitatam, cum ergo illa explicatio: deportatione *viri*, h. e. virili, animoſa, forti, nec Hebrææ Grammaticæ conſentiat, nec exemplo firmetur, ſimilitudini autem deportationis galli certa circumſtantia eventus ſuffragetur, nihil innovandum. Mira ingeniorum varietas! Sicut hic pro viro pugnant multi eruditorum, licet nos in Vulgata gallum legamus: ita ex adverſo, ubi nos Matth. 27. 34. Marc. 14. 68. Luc. 22. 34. Joan. 13. 35. toto adſtipulante Orbe Chriſtiano *gallum* Gr. *alektora* legimus, ad cujus *tertium* cantum ſi a media nocte, ſeu primo gallicinii: *Secundum:* ſi ab altero proprie dicto gallicinii tempore ſupputaveris *cantum* Petrus Chriſtum ter negavit, aliqui magna contentione non volucrem, ſed hominem, ex officio ſuo excubias agentem, aut buccinatorem, nocturnum vigilem intelligi oportere diſputant, Tom. 27. Blaſii Ugolini Theſaur. Antiq. Sacrarum. Hadr. Relandi, Geor. Altmanni, Chriſtian. Biel Diſſert. de galli cantu Jeroſolymis audito. Nempe in urbe Jeroſolymis gallos alere interdictum fuit, niſi igitur cantum e longinquo audire, fors e villis reſonantem, non poterant; accipiunt proin cantum, aut clamorem Præfecti templi, vel buccinatoris, qui Græce *alektor*, Latine *gallus* vocatur, ut apud Athenæum, & Theognidem videre licet, porro Romani, qui Jeroſolymis præerant, ad turres ſtationarios buccinatores habebant vigilias noctis indicantes. Liv. L. 7. Tacit. Annal. 15. C. 30. Vegetius L. 3. C. 8. Domus Caiphæ loco vigiliarum vicina fuit ex ſententia Villalpandi. Contra eſt, ex im-

doctrinæ verti poteſt, prout ab hac, aut illa radice derivaveris. Unde plena relicta eſt libertas

impropria, ac rariſſima quadam vocis uſurpatione communem fidelium perſvaſionem non eſſe inquietandam, Salvator Hebraice Syro-Chaldaica voce uſus eſt, qua buccinatorem dici gallum nemo demonſtrabit. Quid ſi recentior traditio eſt de gallo in Sancta urbe non alendo? ſed & e vicinia etiam ad integræ horæ ſpatium cantus præſertim intempeſtæ noctis ſilentio potuit perſonare &c.

Æternus: ita *Jehova* vertunt hodie plerique, quæ verſio ſupponit compoſitam vocem ex *hava* fuit, ut ſit *je* ex futuro *jihvæh* erit, ex participio præſente, ſeu *benoni hovæh* exiſtens, & perfecto *havab* fuit, ad formam *Jechonias*, *Jehochhanna*, *Jayakobh &c.* contra genium linguæ talem divulſarum ſyllabarum coagmentationem reſpuentis, vel ad minus exigit radicem *havah* ſignificatione *fuit.* Putasne hoc ipſum eſſe extra controverſiam poſitum? paucis accipe! ſecundum pleroſque doctiores pronunciatio *Jehova* adeo eſt novitia, ut nec trium ſeculorum ſit, cum primus omnium Galatinus eam an. 1520. commentus ſit; nomen hoc *anecphónéton* (ineffabile) Hieronymus poſt 70. Exo. 6. 3. legit *Adonaj*, *Kyrios*, ſeu Dominus, Apoſtoli hanc lectionem probaverunt, unde non erat opus aliquid novare; aut voce alià puta: Adonai, & Elohim in legendo vox eſt permutanda, quod Judæi ex quadam veneratione ne profanetur, faciunt, & eidem puncta Adonaj, aut Elohim apponunt, aut *Jahvoh*, ſeu *Jao* pronunciari debet, ſic enim legimus apud omnes veteres, non ſolum Chriſtianos, ſed etiam apud gentiles, quibus aliqua ratione Divini hujus Nominis innotuit appellatio, juxta illud Clarii Apollinis: *cunctorum Numen Supremum dicito Jao.* (phraſeo tón pantón hypaton Theon emmen' Jao) Alii ſignificationem accerſunt ex *Hiphil*, *jahavæh* aut *Pihel jehavvæh* quaſi eſſentiator, geneſiurgos, qui rebus dat eſſe ſuum, per quem omnia & exiſtunt, & ſubſiſtunt; alii ex *hova* ærumna, infortunium derivare malunt, ut intelligatur ille

Deus

ſignificatum difficiliorum vocum e variis radicibus ſcrutandi, qua uſus Hieronymus, etiamſi non ſemper

Deus potentiſſimus, qui hoſtibus Iſraëlitarum ærumnas, & calamitates intulit, qui fatorum ordinem moderatur, & bona, vel mala decernit mortalibus.

Nec ſatis accurrata eidem Cl. viro videtur eſſe verſio: *In principio creavit Deus cælum, & terram, - - & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Quid ergo deeſt ipſi ad perfectionem? hoc videlicet, ut loco *creavit* ponatur affabre expolivit, efformavit, (pag. 359.) ut præexiſtens materia huic operationi Dei præmittatur, quam expoſitionem Procopius Gazæus olim gravibus verbis reprehendit; *bara* ex traditione, ut Rabbi Bechai explicat, valet facere *jeſch meain*, exiſtens ex nihilo. Spiritus *Dei*, ruachh Elohim, cur vehementiſſimus ventus? cur non Divinus Spiritus? *rachhaph* cur expandebat? cur non eadem probabilitate confovebat? ei incubando, velut volucres ovis ſuis, ut effectu fomenti ſui hanc chaoticam molem, vim ei conferens genitricem, producendis infinitis ſpeciebus aptaret? aut *expandit* non ſe, ſed molem illam, eamque fæcundavit. Verti poſſe: *ventus potentiſſimus*, vel ventus a Deo excitatus non nego, ſicut Arabs habet: *venti Dei flabant:* (rijáhulláhi thehubbu) debere determinate ſic verti, idque ex tripode decerni poſſe inficior.

Urget idem Cl. Monſperger par. 2. 156. §. 57. Gen. 2. 8. plantaſſe Deum Paradiſum voluptatis *a principio*, verti oportere *hortum delicioſiſſimum ab Oriente*, (quaſi Paradiſus non idem foret, & *a principio* aliud eſſet, quam ab Oriente!) *a principio* caballiſticum videri, quaſi Paradiſus a principio *temporis* prius, quam Mundus, fuiſſet productus. Reponitur, nulla nos cogi neceſſitate ad aliquid immutandum: in Hebræo eſt, Deum plantaſſe hortum in *yeden* (gan beyeden) ut potius videatur accipiendum pro loco quodam ſingulari, ſeu nomine proprio *Eden*, vel eſt hortus cum deliciis h. e. delicioſiſſimus, ſeu Paradiſus voluptatis. *A principio* Hebr. *mikkedam* an temporis, vel ſitus? plantavit ab anteriori parte, re-

per feliciſſime ſubjectas vocibus detexiſſet notiones, non propterea ſequeretur, eum perfecta

 lin-

reſpiciendo Orientem, proin ab Oriente, ad, ſeu verſus Orientalem plagam. Aquila, Symmachus, Onkelos, omnes vertunt, ſicut Hieronymus *a principio*, addit Calmetus, Syntaxim textus originalis favere verſioni huic, ſi ita; verſor culpam non habet.

Pſ. 21. titulus eſt: *in finem pro ſuſceptione matutina*; diſplicet eidem Cl. viro, cum Hebraice ſit ad literam: *præfecto Muſico ſuper cerva auroræ*; ſeu per metonymiam, materiâ ex qua, pro ipſo inſtrumento poſita: *ſuper tibia ex oſſe cervino*, *matutina* h. e. Pſalmus cantandus ad ſonitum tibiæ ex oſſe cervino paratæ, quæ mane inflari quot diebus ſolet. Cur non potius *ſuſpirium*, Pſalmus, aut oratio *ad aſcenſum auroræ?* Conceditur menatztzeachh muſicæ præfectum ſignificare, præpoſitum choro, qui cantum ceterorum moderabatur, lamed eſt nota dativi, vulgo itaque verti ſolèt Pſalmus *præfecto chori* paratus, vel dandus: lamed eſt etiam nota genitivi, unde poſſet verti: Pſalmus præpoſiti, aut victoris, ſeu præſtantiſſimi, Pſalmus ad eum ſpectans, vel ei tradendus, qui arte canendi cæteris antecellit. Calmetus ſpecialem habet de voce lamnatztzeachh diſſertationem. Hier: ſolet vertere *victori* h. e. Cantori optimo: vel præfecto, præcentori. Verum 70. ac fatente Cl. Monſperger, etiam Symmachus, & Theodotion ſine *mem* legerunt, *lannetzachh*, quod ſignificat *finem*, ut Pſ. 12. 1. uſquequo Domine obliviſceris me *natzachh* id eſt *in finem* ſeu ſempiternum! ſemper duraturus uſque finem mundi, in omne ævum: vox polyſema eſt, ultimum rei complementum, ſicque finem, victoriam, æternitatem, roburque ſignificat: ſi legatur in infinitivo piel *le natztzeachh* erit *ad decantandum*, ad ludendum muſico inſtrumento. Juxta al. Pſalmus pro inſigni aliqua victoria. Pia eſt applicatio *in finem*, id eſt: in Chriſtum fidei intuitu tendendo, qui eſt finis, ſeu ſcopus veteris legis, cantandus, & compoſitus ad excitandam in Chriſtum fidem. *Pro*

linguæ hujus cognitione caruiſſe, nam originationes hæ ad momenta rerum non faciunt, & etiam

---

Pro ſuſceptione matutina: Hebr. habet: yal ajjæ læth ha ſchachhar, de verbo ad verbum: *ſuper cerva auroræ*, vel diluculi, ſeu Pſalmus pro cerva matutina, id eſt: *pulcra*, ut aurora. Chriſtiani exponunt cum Hieronymo, & Bellarmino pro Chriſto, quem Judæi venatorum, & canum more in horto olivarum perſecuti ſunt, v. 17. *circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me;* certo Pſalmus de Chriſti paſſione agit, ac glorioſam ejus reſurrectionem, quæ mane, primo diluculo contigit, titulus reſpicere videtur, tunc Pater ſuſcepit eum, Pſ. 3. 6. exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Lutherus: ein Pſalm von der Hindin die früh gejaget wird. Sed non video, cur Chriſtus *cerva* diceretur, qui tandem cervus potius fuiſſet genere virili appellandus, ut Hieronymus vertit. Uxorem Cervæ aſſimilari lego, Chriſtum non lego. Alii vertunt: pro *ſtella matutina*, Apoc. 22. 16. Chriſtus de ſe: ego ſum -- ſtella ſplendida, & matutina. Judæi comminiſcuntur ſe, gentem Iſraelis, eſſe illam cervam, quam nempe Chriſtiani ubique terrarum perſequuntur; inde a Sæculo 2. jam cœperunt Pſalmum varie detorquere, qui de Chriſto ſonat apertiſſime, dum a noſtris ex eo impugnarentur. Aliis eſt certa cantilena incipiens his vocibus: *cerva matutina*: ad cujus notam ipſe Pſalmus decantandus eſſet: ut nos dicimus: ad notam: Lauda Sion Salvatorem. Calmetus more ſuo, per obſcuros Pſalmorum titulos plerumque claſſem cantorum, aut cantatricum intelligens vertit: præſidi claſſis cantorum, quæ cerva matutina dicitur: ego quidem aliquam cantorum claſſem tali titulo fuiſſe decoratam non credo, ſed nec Calmetus velut certum aſſerit iſtud, ſic enim loquitur: plerique Pſalmorum tituli cimmeriis ferme ſub tenebris latent, hic vero implicatiſſimus eſt, interpretes divinando explicant, nihilque ſatis conſtans, certumque proferunt, eos hic prætereo, qui ubi vocem aliquam non ſatis perceperint, ſtatim muſicum inſtrumen-

etiam à peritiſſimis multifariam explicantur, manentque hodiedum in ambiguo. Ad laudem Hiero-

mentum confingunt, ſeu vulgarem næniam, cujus ad modos Pſalmus cantandus eſſet; ineptam profecto ſolutionem, centies repetitam, quæ e tenebris in tenebras ruit. Quid ſpectaverint 70. cum Hebræum vertebant *ſuſceptionem*, ſeu opem *matutinam*, non ſatis video. „ Hæc Calmetus. Dico:

Verſio hæc: pro *ſuſceptione matutina:* recta eſt, retinenda, quia Hebræo textui apprime conformis.

1. Verſio 70. viralis ex ſola conjectura repudiari non debet, atqui ſeu hanc, ſeu illam ex tot invicem diſcrepantibus aſſumas verſionem, ultra conjecturam nulla aſſurgit, vides omnem denique explicationem eſſe incertam, cimmeriis tenebris circumſeptam; profecto ſenſui in contextu, ſcopoque Pſalmi, ac in Originali lingvâ fundato commentitias nænias, & nullo certo argumento nixas ex cervino oſſe tibias, aut importunam loco, auroræ cervam præferre, & lectionem 18. ſæculorum uſu in Eccleſia frequentatam propter incertas, ſibique diſſimillimas novantium explicationes dimittere inconſultiſſimum eſt. Recole quæ de verſionis 70. viralis authoritate fuſius ediſſertavi, cui potius in ambiguis princeps locus eſt tribuendus, utpote antiquiſſimæ, quæ eo facta eſt tempore, quo Hebræus, Græcusque ſermo purior etiamnum vigebat, florebatque.

2. Voces *ſuſceptio*, antilépſis, *ſuſceptor* antiléptór, *ſuſcipere antilambaneſthæ* ſtylo 70. virorum ſignificare auxilium, auxiliatorem, auxiliari: extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, totieſque repetitum: Deus ſuſceptor (antiléptór) meus! in hoc ipſo PſalmoV. 20. *tu autem Domine ne elongaveris* (boétheiam) *auxilium tuum a me, ad defenſionem meam* (antilépſin, ſuſceptionem) *conſpice*. Ubi ſolito more unum hemiſtichium alterius eſt declarativum; quid dico ſtylo 70. virorum? ſtylo, uſu, & approbatione totius Græciæ: Heſychius, & Lexica omnia *antilambaneſthæ* per boéthein explicant. Authores optimi, Ariſtophanes, juris Conſulti Novell. 13. C. 1. § 1.

Sed

ronymi ſufficit, verſionem ejus, etiam ubi maxime reprehenditur, poſt diligens, & accuratum exa-

---

Sed inſuper Paulus in N. T. Cor. 12. 28. ac diſertiſſimus Lucas Evan. 20. 35. & 1. 54. in Vulgatiſſimo: *ſuſcepit Iſraelem puerum ſuum* (cultorem, famulum) antelabeto.

Matutina, ſeu auxilium matutinum 1. de tempore accipi nihil prohibet, quia tunc primis hujus Pſalmi verbis Chriſtus pendens de cruce, & dolorum oppreſſus vehementia Patris auxilium imploravit Matth. 27. 46. Mar. 15. 34. Eli Eli lamma ſabachthani, quo ipſo non obſcurè oſtendit Pſalmum ad ſe pertinere. Quidſi ipſe Regius vates Pſalmum mane ſub auroram compoſuit, cum anterioribus diebus, & nocte prægreſſa ad Deum quiritatus auxilium tamen nondum eſt conſecutus? V. 2. *Deus meus clamabo* (clamo, vel: clamavi) *per diem, & non exaudies* (exaudiviſti) *& nocte* & cet. itaque mane ardentiſſimas preces iteravit.

Vel *matutinum* celer, ac ocyſſimum, ſuo tempore illico præſens, nec dilatum notat auxilium, qua notione & Latinis, & aliis gentibus, ſed potiſſimum Hebræis ſumitur. Joël. 2. 2. Oſe. 6. 4.

3. Tituli ſaltem nonnunquam argumentum, atque occaſionem ſcripti Pſalmi exhibent, ex quo vulgo claves habentur, quibus ad Pſalmorum intelligentiam aditus referetur. Liquidum eſt, atque luculentum, Pſalmo hoc implorationem auxilii Divini contineri. V. 1. 8. 20. 21.

4. Tota difficultatum moles devolvitur ad vocem Hebræam *ajælæth*, quæ, ut Bochartus argumentatur, cum in ſcripturis non ſemel occurrat, nec aliud quam cervam notet, hoc loco etiam ita ſummi dicenda eſt.

Sed ficulneum eſt, & caducum hoc genus argumenti; quod facile in adverſarium retorquetur dicendo: Citt. V. 20. eadem vox *ejaluth* indubiè eſt auxilium, ergo etiam in titulo Pſalmi; nec obeſt *ejaluth* a quibuſdam verti robur, aut potentia, vicina enim ſunt robur, & auxilium, quia iſtud ſine potentia vanum eſt, & inutile; eſt quidem in *ajælæth* alia pun-

examen veritati, & Hebraicorum verborum proprietati conſentaneam deprehendi. Quin potius, cum

punctatio, imo in *ajaluth* etiam *vav* inſertum, ſed nimirum hæc eſt differentia non realis, verum merê orthographica, & externa, ſignificationem loco iſto nequidquam immutans, ſi placet, *ajaluth* legere ſicut V. 20. ita & in titulo, eſt integrum: qui titulum hunc tardius appoſuit, *ajaluth* legerit, vav tamen omiſſo, aut *ajælæth*, verum ſignificato prorſus eodem; nam ejuſmodi additio, ſubtractio, vel etiam alternatio matrum lectionis non eſt infrequens, quod pluribus exemplis doceri poteſt, & ut a voce, de qua diſputamus, non diſcedamus, eadem urbs 2. Paral. 8. 17. & 2. Reg. 16. 16. jam Ajalah, jam Ajaluth ſcribitur, iisdem literis, & ab eadem radice, ac ſignificatione; cerva quoque voce *ajælæth* non alia de cauſa, quam propter fortitudinem appellatur, quod cuncti fatentur; itaque originariè ſignificat robur, fortitudinem, ſicque in ſpecie auxilium robuſtum, & cervam cornibus robuſtam; ſicut in latino generica notio *roboris* ad arboris robuſtæ ſpeciem denotandam transfertur. Verti proin debet: *pro auxilio*, *vel corroboratione matutinâ obtinendâ:* 1. enim Symmachus transtulit *pro auxilio matutino*, (boétheia) ita & Rabb. Menachem, quem citat R. Selomo. 2. Chaldæus *pro virtute* (thekuph) Abenezra pro robore, ſeu fortitudine. (Choachh) 3. Videtur ipſa radix, ſeu verbum *ajal* ſignificare primario quidem robuſtum eſſe, ſecundario tamen auxiliari, ſive ut 70. loquuntur *ſuſcipere*, nam iidem tali ſenſu accipiunt, quibus, inquit Bellarminus, major fides habenda eſt, quam omnibus hodiernis Dictionariis. Ita Pſ. 106. 17. ubi enim in Hebræo hodie legitur: *ævilim: ſtulti:* quod vertitur: *ſtulti pro ſua iniquitate, & peccato ſuo afflicti ſunt*, illi non vav, ſed literam ſimillimam jod in exemplari ſuo videntes legerunt *ajalem*, & verterunt: *ſuſcepit* (adjuvit) *eos de via iniquitatis eorum;* ita etiam Syrus, & Arabs; ſubjicit Calmetus „ lectio, quam ſequuntur 70. Syrus, & Arabs melior videtur „ Quis tot

cum levia, & facilia explicatu ſint, quæcunque Vulgatæ opponuntur, ex omnibus iſtis concludi non

tot Authoritatibus veterum, & rationibus munitam Vulgatæ lectionem damnet, & rejiciat?

Placet eidem Cl. viro etiam de nugis altercari. Soph. 3. 18. *nugas, qui a lege receſſerunt, congregabo, quia ex te* (o Sion!) *erant, ut non ultra habeas ſuper eis* (propter eos) *opprobrium.* Ait Citt. loco vir Cl. ex Hebræo verti debere: *mœrore affectos ex cœtu congregabo.* Contra eſt: 1. An *ex cœtu* ſit illud *mimmoëd* transferendum, haud conſtat, cum mem variarum præpoſitionum vicem teneat. Verba Hebræa ſunt: nuge mimmoyèd aſaphthi mimmech haju miſcſceeth yalæha chhorpah. Calmetus vertit: mæſtos *poſt certum tempus* congregavi, ex te erant, oneri fuit opprobrium eis. *mem á* vel *ab: e*, vel *ex* ut latinis aliquando valet poſt: ut: a prandiis, â meridie, id eſt: poſt meridiem; alii: mærore affectos, afflictos *propter* ſolemnitates, & conventus ſolemnes, intermiſſos, & neglectos in captivitate, congregabo, iterum reducam eos ex captivitate, memor, quia ex te o Sion! fuerunt olim, licet jam a te, & lege mea receſſerint. Alii: propter ſtatutum tempus mæſtos congregabo. Lutherus contra Hebraicum verba iſta inani commento contra Catholicos veluti traditionum ſuarum nugas venditantes intorſit „ (will ich wegſchaffen, daſſ ſie von dir kommen, aſt *aſaphthi collegi, congregavi*, non vero diſpuli, ſeparavi, vel amandavi ſignificat; nec mimmech haju valet: ut a te recedant: interim per *moyed* cum Hieronymo yeduth, ſeu *legem*, mandata Dei, vulgo: *teſtimonia* intellexit, nam *jayad*, & *yod* ſignificata permutare videntur; nec multum intereſt, ubi enim ſunt conventus, & ſolemnitates ſtatutis temporibus celebrandæ, ibi eſt etiam teſtimonium, ſeu lex, & ejus obſervatio: 70. interpretes Exod. 33. *moyed* æquè pro *yeduth* uſurpant: appellavit illud tabernaculum *conventûs: ohel moyed:* tabernaculum *martyriu*, ſeu teſtimonii: & in ipſo Hebræo, ubi ſermo eſt de lege, ac fœdere, moyed, & yeduth reciprocantur „ *aron yeduth*, arca teſtimonii Num.

non temere poteſt, authoritatem, fidemque Vulgatæ ex ipſa objectionum adverſus eam formari

Num. 17. & 10. quod eſt tabernaculum moyed, ſeu conventus. Non ergo aliquid ſine exemplo fecit Hieronymus, dum *moyed* legem interpretatus eſt.

Reipſa Judæos Propheta conſolatur in captivitate mœrentes, ſpe libertatis, & reverſionis in patriam, demumque bonorum per Meſſiam adferendorum conſecutione. V. 8. 15. 17. Hieronymus optimè ſcivit, *noghim*, ut ſtrictè ſi â *jagah* ducatur, ſtare deberet, non *nuge*, quamvis rurſus ſchurek, & cholem alternare poſſint, & ſtatus conſtructus ſine omni neceſſitate pro abſoluto ſtare, optimê inquam ſcivit ſignificate mæſtitia affectos, ſic enim vertit Thren. 1. C. V. 4. virgines ejus (nugoth) *ſqualliдæ*, ſed hoc loco ab alia radice *Hagah* judicavit vocem eſſe derivandam, *haga* cum mem ſignificat *removere*, unde paſſivè ſignificatione niphal reciprocâ, ſe removentes, *â moyed*, id eſt: ut ſupra jam expoſitum fuit, *â lege*: maluit igitur latinè homines vaniſſimos, nugivendulos, quales ſunt, quicunque a lege Dei receſſerunt, & ad nugas, leviſſimas ſæculi res, ac voluptates converſi ſunt, *nugas* appellare, cum ejusmodi homines *afflicti*, & ſimul vaniſſimi, quales Judæi erant, in Hebræo *nuge* vocentur, *nugas* dicit homines illos nauci flocci, nec ſpectat terminationem, ſed ſignificatum, ſicut non infrequenter 70. puta Gen. 3. 15. & ideo ponit genere maſculino: *qui;* vel retulit genus ad Hebræum *nuge*, quod eſt maſculinum plurale: porro homines viles, nullius exiſtimationis, adeoque etiam afflictos, & tamen vanitati, ac inanibus ſuis obſervationibus deditos Judæos, *nugas* dicendi habuit in Cicerone fundamentum: *Menodorus*, *& reliquæ nugæ*. L. 6. ad Atticum epl. 31. *Amicos habet meras nugas*. L. 1. ad Quintum Fratr. epl. 38. *nugas maximas* (homines nihili) *omni comitate complexus ſum*. Xenarchus apud Athenæ. L. 6. *ipſi Poetæ nugæ ſunt*. Lexica vetera adnotare ſynonyma, *nugax*, *nugator*, *nugæ* monet Cor. a Lap. in h. l. quod vero addidit Hieronymus in Commentario: *id quod dicimus*

ri ſolitarum infirmitate non parum commendari; ſingularem enim oportet eſſe præſtantiam, at-

---

mus nugas, ſciamus in Hebræo ipſum Latinum eſſe ſermonem nuge. unde noſcitur linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matrem. Hebræum *nuge*, & Latinum *nugæ*, etſi conveniant ſono, non ſunt tamen idem ſignificato: nec latuit iſtud Hieronymum, poretat nihilominus iſthinc Latinis Hebræam linguam commendare: Hebræam eſſe omnium matrem, vocibus *apheiron*, *meſura*, alibi quoque ſvadet, & ex voce *nuge*, *noſci* dicit, non certo indicio, ſed aliqua illuſtretione ab exemplo: tamen etiam in ſignificato deprehenditur aliqua convenientia, *afflicti*, viles, oppreſſi, nullius pretii eſſe putantur, adeo ut *nugis* æquiparentur. Aliqui putant, *nuge* eſſe in Hebræo nomen indeclinabile, ut *aſchre* beatus, & Latinum nauci, & revera homines nauci, viles, nugaces, vaniſſimos ſignificare. Aquila poſuit *translatos*, 70. diſperſos, videntur de ſignificatione, *mærore affectos*: nihil cogitaſſe, proin ab alio verbo deduxiſſe, Hieronymo ad *hagah* referenti Chald. & R. Salomon conſentit, occurritque hoc verbum ſignificatione removendi Iſa. 27. 8. 2. Sam, 20. 13. Prov. 25. 4. Thren. 1. 5.

Omnia hæc Vulgatæ errata apud eundem Cl. virum firmantur infirmitate verſionis Gen. 1. 6. fiat *firmamentum*: ut 70. etiam ſtereóma, ſoliditas, ponunt, hæc Syriaca eſt notio, ex Hebræo *rakiya expanſum*, *expanſio* vertendum erat.

Reſpondetur *rakay* ſignificare aliquando etiam extendere, expandere, verum non ſimpliciter, ſed ita ut extenſa res firmetur, ſolideturque, ſicut ferrum, dum igneſcens percuſſione crebrâ diducitur in lamellas, firmaturque, propriè vero nunquam ſummitur notione extendendi, ut mirum ſit doctos 70. & Vulgatæ verſionem carpere. Contendunt alii, inquit Calmetus, citans Fullerum, & Clericum, *rakay* nunquam ſignificare *extendit*, expandit.

Edmundus Caſtellus in Lexico heptaglotto Tom. 2. Col. 3646. Londin. an. 1686. *rakay*, inquit, *ex-*

pan-

atque eminentiam verſionis illius, cui quæcunque poſt tot ſcrutinia vitio vertuntur, aut levia ſunt

---

pandit; ſic fere Neoterici omnes, inter veteres autem ſunt, qui nec ſemel ita vertant, ſed potius ordinavit, continuavit, *firmavit*, percuſſit, plauſit. Iſa. 42. 5. & 44. 24. Pſ. 136. 6. conſentiunt Syrus, Arabs. Æthiop. nec non antiquiſſimi tam Hebræi, quam Græci, & Lat. PP. Jer. 10. 9. tharkiya, firmaſti: 70. Syr. Aquila &c.

Tom. 6. Polyglott. Anglic. non procul ab initio, in animadverſionibus Samariticis adnotatur *rakay* firmandi notione ſummi, & additur: neotericos non immerito hîc perſtringi a Cl. Morino, qui rakiya expanſionem interpretantur. Hoc certum, ubicunque hi vocabulum rakay expandit vertunt, antiquiſſimos Scripturæ interpretes loco ejus ſubſtituiſſe eſtereóſe, *firmavit*, vel quod Arabico *naſchak*, ordinavit, confirmavit aliquatenus reſpondeat. Addo Æthiopem Exod. 15. 8. & quod magis adhuc ad rem facit, aptior multo, atque accomodatior locis omnibus, in quibus iſthæc reperitur dictio, ex hac verſione accreſcit ſenſus, quam ex illorum altera. Conſule hæc pauca: Pſ. 136. 6. Iſa. 42. 5. & 44 24. *expandit Deus terram ſuper aquas:* quis obſecro veterum unquam locutus eſt ita? terram expanſam (ſuper aquas) dicere, quid aliud, quam cælo terram miſcere? optime quidem ſimul junxit, vel firmavit. Favent Syr. Arab. noſtra, & Oxonienſis &c. *firmavit* Deus terram, etiam aliis Scripturæ locis conſonum eſt, *expandit* nulli.

Bellarminus cenſet verè dici: *extendit* terram ſuper aquas, ut ſenſus ſit, terram initio rerum vix exiguo apparuiſſe ſpatio, mox aquas imperio Dei in locà ſua receſſiſſe, atque ita aridæ ſpatium *fuiſſe extenſum* ſuper aquas; id eſt: præ aquis, magis aquis. Ut omittam alia, neque verum eſt, ab aquis minorem telluris partem jam tum occupatam, longè e contrario major obruta manſit.

Sic intelligo: *firmavit*, loco ſuo ſtabili ſolidavit Deus terram ſeu aridam, cum ex adverſo aquæ inſta-

ſunt, aut ſpecioſo Hebraicæ veritatis aliud habentis titulo fallunt.

III.

ſtabilitate ſua moveantur, *magis*, firmavit, *quam* aquas, quæ mobiles ſunt, & inconſtantes. Pſ. 103. qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Hebr. habet: rokay haaretz yal hammaim: Pſ. 135. nobis, v. 6. *yal* poſſet non male ſumi pro *penes*, *juxta*, hæc ejus notio eſt frequens, dum de uno alteri vicino ſermo eſt. firmavit Deus terram, aridam penes aquas, undique enim aquis arida ambitur, quæ tamen, ne tranſirent fines ſuos, lege firmaverat Altiſſimus. Pſalmi 24. 2. verſus eſt parallelus: Domini eſt terra, quia ipſe *ſuper maria fundavit eam*, & ſuper flumina præparavit eam. Hebr. *jaſad* fundavit. Id eſt: Deus fecit terram altiorem aquis, quæ alioquin eam obruerent, terra altius eminet aquis. Ita multi; alii *penes* maria: Hebræa vox *jaſad* primam interpretationem vix fert; intelligi poteſt: magis fundavit, ſtabiliori fundamento ſtare voluit; aut vero dicendum: gazophylacia ſubterranea, ſeu aquarum ſub terra hac conſpicuâ receptacula intelligi, Gen. 1. 7. 11. ſuper quibus fundata terra ſoliditate ſua perennat.

Vox *Firmamentum* citt. l. Geneſ. non veterum Philoſophorum ſenſu accipitur pro ſphæra octava, ſeu ſtellifera, ſupra quam ſit cælum aliquod aqueum, ſed aëris regio, atmoſphæra quaſi *firmatorium* vocatur, ex contextu enim ideo factum eſt, ut tamquam mænia, ac vallum quoddam muniat, ambiatque extrema, ne aquæ illæ, quæ ſenſu Scripturæ ad captum vulgi, ſuper cælos eſſe dicuntur, id eſt: nubes in media aëris regione, amplius confundantur, prout tempore evolutionis rerum contigit, ſed maneant firma, & ſtabili lege ſeparata inferiora a ſuperioribus munimento hoc interpoſito, facto a Deo diviſionis firmatorio.

III.

Intolerandam Latini ſermonis in Vulgata regnare barbariem, & corruptionem, objiciunt, namque Hebraismis, ſolœcismis, Græcismis, Barbarismis, & ſi quæ adhuc ſunt Latinæ Orationis vitia, omnibus Vulgata ſcatet, ut inſvavi, impedito, incultove ſermone, quem Latinorum aures ferre nequeant, horrorem lectoribus incutiat. Legas in ea: Scopebam ſpiritum meum Pſ. 77. 6. Partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor. Pſ. 59. 8. Emigrabit te de tabernaculo tuo. Pſ. 51. Odivi Eccleſiam malignantium. Odite malum, odiunt Pſ. 17. & 76. Aporiatus eſt. Iſai. 59. Noceo paſſim cum accuſativo: judica nocentes me. Nihil illum (malus Spiritus) nocuit. Talibus hoſtiis promeretur (paſſive) Deus. Hebr. 13. 16. Lamentavimus, & non fleviſtis. Matth. 11. 17. Præſtabilis (Deus) ſuper malitia hominum. Borith loco ſmegma, Chodchod loco pyropus. Ezech. 27. 16. *kata* mane loco ſimplicis: mane C. 46. 14. Manſvetabatur ignis. Sap. 16. 18. h. e. coercebatur impetus ejus. Aporiamur 2. Cor. 4 h. e. afflicti egemus. Sinceriter Tob. 3. 5. Parvulus puer minabit (aget, paſcet) eos. In præſentiarum. Gen. ult. Infrunitæ animæ, h. e. nequam, & nullius uſus, ne tradas me Eccli. 23. *Calefacimini* Jac. 2. Attendite popule meus. Pſ. 77. Sermo meus non capit (locum non habet) in vobis. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. In cælo neque nubent, neque nubentur. Major horum (h. e. his) eſt caritas. Exivit ſeminare, cum autem irent emere, impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium h. e. diſcumbentibus. Omnis populus manicabat (mane tendebat) ad eum. Luc. 22. Quis ferat

ſtylum Eccli.? Traductio h. e. correptio, & punitio. Indoctus h. e. inſipiens, certari pro: certare, natio pro: res natæ in mundo. Obductio h. e. tentatio. Virata mulier h. e. animi virilis. Acharis h. e. inſulſus, non gratioſus. Replere h. e. plenum afferre. Vide Corn. a Lap. in Proleg. in Eccli. prope finem.

Hæc aliaque his affinia, dum in unum congeſta cumulum ſub conſpectum feruntur, magna quadam caſtigatione egere videntur, nulla tamen eſt honeſta ratio antiquiſſimam Vulgatæ verſionem propterea rejiciendi, & contemnendi. nam

Primo

Literatiſſimi viri oſtenderunt, barbarismos, & vitia illa ſermonis tanta non eſſe, tales voces, hujusmodi ſyntaxin, & conſtruendi formulas apud Ciceronem, Plautum, Terentium, aliosque aureæ ætatis Authores: certe poſteriori ævo apud celebres ſcriptores Latinos occurrere. Albericus Gentilis Heterodoxus librum edidit de Latinitate Vulgatæ verſionis, in quo obtrectatores ejus inſcitiæ inſimulat, & oſtendere nititur, non proletarios quospiam, ſed luculentos, & Claſſicos, qui latinitate cultiſſima adhuc vigente floruerunt, ſimiliter loqui. Extat etiam Tom. 3. Menoch. pag. 314. Diſſertatiuncula Joannis Fileſaci, qua latinitas Vulgatæ ex ipſis probatis Authoribus latinis defenditur. Gesnerus Vulgatam vocat librum claſſicum: Iſagog. §. 164. „in Bibliothecula mea Vulgatam verſionem repono inter libros claſſicos.

Animadverſione dignum eſt, inſvetos illos loquendi modos contra Vulgatam plerumque ex Pſalmis, aut libris Deutero-Canonicis V. T. vel de-

demum ex N. T^to^ adduci, in quibus non verſoris, ſed ſolum, ubi ſenſus deficere, vel aliorſum transferri videbatur, correctoris officio functus eſt Hieronymus, cujus ſtylus clarior eſt, & nitidior, & nullatenus horridus etiam in verſione:

Inſuper ex moderno linguæ Latinæ uſu male concluditur ad tempora illa antiqua, multa erant tum recepta, quæ jam ſunt antiquata, nova inventa complura: Cicero dicit: *utemur verbis, aut iis, quæ propria ſunt, aut iis, quæ novamus ipſi, & facimus.* Tale novum eſt effictum ab ipſo nomen, cum Græcæ vocis poteſtas hactenus in Latino non ſatis aptè exprimeretur, *mulieroſitas.* Multa neceſſitas, & novarum rerum invêntio poſteritati perſvaſit, uti in aliis, ita in materia religionis, in qua Roma ipſa adhuc gentilis, & mater ſuperſtitionum, ſua ab uſu communi remota habuit vocabula, in quibus cenſeri poteſt illud: *Soſpitator*, quod eſt Sótér Græcorum, quodve negat Cicero uno Latino verbo exprimi poſſe. Adhibenda ſunt multa, *novis verbis præſertim cum ſit agendum propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem.* Lucret. L. I. cui concinit Horatius de arte Poët. Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos, prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas, & juvenum ritu florent modo nata, vigentque,

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, cnm volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Uſus itaque præprimis eſt attendendus, omnisque vox proba, & bene Latina cenſeri debet, quam conſvetudo probaverit. Fabius L. 1. C. 6. *conſvetudo certiſſima loquendi magiſtra, utendumque plano ſermone, ut numo, cui publica forma eſt.* Vox, quæ hodie proba eſt, poſteris rejicula videbitur, & quam noſtra ætas pro honorifica habet, ventura contumeliæ deputabit. *Hoſtis*, *Tyranni*, *Sophiſtæ* nomina hodie ignominioſa novimus, ex adverſo *Baro* Illuſtrium perſonarum ornat titulum, quod contumeliæ quondam erat vocabulum in ſtolidos quosvis, & ineptos, Ciceroni de ſtupidis, & bardis uſurpatum. Sed nec *Bardi* ſemper, & ubique bardi fuerunt, erat tempus, quo celebres Gallici Poëtæ glorioſo hoc nomine gaudebant, teſte Poſidonio, Strabone, Diodoro, Heſychio; hinc Lucanus, *plurima ſecuri fudiſtis Carmina Bardi*, h. e. qui præclara Heroum canitis facinora.

Itaque ad ea tempora revocanda eſt hæc verſio, quibus facta eſt, atque ex iis æſtimanda; fuerunt ſua cuique ſeculo ut vitia, ſic & verba, quibus interpres uti debuit, quia lex dicta eſt omnibus: ſi vis audiri, & intelligi, utere verbis præſentibus: pari paſſu morum, ac literarum currit licentia, & perinde, ut alii mores, ita alius priſcis exſtitit ſermo; præterea obſervandum, verſionem factam eſſe populo, qui emendatiſſime loqui non ſolet, factam eſſe populo non cuivis, ſed Chriſtiano, qui talibus verbis, & conſtruendi modis ſub eadem tempora utebatur. Expendatur verſio ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, Tertulliano, quem Baſilius Faber Soranus in Theſaur. Eruditionis Scholaſt. Francof.

&

& Lipſ. in fol. 1749. pag. 215. Eccleſiaſticæ Latinitatis Autorem appellat, Arnobio, Hieronymo, nihil occurret in ipſa, quod in iſtis non deprehendas. Tertullianum quidem quod incultiorem Africanorum ſtylum ſectatus, inſolitis utatur verbis, culpat nemo, ratus iſta loco, & tempori eſſe tribuenda, dum tamen ſexcenties magis horridus eſt, quam Vulgatus, id quod nemini, qui ſcripta ejus legit, poteſt eſſe incognitum.

Nec eloquentia deeſt Scripturis ſacris, ſeu in fontibus, ſeu in verſione Vulgata conſiderentur, ſi ille, qui juxta Tullium, & Quintilianum facultatis benedicendi eſt, ſcopus expendatur, ad quem referri, & ex quo æſtimari debent omnia. Ille namque eloquens dicendus eſt, qui adhibet genus orationis rerum, temporum, locorum, Auditorum, ſuique ipſius tamquam Oratoris habita ratione, & circumſtantiis attentis accomodatum, ut finem ſuum aſſequatur, vel ad eum aſſequendum optime, aptiſſimèque ſit inſtitutum. An ſermonem Latinum ſæculis æræ Chr. primo, ſec. tert. dum in prophanis jam deflexit, in ſacris Ciceronianæ venuſtatis ubique æmulum eſſe oportuit? decebatne ſacrum ſcriptorem verbi Dei gravitatem, & Majeſtatem floſculis Rhetorum, & veneribus dictiuncularum oblimare? nonne ſtylus ille humilior ad cognitionem Dei, amorem, & obſequium, ad virtutum ſtudia, & fugam vitiorum in nobis efficienda aptiſſimè, ſapientiſſimeque tendit? omnis, qui linguâ ſuâ ſcribit, ut ætatis ſuæ fert ratio, is purè, & ſimpliciter, ac citra reprehenſionis meritum ſcribit: ævo illo vocabula talia civitate donata erant, & familiaria: Herodotus, Xenophon,

 Thu-

Thucydides voces Perſicas, Syriacas, Ægyptias ſuis temporibus notas, & pulcras, quia receptas, uſurpaverunt.

Modeſtum ſtyli decorem in ſcripturis Auguſtinus olim Mediolani, & Romæ Rhetorices Profeſſor, Victorinus Romanus Rhetor, Cyprianus, S. Hieronymus, recentiori ævo Marſilius Ficinus, Picus Mirandulanus, Sigonius, aliique confeſſi ſunt ingenuè.

Adhibet Vulgatus obſoleta. Sed reſpondit jam Fabius L. 1. C. 6. Inſtit. *Verba a vetuſtate repetita non ſolum magnos aſſertores habent, ſed etiam afferunt orationi Majeſtatem aliquam, non ſine delectatione, nam & Authoritatem antiquitatis habent, &, quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant.*

Adhibet barbariſmos, aut, ſi dicere mavis, ſolœciſmos. Sed reſpondit jam Seneca epl. 95. *Grammaticum non erubeſcere ſolœciſmum, ſi ſciens, erubeſcere, ſi neſciens faciat.* Nempe quia ſæpe fit propter ornatum, ſicut nativum venuſtæ faciei candorem nigella macula arte addita cenſetur commendare. Alvarus L. 3. ſeu de arte Metrica pag. 57. Enallage „*Cum in ſoluta oratione vitium ſit, barbariſmusque nominetur, in Carmine tamen non barbariſmus, ſed metaplaſmus appellatur.* Multo ante monuit Auguſtinus L. 2. de ordine C. 4. *Solœciſmos, & barbariſmos, quos vocant, Poëtæ adamaverunt, quæ ſchemata, & metaplaſmos mutatis appellare nominibus, quam manifeſta vitia fugere maluerunt. Detrahe tamen iſta carminibus, ſuaviſſima condimenta deſiderabimus.* Nihil verius dici potuit, præſertim in Græco ſermone, ubi nomina 2dæ, & 3æ declinationis ſimplicium, dum Poëtis placue-

cue-

cuerit obſequi, neceſſe eſt, ut ad normam quintæ flectantur: e. gr. *té partheni*, huic virgini, tois aſtraſi: his aſtris, dendreſi arboribus, probaſi ovibus: cur non igitur & Sabbaſi, Sabbatis, ut dicimus dogmatis, aut dogmatibus?

Jam adferenda ſunt vocabula, & formulæ loquendi minus uſitatæ ex Autoribus probatis, quæ in Vulgata tanta contentione agitantur. Plautum Varro, & Cicero omnis Romanæ eloquentiæ parentem vocant, in cujus laudem adduci illud ſolet: Muſas ipſas, ſi Latino ſermone uti voluiſſent, non alio, ſed Plautino ore fuiſſe locuturas; norunt tamen omnes, quanta licentia comicus iſte modos loquendi immutet, inducat novos, antiquatos, & obſoletos revehat; ſi hic variis de cauſis excuſari, defendique meretur, & tanti fit a Latinis, quæ intemperiæ cogunt, Vulgatum interpretem ob minus uſitatas quaſdam loquendi formulas rejicere? Sed ad rem propius!

Cicero dicit.

Multi inimicos etiam poſt mortem puniuntur, ut clariſſimorum virorum crudeliſſimam puniretur necem; punior ut deponens activæ ſignificationis uſurpat; verba ab oratore *modificata*, modificato cibo, guſtatus eſculentis, & poculentis, & dulcitudine commovetur. Adjutoria ſenectutis. Unde ad Gen. 2. 18. addit Grotius: *vides ipſam adjutorii vocem! pacificatus eſt* cum illo, quo verbo Livius, & Terentius pariter utuntur: Legati venerunt pacificatum: pacificator, nulla ſpes pacificationis, ſe in iſtam pacificationem non interponere. Meridiationibus uti. Meditullium, vix audeo dicere medietates; minuritio avium. Oratio ornatu comitata, opinata mala, conſolor abs te, menſes dicuntur a

menſis ſpatiis, conteſtata virtus, cavendum, ne nos adulari ſinamus. Sagire, ſentire acute eſt. In ſanctas (morbus) invitius (magis invite) facere. Complementum. Devoto 1ᵃ Conj. Grabbatus. Tempus eſt limum, & luta aggerere: Livius dixit: tempus eſt corpora curare. Gaudeo, quod te interpellavi. Hæc jocatus ſum. Invitatio, invitamentum, invitatu tuo, invitari aliquo; meritas pœnas luit. Licitatio, citare in jus, etiam allegare: averruncent Dii: conceptus pro idea, balnearia, balneæ, balneator, benedicere pro bene precari, captioſus pro fallax, valdius, valdiſſime, circum circa circulare caput, comitatus h. e. deductus, cruciamentum, comparativus, curioſus, curioſitas, curantiaᵉ, ut difficiliter a vero internoſcatur, dominor pro: regor, dominatus, -tio, evigilatus, pro: vigili oculo præſervatus, experientia, excarnificatus, extraordinarius, firmamentum, fidentiaᵉ, frumentari, frumentatio, prædicabile, habitus h. e. affectio durans, ignoturus, ignorabilis, inanimus, inaudibilis, lymphatus: h e. furens, inſanus, miratio, neſcientiaᵉ, audientiam facere more patrito, patrita Philoſophia, pellicatus, laudem peteſſunt, h. e. petunt. Hæc ex Etruſcis libris interpretata. Qui ſe metui volunt. Prævaricator, -.- tio, privilegium, noviſſimus h. e. ultimus, pſallere, quatefacio, pugillatio, purgatio, replicatio, egregius h. e. magis egregie, noxior comp. reſpectum non habens: rituales libri: remuneravit. Reprobo, requietem non habeo; reſpectare. Rivalitas. Rotundavit. Sanctitudo. Salvare. Turpificatus. Debitio h. e. obligatio. Definitivus. Vicarius. Votivum. Usquequaque. Benefactum h. e. beneficium. Laxamentum.

tum. Principatus. Seminarium. Conſervus, conſervitium. Parvitas. Diſtributio infinitior. &c. De nonnullis tamen vocum iſtarum an Ciceroni propriæ ſint, vel potius errorem tranſcribentium redoleant, diſceptatur. Pleraque deſumpta ſunt e Lexico, ſeu Theſauro Marii Nizolii.

Plautus, & ceteri claſſici Athores habent.

Sermoni jam finem face tuo. Satisfacitur. Varro: parvifacitur. Caleface Ovid. inque h. e. dic. dice, face, duce, tuimur h. e. videmus. Æternas quoniam pœnas in morte timendum. Lucr. Die craſtini h. e. - - na. Si Dionyſium adulares, iſta non eſſes. Valer. Max. Longe alio pacto gannitum vocis adulant. Lucr. In præſentiarum Gell. Auctor Rhetoricorum ad Herennium, Nepos, & Tacit. Credo inimicos hoc dicturum. Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur. Liquidoque poteſtur electro. Virg. Fuit in poteſtatem prædonum. Munificare, Lucr. nulla finis, multus lux, nulla grex, nec lanam, nec lactem habeo. Pla. De potentatu contendere. Cæſ. Betiſſare, h. e. languere, Auguſti vox eſt. Suemus, ſuetis h. e. ſumus, erimus, vel fuo, fuis: Tros, Rutulusve fuat, (ſit) Induperator indugreditur, ampliter, ſinceriter, feſtiviter, rarenter cœnatus ſum curru vehens h. e. vectus. Inimicare urbes, inimiciter Gell. Rogo pro vita, pro gratia hac Phædr. *Affirmare* h. e. firmiter claudere. Crebriſſimi fluctus Gell. *ſi* h. e. eſto. Pinſor h. e. piſtor, pinſita farina. Crucifixus Quint. Plurativus numerus Gell. Poſtidea h. e. poſtea Incordare ei h. e. perſvadere, ſæpicule. Hæc irroboravit h. e. invaluit opinio Gell. Superanteacta ætas Lucr. Hæc quæſtio a prudentibus viris in utramque partem arbitrata

 eſt.

eſt. Gell. Arbitro Plaut. h. e. - - or. Pleraque ei meditata, & evigilata erant; heſterna noctu tonitrus fuerunt, *pluria* hujusmodi habet Gellius; Imitare nemo poteſt faciliter. Pla. Totæ familiæ. idem. Sereſcit h. e. fit ſerenum. Vultum. *Eſſe vides juxtim miſcentes vulta parentum.* Lucr. Cluo h. e. ſum celebris: nomen in orbe cluet, multo conſilio, & lingua cluere Cic. vino nihil quidquam cluit jucundius. Var. Res opportuna cluebit. Lucr. Puſi h. e. pueri ſomno devincti credunt extollere veſtem totius humorem ſaccatum ut corpori fundant h. e. urinam; Lucr. Cluentur (vocabuntur) hoſpitum infideliſſimi. Pulcrum pileum, rotundum rapum, inſipidum fabellum: properiter Catull. Poſtpartor h. e. hæres. Potire aliquem ſervitutis ſæviter. Cæſ. Pla. bobus potatum dare. Poſtillena, mantellum h. e. pallium, mediaſtinus. A poſt principiis incipere, ubi germen naſcere cœpit, nequitur retrahi. Var. Inviſior Cat. Quieſcor Ter. Illa non eſt quita agnoſci; perplexabiliter perplexaturus, verbum facit perplexabile. Pla. Inſtantia h. e. petitio. Plin. Apparituram Magiſtratibus facere h. e. ſervitium Svet. Immerſabilis Hor. Pulſare hominem h. e. percutere. Pulcralis homo. Var. De omnibus braſſicis nulla eſt medicamentoſior. Var. Conſiliator Phæd. Non pulveres hic. Pla. Sororiantes mammæ. Terra movet Gell. h. e. terræ motus fit. Exoſſare piſcem, excarnificare Ter. Excandefacere annonam h. e. augere pretium. Divitiſſimus Nep. Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta. Lucr. Amaror Virg. Dulcatis cunctata vadis flumina. Sidonius. Paupera fæmina Pla. Luno h. e. incurvo. Ovid. Lunavitque genu ſinuoſum fortiter arcum. Collatio ge-

genus tributi Pla. Eminentiæ Cic. Sagittandi celebris uſus Curt. Servitudo Liv. Simultatus eſt ſe. Pla. Imaginavit ſibi id. Salarium Tac. Scrupuloſus h. e. ſibi metuens Plin. Tum joca, tum ſermo, tum dulces, eſſe cachini conſvevrunt. Svemus facere. Nam conculcatur cupide nimis ante metutum. Oculiſſime homo h. e. cariſſime. Sentiſco: mutuiter nos amemus. Var. Cum ab amicis hortaretur, adminiculavit ei. Communitus pueræ miniſtrabant. Meritat h. e. ponit merita. Duos oves Var. Magnus murmur: demolivit tectum. Turpificatus eſt Juv. tetuliſſem h. e. tuliſſem Ter. Inficiens h. e. non faciens. Virgatæ veſtes, bullatæ nugæ. Non contriſto 1æ conj. Virg. Nimis me indulgeo Ter.

Plautina ſunt & iſta: Adjutabilis opera. Apolactizare h. e. ablactare. Mantat eum h. e. expectat. Datatim ludere, futatim, (multùm) commemorare. Concenturire Sycophantias in corde, h. e. coacervare. Sociofraudus. badizo h. e. eo. Piſtorienſis. hoc Calor. cauſſificor. cibatus, coemptionalis. Collare. Collativus venter. Cordolium. Inferior guttur. cruciabilitates. Quid tibi juvat? curſura. Depoſivi. Dormibo. Datarius. Electibilis. Exſugebo. Ferentarius miles. Impatibilis, inanilogus. Indipiſcet h. e. acquiret. Alterum infelicitare. Induſiatus. Jocabo. Lectiſterniator lucrificabilis. Mœſtiter moriri. Opulentitas. Pappare h. e. edere. Obnoxioſus. Paratragediare h. e. magnifice loqui. Pariſſimus. Patibulusi. Patibulatus. Penetrare ſe aliquo. Potiti ſunt h. e. acquiſiti. Præſentiarius h. e. præſens. præſente nobis h. e. præſentibus. Pudeo, proficiſco. Extrarius, jejunioſus. Ova parire ſolet genus pennis condecoratum Enn. Quadrupedante

te putrem ſonitu quatit ungula campum. Virg. Vulturis in ſilvis miſerum mandebat homonem. Enn. Ridibundus h. e. ad riſum pronus. Salutigeruli pueri. Sorditudo, Sarcinatus, h. e. ſarcina onuſtus. ſcibitur h. e. ſcietur, ſimitu (ſimul) ſubblandibitur. Suſpicoas ſubparaſitari h. e. turpiter obſequi. Sycophantari h. e. impoſturas exercere. Thermopotare calidis potibus uti. Vacivitas, valetur, vanitudo, verberantes h. e. vapulantes (paſſive) Viaticatus h. viatico proviſus. Veneroas virgator, qui virgis cædit. Vitulari h. e. lætari. Utibilis. Infelicoas h. e. infelicem reddo. Maximitas. Lucret. Tanto magis inficiandum totum poſſe extra corpus durare, genique. (gigni) Præterea niſi erit (in corporibus) minimum, parviſſimaque quæque corpora conſtabunt ex partibus infinitis. &c. Elementaris Scholæ alumnus ſi talia proferret, manum ferulæ ſupponere juberetur. Varronis, & Plauti interrogativum *Quis* fæm. generis eſt: Quis itio ad priorem dominum? dic mihi, quis eſt ea, quam vis ducere uxorem? Plaut. interrogat mulierem: tu quis es? reſpondet ipſa: ego ſum ejus mater. Quis illa eſt mulier timido pectore peregre adveniens? quis eſt hæc muliercula? Cic. Orat. in Catil. In ante diem quintum Cal. Ad pridie Cal. ſub poſteaquam veni, ibi volo eſſe usque ad pridie Cal. Cur ergo diſpliceat in Pſ. De poſt fœtantes (loco, ubi qua paſtor erat poſt oves fœtantes) accepit eum? Ita Florus *de ſub Alpibus:* de ſubſcamno exigimus canem, de ſub modio nuces proferimus. Poëtæ monent, gemmulas Horatii eſſe ab Hellenismo: ut facilis ſtomachari, mulier pudica aſpici &c. ita & textus: Principes gentium dominantur eorum 10 Græcismus eſt

loco

loco eis, 2° non concordat cum voce: *gentes*, ſed æquipollente: homines, *populi*. Sæpe ſubauditur ſimile aliud: qui te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. (millia) Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus, ſtultitia enim eſt (totum hoc, res iſtiusmodi) illi.

Secundo.

Si propter ejusmodi Solœcismos, barbarismos, aliaque orationis vitia Vulgata deſpicatui habenda eſt, pari ratione & Fontes, Hebræus V. & Græcus N. Tti codex, quorum verba Spiritus S. dictavit, & locutus eſt, rejiciendi erunt. Vetus namque T. offert voces *Perſicas:* quales cenſentur Pardes h. e. Paradiſus Cant. 4. 13. Nehem. 2. 8. Eccle. 2. 5. Purim. h. e. ſortes Eſth. 3. 7. ginze. (Hung. Kints) Gaza. Angariare, hybrida vox gazophylacium. *Chaldaicas:* Pſ. 2. *bar*, ſi tamen filium ibi ſignificet. *Hepik* eduxit Pſ.. 144. 13. Prov. 8. 35. Parvar ſuburbium (vár Hung.) 4. Reg. 23. 11. *Ziv* forma Pſ. 49. 11. pulcritudo agri mecum eſt h. e. meæ eſt poteſtatis. 70. horæotes ut Iſa. 66. 11. hod. *Ziz*. legitur ſimillimo elemento, quod eſt avis, aut fera, quidquid ſe movet, ſeu humi reptans, in aëre volans (zuz moveri) Græc. knodalon. *Syriacas:* Job. 24. 22. ipſum nomen ben *jamin* non *dextræ*, ſed dierum, h. e. generatus in ſenectute filius, loco *amim*. Gen. 1. Chhajto. *dormire* pro mortuum eſſe, *debita* pro: peccata, corbona, Mammona, maranatta &c. Et quidem etiam præter ea, quæ in Jeremia, & Daniele Chaldaica ſunt, Chaldaismis, & Syrismis V. Ttum adeo eſt reſperſum, ut Jacob. Altingus in Gramm. ſua a pag 427. usque pag. ultimam, quæ

eſt

eſt 445. de his ſolis anomaliis in Biblia illatis tractet. Jobum *Arabismis* eſſe refertum, nec felicius ſenſum ejus, quam ex Arabico erui jam Hieronymus obſervavit, & editis commentariis plures oſtenderunt, uti Joan. Chriſtoph. Clodius in Gramm. Arabicæ Theoria, & praxi, (Lipſ. 1779. apud hæredes Joan. Groſſii) ubi obſcuriora Jobi loca ex Arabico illuſtrat. puta: C. 1. 22. C. 2. 8. C. 3. 5. 7. C. 5. 5. 22. 26. C. 6. 5. 6. 7. 10. 14. 17. C. 38. 32. C. 42. 8. Ipſaque filiarum Jobi nomina ex Arabico, ſolito felicius; unde clariſſimorum virorum opinio eſt Arabice editum primitus. Bochart. Hieroz. p. 1. L. 2. C. 8. pap. 125. Hœttinger. in Theſaur. Philol. Heidegger. Franc. Gomar, & Hinckelmannus dicit: „Mihi vix dubium eſt, in Arabia illo, quo Jobus vixit, tempore linguam aliam non fuiſſe, quam in hoc quidem libro apparet. Hinc quoties voces rariores, & Judæis ipſis non ſatis intellectæ occurrunt, fere ubivis Arabismus nodos ſolvit.„ *Græcas*: Dan. 1. 20. Aſſaphim ex Græco *Sophi* h. e. ſapientes. Pſalterion, Symphonion, Sambucha (Syro-Græcum) 2. Paral. 2. 16. *rapſodoth* alias rapſodiæ Carminum, hîc navium. In quem locum dicit Grotius: „Non Esdræ tantum, ſed & Danielis temporibus Græca quædam vocabula in Hebræum, Chaldæumque ſermonem commercio penetraverunt.„ *Ægyptiacas:* de quibus litigent alii, quid ſi veſtium quædam nomina, nec non *chhartumim* (magi) achhu, ipſumque thohu bhohu, & tzaphnath paayneach inde ſunt ducenda?

Græcus N. Tti codex habet pedeſtrem, vulgariſſimumque modum loquendi, ſtylum humilem, Helleniſticum, (Hebraico-Græcum 70. viris

ris uſitatum) idiotiſmos miſcet Hebraicos, & Latinos. De prioribus nullum poteſt moveri dubium, cum Apoſtoli *natura*, ut Scriptura loquitur, ſeu: nativitate, & gente Judæi eſſent. Aliqua Pauli loca cum regulis Græcæ Syntaxeos conciliari non poſſe (Col. 3. 16. Epheſ. 4. 2.) quidam aſſerunt, ab eodem Apoſtolo miſceri hyperbata, nec linguæ proprietatem curari, ab Hieronymo eſt animadverſum, ut adeo ſe imperitum ſermone, ſi videlicet cultiſſimis Græcorum Scriptoribus comparetur, non tantum ſecundum virtutem humilitatis, ſed etiam ſecundum veritatem ex teſtimonio conſcientiæ ſuæ ſit confeſſus, qui, ubi ſibi relictus eſt, interprete uſus fuerit, *cum Divinorum ſenſuum Majeſtatem non poterat Græci eloquii explicare ſermone.* epl. 150. Quæſt. II. In epl. ad Hebræos aliquam deprehendi elegantiam, quod verſio ſit Lucæ, aut alterius Græce doctiſſimi, qui, quod Hebraice h. e. ſuo eloquio Paulus diſertiſſime ſcripſit, pari, vel majori eloquentia in Græcum convertit, ipſum autem Apoſtolum Græcæ venuſtatis ignarum fuiſſe.

Præterea novas voces prophanis haud uſitatas invenire, & adhibere ſacri Scriptores non reformidant, dum iis veritatem, ſenſumque illum, quem Spiritus S. intendit, apte exprimi vident: puta: *hikanoo* idoneum reddo. *enotizomæ* exaudio, *ſplanchnizomæ* miſereor, proprie: intimis viſceribus commoveor. *eudokeo* habeo in re beneplacitum, ei cum animi voluptate acquieſco. *Orthrizomæ* ſummo mane venio, manico; deinde voces aliis etiam uſurpatas Scriptoribus inſolita adhibent flexione: Joan. epl. 3. 4. *meizoteros*, quaſi dicas: majorior. Epheſ.

Epheſ. 3. 8. *eluchiſtoteros*, minimior, *mikrotatos* parviſſimus. Agathotatos boniſſimus, ut Varro L. 7. de Ling. Lat. dixit boniſſimus, & maliſſimus. Quæ flexiones licet ex probatis Autoribus, non ſecus, ac vitia illa Vulgatæ objecta, defendi poſſint, multi tamen poſt Eraſmum, Salmaſium, Sebaſt. Caſtellionem. Richar. Simonium in Fontanos N. Tti ſolœcismos invecti ſunt, a moderatioribus confutati, etiam Beza in Græco textu Apocalypſeos barbarismos ruſticitate ſermonis non carentes eſt profeſſus. Audaciam horum repreſſit Blakvallus Anglus in Autoribus ſacris Claſſicis Tom. 1. p. 2. C. 1. qui de ſtylo Joannis, quem ceteris humiliorem ſerpere dicunt, hæc addit relatu digna: *Venerabilis perſpicuitas, gravitas Majeſtatis plena, & modeſta ſimplicitas a viris, qui ratione valent, majori ſemper, quam artificioſæ pompa eloquentiæ, & pueriles ſophiſtarum veneres, ac declamatoria oratio, in pretio, & honore habebitur.*

Latinismos in fonte Græco N. T. occurrentes ſufficiat indicare. *Ergaſian dunæ* h. e. de verbo ad verbum: operam dare. *poiein chronon:* tempus facere. *hikanon labein* ſatis ſumere. *Synærein logon*, conferre rationem. Rogo & te germane compar Phil. 4. *eroto*, quod potius foret interrogo. Act. 17. 9. & 12. 19. Marc. 15. 15. notat Grotius verſus *Luc.* 4. 38. 43. & 14. 18. item 18. 5. rurſum. 24. 17. ac 26. 58. Ut nihil dicam de vocabulis Latinis in Originale Græcum N. T. illatis, qualia ſunt: modius, litra, ſeu libra, Titlos, ſeu titulus. ſicarius, forum, quadrans, taberna, cenſus, Cuſtodia, Colonia, milion h. e. milliare, legio, flagel-

gellum, flagelloas, ſpeculator, ſeu potius, ſpiculator, membrana, macellum, ſemicinctium, Prætorium, ſudarium (ſi non eſt Syrum) Linteum &c.

Solœcismos, & ſtyli vitia Scripturis objicere proprium eſt hæreticorum, & infidelium, ut jam Origenes contra Celſum obſervavit L. 4. & 7. Barbariem, & inelegantem orationem homines nullius religionis, quibus quia omnis ethnica ſuperſtitio placuit, Chriſtiana religio placere non potuit, ipſis ſacris Authoribus, 70. verſioni, Veteri Italæ exprobrarunt, quibus gemina ſunt, quæ neoterici re tam parvula offenſi Vulgatæ noſtræ opponere non deſinunt, nec tamen umquam Eccleſia in gratiam hujusmodi obtrectatorum novam aliquam floribus Latinitatis vernantem translationem fidelibus dare conſtituit. In antiquis protriti jam ſunt, & conculcati novitii reprehenſores, qui non minus, quam illi, primo Latinum interpretem neglectæ Latinitatis, acyrologias, & ſtribliginis accuſare, temerario dein auſu ſine termino progreſſi Sacroſancta Dei eloquia totius Mundi reverentia conſecrata, in ipſis fontibus irreverenter tractare, cenſoria virga notare, & Spiritum S. Linguarum datorem in Grammaticis non examinare tantum, ſed arguere etiam non erubuerunt. Placet aliqua veterum proferre teſtimonia: „Puerilis ſane, (ait Arnobius L. 1.) atque anguſti pectoris reprehenſio, quam ſi admitteremus, ut vera ſit, abjiciamus ex uſibus noſtris quorumdam fructuum genera, quod cum ſpinis naſcuntur, & purgamentis aliis, quæ nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit o quæſo! aut quam præſtat in-

intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur, quod acui, an acuatur, quod oportebat inflecti? aut quî minus id, quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, præpoſitione, participio, conjunctione? pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, judiciisque ſervetur, deturque illis imo, qui voluptatum delineamenta quærentes omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid aures commulceat, ſed quas adferat audientibus utilitates. Maxime, cum ſciamus etiam quosdam Sapientiæ (prophanæ) deditos non tantum ſermonis abjeciſſe cultum; verum etiam cum poſſent ornatius, atque uberius loqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatem, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione jactarent. S. Proſper L. 3. de vita Contempl. C. 34. dicit ſe non curare, ſi verborum inanium ſectatores horrore incomptæ orationis offendat, cum ſententiarum vivacitatem ſermo ex induſtria cultus enervet, & totam vim dictionum ſplendor elaboratus evacuet. - - Prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia: quando non res pro verbis, ſed pro rebus enunciandis verba ſunt inſtituta.„ Hieronymus in C. 40. Ezech. „Illud ſæpius monuiſſe ſufficiat, noſſe me cubitum, & cubita neutrali appellari genere, ſed pro ſimplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgique conſvetudine ponere & genere maſculino. Non enim curæ nobis eſt, vitare ſermonum vitia, ſed Scripturæ S. obſcuritatem quibuscunque verbis diſ-

diſferere; in C. 47.„ Quod cubitos genere maſculino, & non neutrali cubita dicimus juxta regulam Grammaticorum, non ignorantia id facimus, ſed conſvetudine, propter ſimplices quosque, & indoctos, quorum in congregatione Eccleſiæ major eſt numerus. „Aug. L. de Doctr. Chr. C. 11. *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba.* Tract. 2. in Joan. in illud: *Qui non ex ſanguinibus* (Hebr. *damim* pl.)„ Sanguina non eſt Latinum, ſed quia Græcè poſitum eſt pluraliter, (ex hæmatón) maluit ille, qui interpretabatur, ſic ponere, & quaſi minus Latine loqui ſecundum Grammaticos, & tamen explicare veritatem ſecundum auditum infirmorum; ſi enim diceret *ſanguinem* ſingulari numero, non explicaret, quod volebat, (quod tantum ex virginis ſanguine, ſeu ſemine) ex ſanguinibus enim homines naſcuntur maris, & fœminæ.„ L. 4. C. 10. „Negligere verba magis Latina diligentem eſſe negligentiam; dum non curatur, quid bene ſonet, ſed quid bene indicet, atque intimet, quod oſtendere intendit,„ L. 3. C. 3. illud: *non eſt occultatum a te os* h. e. *oſſa mea.* „Mallem cum barbariſmo dici: non eſt abſconditum a te oſſum meum, quam ut ideo eſſet minus apertum, quia magis Latinum eſt. - - Cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem, oſſum potius, quam os dicere? melius eſt, ut reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi.„ Greg. M. Præf. in Job epl. ad Leand. verborum folia non eſſe quærenda, quia in templo Dei nemus plantari prohibetur, „& quoties in foliis male lætæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana

turgeſcunt. Unde & ipſam loquendi artem, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi. - - Non metacismi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitus, motusque, & præpoſitionum caſus ſervare contemno: quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.„ Lactantius: „Inde eſt, quod ſcriptis cæleſtibus, quia videntur incompta, non facile creditur, quia diſerta legere volunt, & videntur hæc illis veriſſima eſſe, quæ auribus blandiuntur. Num igitur Deus, & mentis, & vocis, & linguæ artifex diſerte loqui non potuit? imo vero ſumma providentia carere fuco voluit ea, quæ Divina ſunt, ut omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur.„

Tali igitur & nos hodie in Vulgatam veneratione ferri convenit, nec quia ſuos habet barbariſmos, hoc minoris facere, maxime, poſteaquam facunduli, & delicatuli elegantiarum hujusmodi aucupes ſufficientiſſime refutati ſunt a Patribus. *(yy)*

Mo-

(*yy*) Ex iis, quæ *Primo* adducta ſunt, vitia Latinitatis Vulgatæ objecta nullo negotio abſterguntur, ſeu potius: ſponte ſua evaneſcunt. Calefacimini, Lamentavimus, vetus flexio eſt. Deponentia ſæpe active quoque uſurpantur a Cic. & Comicorum Principe Plauto, Drumelius in Lexico ſuo ponit *lamento*, vel-or. Mino, paſtoritium verbum eſt, ago, ante me propello, minabat equos ait Feſtus, ex quo ſupereſt Gall. mener, ac promener. Antiqua illa futura: metibor, partibor, Plauti authoritas nugivendulorum obtrectationibus eripit. Aporiari, opis, & conſilii indigum eſſe, Maximo Taurinenſi, aliisque non inculte ſcribentibus placet, licuit Ciceroni Græ-

ca

Tertio.

Moderni, dum Scripturas accuratiſſime, & nervoſiſſime in Latino exprimere volunt, vel longe horridiori, vel putidiuſculo, & infantiliter affectato

 ſty-

ca Latinis miſcere, Vulgato, qui Græca vertit, non licebit Græca verba conſecrare? *Nubere* tegere eſt, unde Neptuni nomen duci ſolet, aqua nubit terram Arnob. nubitur illa Pla. Ter. quæ nuptiali velo nubebatur, inde nupta dicitur. Comicis Grammaticorum regulas egredi licet, Eccleſiæ non licet? integrumne negabis eſſe, in publicis ſupplicationibus alternis reſponſare vocibus: Miſerere *nobis?* in proverbium abiit: *Grammaticæ leges plerumque Eccleſia ſpernit.* Emigrabit te: Hiphilica locutio eſt, quales etiam Latini habent interdum, uti pluribus exemplis oſtendit Jacob. Lydius in Syntagm. ſacr. de re milit. ſic Virg. Eclog. 8. *Et mutata ſuos requierunt flumina* curſus h. e. explicante Servio, quietos eſſe fecerunt. L. 7. Æn. *Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.* h. e. facit urere. Propert. L. 2. Eleg. *Jupiter Alcmenæ geminas requieverat arctos.* & eodem L. Eleg. ult. *Quamvis ille ſuam laſſus requieſcat avenam.* Lentulus L. 12. epl. 14. *Nos, & Remp. deſperaverunt.* h. e. fecerunt deſperare. Quamvis ſolius Hungaricæ linguæ poſt Orientales proprium ſit ex neutris, ſeu intranſitivis, activa facere; tamen *Emergit ſe ex miſeriis* etiam Pontanus probat: & vero ſi Hiphilica locutio in vitio ponitur, etiam viri Theopneuſti, Apoſtoli, & Evangeliſtæ monendi erunt, ut talibus Græcum textum non inquinent. 2. Cor. 2. 14. Theos hemas triambevei: Deus nos triumphat (triumphare facit) 2. Cor. 9. 8. Deus potens eſt omnem gratiam (facere) abundare in nobis. Matth. 5. 42. 2. Petr. 3. 12. 1. Cor. 6. 4. Etiam ipſe Spiritus S. interpellat (facit ſua gratia nos interpellare) pro nobis. Nempe omnes moderationis leges *migrant*, qui his offenduntur, qui autem jus migrat, dicente Cic. 3. de fin. injuſtus eſt. Caſſita nidum migravit Gell. L. 2. C. 29. vetus autor Titinius Veliterna emigrare habet pro ejicere. *Miniſtrari*, cum in Græco paſſivum ſit, compen-

ſtylo utuntur. Verſio Xantis Pagnini inter factas a Catholicis verſiones celeberrima, 25. aut 30.

pendio ſic translatum, loco: ut ei miniſtretur, accuſativo jungitur belle: furor arma, vinum verba miniſtrat, ut Hung. ita Græc. Lat. accuſ. paucioribus ſervis ſerviri dixit Seneca; boni miniſtrantur Plau. popule meus! projice tela manu ſanguis meus! Virg. Chariſius ex Scauro teſtatur eſſe controverſum inter multos an o mi! vel o meus! dicendum. Servius ad Donat. & in C. 9. & 11. Æne. nec non Priſcianus L. 7. notant Locutionem variare: *in Vocativo II. declinationis contra regulas plurimum ſibi aſſumpſit autoritas.*

Odio archaismus eſt. Marcus Antonius Triumvir epl. ad Auguſtum. *Partes, quas Pompejus odivit.* Seneca epl. 7. neceſſe eſt aut imiteris, aut odiaris. Hier. epl. 18. ad Marcellam: ſi de mundo non eſſemus, odiremur a mundo. Servius in L. 5. Æn. antiqui & odi dicebant, & oſus: nondum exoſus ad unum. Nimietas, ſicut ab ebrius; ebrietas, Arnob. Hier. qui ſic transfert Græcum hyperbole. *Infrunitus* demens, nequam, ineptus, cujus bonum uſum, atque utilitatem habere non poſſis Senec. Gell. L. 4. 9. *verba infrunita, & obtundentia:* alterum infruniti eſt animi, alterum timidi, & puſilli. *præſtabilis* h. e. præſtans, valde utilis, Ciceronis eſt: nihil præſtabilius amicitia: Deus præſtat malitiæ hominum, bonitatis ejus infinitus theſaurus ſuperat hominum malitiam, eâque major eſt. *Manico* h. e. diluculo adſum, ſicut a *fodio* fodico, Aug. & Petro Chryſ. uſitatum.

Scopebam Spiritum meum. Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, anticipaverant vigilias oculi mei. Hebr. *Vajchappeſc ruchhi, & (profunde) ſcrutabatur Spiritus meus.* Sed Veteres primam perſonam in fonte legiſſe videntur, ut *ruchhi* accuſandi caſu ſit vertendum: ſcrutabar Spiritum meum. 70. habent *eskallon: fodi*, non *eskallen: fodit*, proin videtur error librariorum eſſe in Hebræo, ut Bellarm. obſervat, nam etiam vetera Pſalteria ferunt;

30. annorum ſpatio elucubrata, obvium dabit exemplum horroris non minus, quam ſervilis

runt: *ventilabam*, al. *vexabam*. Veroſimile eſt Hieronymum novo, & inuſitato verbo emendaſſe: *Scopebam*; nam MSS. pleraque ſic habent, licet in impreſſis ſit: *ſcrutabar Spiritum meum:* Ad Suniam, & Fretellam ſcribit: *Scopebam* deſignare: ſarculo ſarriebam, h. e. fodi, inutiles herbas extirpando, forte a Græco *ſcopeo* & verbum, & ſignificationem eſt mutuatus: *oculis mentis intente conſideravi* conſcientiam meam. Aug. legit: *& ſcrutabar Spiritum meum:* omnia hæc idem ſonant: excuſſi latebras cordis, feci examen conſcientiæ: dicunt alii *a* loco *e* reponi debere: ſcopabam, everrebam: *ſcopo* Biblica vox eſt Luc. 15. Iſai. 14. 4. proba, quia vulgaris, & Hieronymiana.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem meum (haberem eum) *ſic complacebam* (mihi in eo) Pſ. 34. 14. mihi complacebam in bono iſto affectu erga meos inimicos, quaſi erga fratrem: al. *a* pro *e*, ſic eos complacabam. 70. viralis verſio noſtræ mater hic obſcurior, *evéreſtun* complacebam. Hebr. clarior: *che reay*, *cheachh li hithhallachthi: quaſi* (quisque eorum eſſet) *amicus*, *& quaſi frater mihi*, (ſic) *ambulavi* h. e. converſabar cum iis; ſenſus ubique idem, & integer eſt: ſe lugubri veſte, & jejunio ad Deum converſum, inſultantibus hoſtibus amicum præbuiſſe, eosque velut amicos reſpexiſſe, reddendo bonum pro malo, & ſic, quod a Deo petiit, fuiſſe conſecutum. *In loco paſcuæ* (plagæ, terræ, regionis) ita uſurpat Tert. Apol. C. 22. Arnob. vel quis alius in Pſ. 22. ſtatuens eis paſtores, & paſcuas h. e. paſcua. Nares habent, & non odorabunt. Ita Ovid. *odorare aera fumo:* quamvis ſenſu altero. *In præſentiarum* Nepotis, Taciti, Plauti &c. vox tutiſſima. Cellarius Cur. poſter. p. 178. Joan. 8. 37. Græcismus: non habet locum, non capit locum ſermo meus in vobis: vos ei capiendo non eſtis idonei.

Ad Hebr. 13. 16. aliqui volunt: *placatur Deus:* al. *placetur Deo:* ſons habet: *evariſteitæ ho Theos*, h.

ad verba Hebræi textus adhæſionis, prout ab Ario Montano emendata exſtat in Polyglottis Anglicanis. e. gr. G. 1. *Et vidit Deus lucem, quod bona. Sit expanſio* (h. e. firmamentum) *in*

---

h. e. beneplacitum fit Deo, *bene afficitur Deus, delectatur.* Vel conciliatur talibus hoſtiis, operibus caritatis res fit Deo delectabilis, & placens; neque ut nomen *meriti* ex Scripturis aſſeramus, quod odioſe quidam Catholicis affinxerunt, *talibus hoſtiis promeretur Deus:* ſeu: nos Deum nobis, ut gratioſus ſit, promeremur: legimus, qui mercedis, & retributionis non tantum rem, ſed & ipſa vocabula in Originali textu frequenter habemus: ſed quod & lectio vetuſtiſſima eſt, & ſenſum apprime reddit, ut Bellarminus nihil repugnante Grotio explicat, quia proprie dicimus, unum apud alium mereri, quando quod ei valde placet, facit. Profecto ſi Deus eleemoſynis, aliiſque piis operibus delectatur, & conciliatur nobis, igitur his eum nobis demeremur, ſeu favores ejus emeremur. Quod autem paſſive efferatur, nihil habet non probabile, cum mereo, emereo active ſonent perbelle, & vulgo dicatur: gratiam emeruit. Sed & Plinius non diobolaris Autor L. 7. C. 28. ait: *quæ cannis merita corona? meritas* dent pœnas, qui verſionem de peccatu tam leviuſculo criminantur. *Beatius* eſt *magis* dare, quam accipere. Act. 20. *multo magis melius, a modo, ex tunc* pro: abhinc, ex hoc tempore, aut Græca ſunt, aut Plautina, ut: *Hoc certo magis certius: magis multo facilius: amicior magis: magis eſt dulcior.* Plau. Valerius Max. L. 3. uterque noſtrum invidia magis, quam pecunia locupletior. *Magis majores nugas egerit. Memoror* pro: recordor, ad normam Græci *mnésthénæ* dicere licuit juxta illud Horatii: *& nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi Græco fonte cadant, parce detorta.* Tert. de fuga in perſ. *ut & illius commemoremur:* ergo & Vulgatus Pſ. 88. *memorare, quæ mea eſt ſubſtantia,* ſeu ſubſiſtentia, & eſſe meum, h. e. *recordare*, dicere potuit.

in medio aquarum, & ſit dividens inter aquas ad aquas. V. 19. *reptificent aquæ reptile animæ viventis.* C. 2. 4. *Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ in creari ea: in die facere Dominus Deus terram, & cælum. Et homo non ad colendam terram. Chhavila* (Hevilath) *quod ibi aurum: & aurum terræ illius bonum: - - In die comedere te ex ea* (arbore) *moriendo morieris. Et vocavit homo* (Adam) *nomina omni animali. Cadere fecit* (immiſit) *Dominus ſoporem ſuper hominem. Ad hanc vocabitur* (huic dabitur nomen) *virago, quia ex viro ſumpta eſt. - - Et adhærebit cum uxore ſua. Et non tangetis in eam.* C. 4. *Dixit Deus ad Cain: Nonne ſi bene feceris, elevaris?* (infinit. ſeeth Hebr.) *& ſi non bene feceris, ad oſtium peccatum cubans, & ad te appetitus ejus, & tu dominaberis in eum. Et fuit in eſſe ipſos in agro, & ſurrexit Cain ad Hebel.* &c.

Si Vulgata tam inficeto ſermone, tamque denſa obſcuritate ſorderet, dici non poteſt, quibus obtrectationum ſtruicibus, & convitiorum plauſtris in eam homines ad detrahend*u*m vetuſtati maximopere intenti *(zz)* inveherentur.

 Arias

(zz) Hæc quidem ad conſervandam porro quoque eam, quæ jam per 1200. annos in Eccleſia obtinet, Vulgatæ autoritatem prolixius diſputata ſunt, ut in propatulo eſſet, novæ alicujus verſionis, quæ in locum Vulgatæ ſuccedat, & publica donetur autoritate, nullam eſſe in Eccleſia neceſſitatem. Duo tamen advertas velim. 1. Nunquam meam fuiſſe intentionem, laudabilem eorum conatum aut morari, aut vituperare, qui in variis nationum linguis uſibus privatorum vel verſionem parant, vel Vulgatæ elucidandæ breves notas adjiciunt, quod utinam & prioribus ſeculis fuiſ-

ſet

Arias Montanus hanc verſionem caſtigaturus magis depravavit, obſcuravitque, ut in proverbium ceſ-

ſet tentatum frequentius, & hodie per eos, qui a rebus operi huic neceſſariis non ſunt imparati, fieret diligentius. Sub hujus ſeculi medium Patrum Capucinorum collegium Pariſiis coaluit, cujus ſcopus erat Scripturas, quales in Archetypis ſunt, illuſtrare, ita Benedicto XIV. & Clementi XIII. conſilium iſtud placuit, ut ſocietas iſta Clementina diceretur. Quis Houbigantii, Michaëlis, aliorumque labores damnet? Quis editionem Bibliorum P. Weitenauer non probet, dum ad Vulgatam velut textum Scripturæ obſcuriores locos ex fontibus, & verſionibus antiquis compendiaria ſenſus notatione utiliter explanat? eorum tantum conatus mihi minus placet, qui, ſicut quondam funeſtiſſimarum turbarum autores Ariani novis in dies formulis fidem obſcurare, & veritatem lubricis flexibus declinare conſveverunt, ita malefida verſionum ſuarum varietate antiquam Eccleſiæ lectionem turbare, venerandam verbi Dei gravitatem quæſitis humani ſermonis floſculis, & pigmentis adſcititiis, quibus non eget, exornare volunt, & propterea verſionem in templis, ſcholisque, publicis uſibus ſervituram meditantur. 2. Me profiteri, ita quædam legi in Vulgata, ut melius, & clarius, majori cum emphaſi, faciliori quoad ſenſum intellectu, magis nativa quoad proprietatem ſermonis expreſſione transponi in Latinum potuerint. Horum aliqua meminiſſe non abs re futurum puto. Pſ. 38. 7. Ecce *menſurabiles poſuiſti dies meos!* licet ex contextu, ac ipſa voce: *menſurabilis*, breves dies pronum ſit intelligere, nihilominus clarior eſt verſio Hieronymi: Ecce breves poſuiſti dies meos: Hebræus enim habet, prout ex interpretatione Symmachi poſuit S. Chryſoſtomus: *Ecce palmares* (Heb. tephachhoth) unius tantum palmi, palmo menſurabiles *poſuiſti dies meos*. Ex immiſſo in 70. quæ primitus *palmares* habuit, errore propter affinitatem vocum Græcarum S. Aug. legit *veteres* S. Ambroſius *paleſtras* poſuiſti dies meos, quaſi in 70. aut *paleſtras*, aut *palæas*, pro-

ut

ceſſerit: gloſſa pejor textu: E. G. Gen. 14. 20. Xantes habebat: *ipſe* fuit pater inhabitantis tento-

---

ut reipſa in editione Reineccii hodienum legitur, fuiſſet poſitum, ſed indubie a *paleſte:* palmus, paleſtæas eſſe oportet. Quod ſequitur: *Et ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te:* & paſſim loco ſubſtantia melius poneretur *ſubſiſtentia.* Pſ. 68. 2. hypoſtaſis: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia h. e. non poſſum ſubſiſtere, non eſt fundamentum ſubſiſtentiæ. *In imagine pertranſit homo:* Pagninus ob polyſemiam vocis, (tzælæm) in tenebris tranſit homo, quia neſcit diem mortis: betzælæm jithhallech iſch: in umbram vadit homo, umbras captat, (non realitates) malim tamen loco *beth* ſimilimam *Caph* literam legere, vel beth eſſentiæ, aut ſimilitudinis capere, *tamquam umbra tranſit homo.* Et peccatum meum *contra me* eſt ſemper Pſ. 50. etſi latine *contra* in Vulgata belliſſime ſonat *ex adverſo*, *e regione*, lucidior tamen expreſſio Hebræi *nægdi thamid*, ex adverſo mihi eſt, jugiter oculis meis obverſatur.

Pſ. 48. 8. *Frater non redimit*, *redimet homo; non dabit Deo placationem ſuam.* Cum interrogatione legendum monet S. Baſilius; fruſtra ſpem in divitiis, aut divitibus poni, nam dum irruunt adverſa, nequidem frater eripit calamitatibus, & *alter* (Hebr. vir) homo extraneus redimet? nihil minus; vel ſuppreſſa per ellipſim repeti debet negatio, moris enim eſt ſemel poni in prima parte negationem, in altera dein ſubintelligi, ſic Pſ. 48. 19. *Et non receſſit retro cor noſtrum, & non declinaſti* (ſiviſti declinari *non* deeſt in Hebr.) *ſemitas noſtras a via tua;* Hieronymus: *Et non declinaverunt ſemitæ noſtræ a via tua:* ſi *non* excludas, ſenſus eſſe poterit: Deum eorum ſemitas avertiſſe a via gratiæ, nolentem tunc ſuccurrere, quoniam humiliavit eos in loco afflictionis. Hebræus Pſ. 48. 8. fert: *frater non redimendo redimet*, h. e. penitus utique non redimet, homo non dabit Deo placationem: geminum huic eſt tritum vetuſtate Arabum proverbium: *Frater non eſt fratri ſuo* nempe auxilio (al achhu má huve li achhihi) fidunt illi in

torium, & pecudis. Arias reddidit: *ipſe fuit pater ſedentis tentorium, & poſſeſſionis.* Inter Lu-

in opibus, ubi tamen nec frater fratrem poteſt liberare, nec Deo pretium ejus redimendi poteſt offerre.

Pſ. 108. 23. *Genua mea infirmata ſunt a jejunio: & caro mea immutata eſt propter oleum. mem* litera varia denotat, hic potius *ab* oleo. Hebr. beſcari Chachhaſch miſchſchæmæn. Caro mea mentita eſt h. e. defecit ab oleo, ſeu pinguedine, oleum, & pinguedo, ſicut in ſe idem ſunt, ita in Hebræo alternis permutantur; *mentiri*, ſperato effectu fruſtrari Habac. 3. mentietur opus olivæ. Caro mea emaciata, & ſpoliata eſt omni pignedine; a ſtatu pinguedinis ad maciem tranſiit, & ſic mutata eſt propter defectum olei h. e. propter amiſſam pinguedinem. Pſ. 91. 14. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi: *bene patientes erunt*, ut annuncient, quoniam rectus Dominus. h. e. fructus ferent etiam in ſenecta, quæ ipſis obtinget vegeta, ſucculenta, *uber*, ſeu fructificans, viridis. *Bene affecti* erunt, etiam ſi ætate ſenes, corpore validi, ut etiam adverſa perpeti, ſi occurrant, poſſint. Hieronymus vertit: fructificabunt in ſenectute: pingues, & frondentes. Nam *deſchenim* h. e. pingues junxit ſequenti ſtrophæ, 70. vero junxerunt præcedenti. Græcum *eupathein* verbum de verbo exprimendo *bene pati*, ſignificat ab alio affici beneficio: in bonis rebus erunt, florebunt, proſpere agent. V. 11. Senectus mea in miſericordia *uberi; eleo: miſericordia*, vel legentes, vel ita ſonare audientes, miſericordiam interpretati ſunt; vera lectio eſt non per *e* ſimplex, ſed per diphthongum, *in Oleo copioſo*, uberi h. e Græce *pioni*, pingui. Hebr. *ſeneſcere meum* ſive ſenectus mea *in oleo*, h. e. pinguedine *recenti erit*, ſi a *balah* inveteraſcere placet derivare; ſi, ut hodie punctatur, & immiſſo Dageſch gravatur, legas, vertitur: perfuſus, delibutus ſum oleo recenti, & vigore ætatis polleo, & in ſignum lætitiæ me perungo; in contextu durabilis etiam vigore ſenii piorum felicitas caducæ, & inſtabili vitæ impiorum opponitur. Suſpicari licet 70. legiſſe loco *beth: Caph* ſi-

Lutheranos Sebaſtianus Schmidius Argentorati 40. annorum meditatione Latinam verſionem, poſt

---

ſimillimam literam: *chalachhi*, quod citra dubium valet ſenium meum.

Pſ. 101. 15. Jam miſerearis o Deus! Sionis, ædificari eam cultores tui deſiderant, non ſine commiſeratione recogitant, eam in pulveres redactam, afflictæ recordantur, quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus, (ideo illi) *& terræ ejus miſerebuntur:* pii illi ſervi tui terræ Sionis tam afflictæ miſerebuntur. Loco *terræ*, quod eſt in caſu gignendi, in Hebr. & 70. eſt *pulvis* h. e. deſolatus ſtatus.

Pſ. 86. 5. *nunquid Sion dicet? homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam altiſſimus.* Hebræus habet: Sioni dicetur: vel de Sione narrabitur, ſi ſecundum puncta legas: *le Tzijon jeammer:* ſi legas cum 70. *jomer*, erit dicet: & primum *homo* poterit referri ad *dicet:* alterum ad *natus eſt in ea:* Sioni, ſeu de Sione homo *quivis* narrabit: quod, ſeu quia homo ille ſingularis Chriſtus ſpecialiter in ea eſt conſtitutus, eique natus. Et hæc eſt vera interpunctio, & lectio ait Bellarminus: quod ego non puto; To & ſumit vir venerabilis pro *zain;* melius *homo, & homo*, id eſt: plurimi, & diverſi generis homines in ipſa, velut ſi in eadem nati fuiſſent, jure civitatis gaudebunt. Loco *vav* 70. *he* legiſſe putant nonnulli, nam *ha* eſt ſignum interrogationis (ut Hungaris) *nunquid?* ſeu Græcè: *meti?* quæ vera 70. viralis lectio eſt, error vero tardius in Græcum textum docente Hieronymo invectus métér, mater, Sion dicet: quaſi metropolis Sion dicet. (de ſe ipſa) Error, ſed, qui ſenſum non immutat, tam univerſalis, ut teſte Calmeto, in omnibus, qui ſuperſunt, codicibus apud omnes Græcos, Latinosque Patres, vetuſtaque pſalteria Syriaca, Arabica, Æthiopica, Latina legatur. Apollinaris pſalterium Græcis Carminibus elucubratus canit. *métera timéeſſan anér Sióna kaleſſei.* Matrem honorabilem vir (omnis) Sionem vocitabit.

Pſ. 111. *Beatus vir, qui timet* (reveretur) *Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Nimis* non ponitur

poſt mortem ejus an. 1697. Argent. editam adornavit, ſed mox Socienni obſcuritatem, barbariem,

---

tur in vitio. Hebr. meyod valde; intenſè. *Volet* Hebr. *Chhaphetz* voluptatem ſentiet, mandatis ejus delectabitur, animi contentum, & voluptatem in iis obſervandis conſtituit. Voluntas namque, & voluntariè, ac verbum volo, Vulgato ita uſurpatur, ut ſenſum faciat oblectationis. Pſ. 1. in lege Domini voluntas ejus. *Chhæphtzo*, delectatio. Sic Deus dicitur non velle iniquitatem, ſeu: non bene ad eam affici, in eam non ferri.

Pſ. 118. 104. a mandatis tuis *intellexi*, *æthbhonan*, eruditus ſum, Sapientiam ex eis didici. Longe clarius verteretur.

Pſ. 110. 2. *magna opera Domini*, *exquiſita in omnes voluntates ejus.* Unus iſte eſt Pſalmus etiam ſecundum hodiernum textum Hebraicum obſervante etiam Hieronymo perfectè Acroſtichus, ſeu Alphabeticus; ſingula enim hemiſtichia, quaſi jambi quidam verſiculi ſingulis ordine ſuo alphabeti literis diſtingvuntur. Vulgatæ ſenſus foret: exquiſita, & accomodata ſunt opera Dei ad omnem Dei voluptatem, producta, ſeu effecta Dei talia ſunt, ut ejus voluntati perfectè reſpondeant, digna, quibus Deus ipſe delectetur. Melius ex Hebræo: exquiruntur, verſantur animo ab iis, qui delectantur illis. Vel: *exquiribilia*, *& cognoſcibilia ſunt omnibus illis*, *qui afficiuntur iisdem.* Nolo cum Rabbinis punctare chhæphtzæhem, ſed chhophtzehem, ut non ſubſtantivum ſit, verum participium præſens, ſeu Benoni cum Chaldæo, & Syro ferentibus: magna opera Domini, exquiſita, animo verſata omnibus, qui amant illa. Confeſſione, ſeu laudum encomiis dignum, & magnificum eſt omne ejus (Dei) opus, bonitas ejus æternum permanet. *Stabilia* (fidelia) omnia ejus mandata, omnes ejus diſpoſitiones: opera manuum ejus veritas, & judicium: *quod facit ipſe*, *rectum eſt*, *& ſtabile*, (ideoque) confitebor tibi Domine in toto corde meo: toto corde laudabo te, laudem dicam tibi.

Unam

riem, ridiculam idiotiſmorum ex Hebræo in Latinum transfuſionem ipſi vitio dederunt. e. gr. Dum

Unam petii á Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ Pſ. 26. 4. *hæc facta eſt mihi, quia juſtificationes tuas exquiſivi.* præſtabat neutro genere vertere, cujus vices gerit Hebræum fæmininum, cum neutro illi careant, ut & ceteri Orientales, qui dialectis Hebraicæ linguæ utuntur, quod ipſum de Punica lingua Auguſtinus teſtatur. Sed verum eſt, hoc ſponte a quovis intelligi, ac, poſtquam a 70. genus retentum eſt, etiam in N. Tto aſſumi: Matth. 21. 42. a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris; placuit in Græco transferre: a Domino facta eſt *iſta* havté, & eſt *mirabilis* thavmaſté in oculis noſtris.

Illud quoque *forte* Græcè *an* in multis locis clarius *utique* poneretur, neque enim ſemper eſt dubitantis, ſed aſſeverantis. *Forte* in cinere, & cilicio pænitentiam egiſſent, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, o Capharnaum! *forte* manſiſſent usque in hanc diem. *an* vel nihil addit, vel *utique* valet. Manſiſſent, vel; *utique* manſiſſent. Quamquam Vulgati To *forte* non ad Dei cognitionem, quæ cum conjecturalis eſſe nequeat, certiſſimum intuetur, ſed ad indicandam arbitrii humani libertatem, & difficultatem præſtandi boni ſalutaris in obduratis, additum cenſeri queat. Si Moyſi crederetis, crederetis forſitan & mihi, ille enim (in Typis tot ſacrificiorum) de me ſcripſit.

Pſ. 40. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem;* loco *qui intelligit* Hebræus offert *maſchchil*, qui prudenter, & ſcitè ſe gerit, ut juxta Deum decet, circa attenuatum (opibus) adeoque qui curat pauperem, practicè ſciens, & apprehendens ejus ſortem. Qui curat, ejusque miſeretur, ſicut Apollinaris canit: *olbios, hos ptóchú perikédetæ, éde penichrú.* To: *in finem* ut 70. habent clarius redderetur in nonnullis locis: *in perpetuum*, in æternum; Nætzachh polyſemum inter alia valet *æternum*, finem rurſus, ac victoriam. Pſ. 9. 7. inimici id eſt: inimicorum,

Dum Gen. 31. 31. loco: a me, ponit: a mecum: loco Vulgatæ 4. Reg. 8. 20. *receſſit Edom*, *ne*
eſſet

---

rum, (caſu gignendi) defecerunt frameæ *in finem* Hebr. la nætzachh, penitus, & in ſempiternum, totaliter, v. 19. non *in finem oblivio erit pauperis*, *patientia pauperum* (*non*) *peribit in finem*. Solent Hebræi ſemel poſitam expreſſè inficialem particulam in ſequenti antiſticho ſubaudire: & humilis ærumnarum perpeſſio, & animus æquabili conſtantia in adverſis ſpe Divinæ protectionis perſeverans, *non in æternum* Hebr. hic layed, ſine conſolatione, & retributione erit. Pſ. 43. 23. ne repellas in finem, ſive ſemper. Pſ. 12. 2. usquequo obliviſceris me in finem? adeo totaliter, & penitus? deſtruet te in finem h. e. totaliter.

Ut aliquid ex duobus Pſalmis ſummè impeditis, quorum apertiore ſenſu hactenus caremus, adferam: Pſ. 67. 15. cujus translationem in Vulgata a tot viris etiam ſolide literatis reprehendi video, *ſi dormiatis inter medios Cleros* & cet. deſertâ, quia compendiô exhiberi vix poteſt, literâ, quam Calmetus ceteris felicius eruit, ſolum indico ſenſum, ædificationi morum idoneum: in propaganda fide Dominus *dabit* Evangelium prædicantibus *verba*, quibus perſvadeant homines, potentiâ multa, & mirabili, ille Rex exercituum ſui dilectiſſimi filii *dabit ſpecioſiſſimæ* decore virtutum *domui* id eſt: Eccleſiæ, ut conſequatur, & dividat ſibi ex gentibus ſpolia, eas aggregando in populum fidelem; ſed hoc conditionate: *ſi* videlicet *dormiatis*: id eſt: pacifice, quiete habitetis, & commoremini intra terminos hæreditatis veſtræ; in hac vita, in qua cæleſtem intra, & terrenam hæreditatem velut in medio conſtituti ex hac in illam tendimus. Si in hac vita vos Paſtores, & fideles ſine læſione aliorum in caritate vivatis, Eccleſia, quæ columbæ comparatur Cant. 2. 10. & 6. 8. erit tam ornata *morum candore*, & velut auro circumdata *caritate ardente*, ſicut columba mitis, & pacifica coloris eſt albi (in Paleſtina) & argentei, cujus dein cauda deſinit in pretioſiſſimum colorem rutilantis auri; dum alios in-
fide-

eſſet ſub Juda: Defecit Edom a manu Jehudæ. Gen. 4. 15. poſuit Jehova Caino miraculum. Job. 19.

N n

fideles Reges, qui ſunt contra Eccleſiam, omnipotens, & diſpergit. Vel: dum Apoſtolos, Rectores, ſeu Reges Eccleſiæ Pſ. 44. 17. Chriſtus diſtribuit ſuper Eccleſiam, fideles virtutum decore, quaſi nive dealbabuntur, & velut (in Selmon) in umbra quietè agent, felicesque erunt.

Pſ. 138. *imperfectum meum viderunt oculi tui*, me adhuc in utero matris nondum perfectè formatum vel: ex Arabica ſignificatione: dum carne nondum veſtitus eram, dum adhuc embryo eſſem, jam oculi tui, me aliorum oculis nondum expoſitum, viderunt, quia (v. 4. & reliqq.) tu omnia etiam maxime abdita cognitione penetras, nec cogitatio, nec ſermo eſt ullus in lingua humanâ, quam non comprehenſive noſſes. v. 12. nec tenebræ ſunt apud te tenebræ, adeoque nihil obſtant viſioni tuæ, nox eſt tibi ſicut dies, quæ tamen mortalium viſui eſt impedimento, relatè ad te, tenebræ, & lumen idem ſunt, ideo *mirabilior eſt ſcientia tua, quam ut ego eam poſſim capere, & ideo non potero ad eam pertingere.* v. 15. nec oſſa mea tibi ſunt occulta, nec mei corporis ſubſtantia deliteſcens (*in inferioribus terræ*) in utero matris; me adhuc embryonem comtemplatus es, dies, quibus membra mea formanda erant, tibi cogniti fuère, in libro cognitionis tuæ ne unus quidem ex iis diebus tibi fuit non conſignatus.

Vocum obſcuritas, & polyſemia plures inſuper admittit ſenſus: *vav* loco hodierni *reſch* 70. viderunt, quorum non eſt inepta verſio: *ſubſtantia mea:* cum reſch *rükkamthi* loco *vekomathi:* vidiſti me, dum adhuc velut acu Phrygia variegarer, mirisque membra mea ductibus velut pingerentur in utero matris. Ita Hebr.

Syrus, & Arabs Rom. edit. metatheſi *gomli* loco *golmi* legentes erroneè fecunt loco: *imperfectum, meum: retributionem meam.* Epiphanius Hebraicè bene doctus (pag. 18.) Hær. 30. *golæm.* etiam ſimilaginis granum, quod nondum in panem coaluit, & ſubactum eſt, notare ſcribit. Hebræi poſt Aquilam

aka-

19. 25. vividiſſimam futuræ reſurrectionis deſcriptionem hac translatione obtenebrat: Etiam ego novi

---

akatergaſton, *impræparatum*, Symmachus *amorphóton* informe exponunt, omnes proin quoad rem idem ſentiunt.

Non omnis clarius verteretur *nullus*: non fecit taliter omni nationi, id eſt: alicui nationi ex omnibus, ſeu nulli nationi fecit ſic. Non minuentur omni bono: nullo deſtituentur bono. Paſſim *timor Dei*, ſeu: jehovæ, quod nomen Vulgatus poſt 70. & Apoſtolos reddit *Dominus*, ſignificantius ſonat *reverentia*, beatus vir, qui *reveretur* jehovam, *initium* moralis, & quoad vitæ ſanctimoniam ſpectatæ *ſapientiæ reverentia eſt jehovæ*. Timore ſervili Scriptura V. Tti homines ad officium reducit, non tamen eum paſſim *timoris vocabulo* exprimit, reverentiam docet, quæ ex Majeſtate Dei, & perfectionibus ejus, fide apprehenſis vix unquam ſine aliqua ejus æſtimatione, & amore naſcitur.

Pſ. 17. 27. *cum ſancto ſanctus eris, & cum innocente innocens eris.* Ex Hebræo patet, non qualis per mutationem ex converſatione contrahendam futurus quispiam ſit, indicari, cum ibi ſui in ſe actio exprimatur. Deum alloquitur: verſu præcedente: tu retribuis unicuique ſecundum opera ſua: ſubdit: cum ſancto te exhibes ſanctum, cum *chhaſid* benigno, te quoque exhibes benignum: *yim chhaſid hithchhaſſed*, *yim ghebhar thammim hiththammam*, & cum innocente viro, te pariter præbes innocentem: (*yikkeſch thithphaththel:*) cum violento luctaris, te contra ponendo, donec eum deviceris; diſtorto te quoque diſtortum exhibebis, ut olim Pharaoni, reddes ei ſecundum vias ejus diſtortas, & malas. Perverſè ages cum perverſo: id eſt: ea facies, quæ perverſi aliis inferre ſolent, non bona, ſed mala tali retribuis. Nihil certius eo, amicitiam, &, ut vulgo dicitur, converſationem aut invenire moribus jam ſimiles, aut facere, ſed loco iſto non agitur de conſectariis ſocietatis initæ cum probis, aut improbis.

Pſ.

novi redemptorem meum, quod vivat; & poſtremum quod ſuper pulverem ſurgat. Non ca-

ruit

Pſ. 33. 3. *in Domino laudabitur anima mea:* ba-Adonaj thithhallel naphſchi: eſt in hithpael, conjugatione reciprocam ſui in ſe actionem ſignificante: anima mea id eſt: ego ipſe, mea perſona *ſe laudabit*, celebrabit, gloriabitur, animi ſui contentum, & requiem habebit, ſentiet ſe in Domino magnificum quid conſecutum, quod eſt gloriari in Domino.

Patet horum multa clarius, & ſignificantius Latino ſermone efferri potuiſſe, eo autem pertinere, quo oſtendatur, utiliſſimum eſſe ad fontes multis in caſibus recurſum, ut genuina, textuum ſententia planius & plenius intelligatur, prout ultima ſectione uberius declarabitur.

Præterea ſciendum, Vulgatum noſtrum voces quaspiam ſignificatione hodie non uſitatâ, ſed probata veteribus accipere: Angelus ad Petrum e-carcere liberandum ait Act. 12. 8. *calcea te caligas tuas*. Gen. 14. 23. victor reverſus Abraham a cæde, & præda Chodorlahomor, aliorumve Regum, quos vicerat in valle Save, dixit Regi Sodomorum: *a filo ſubtegminis usque ad corrigiam caligæ* ſe nec quidquam accepturum ab ipſo, ne dicat poſtmodum: ego ditavi Abrahamum. Id eſt: a capite ad calcem, ut ſenſum Latini exprimunt, ſeu prorſus nihil, ſe accepturum. *caligæ* calcei erant claſſicis authoribus, in ſpecie militares, unde Græcè ſtratiótika hypodémata dicuntur, quo de geſtamine Cajus Tiberii nepos *caligula* eſt appellatus; poſterioris ævi eſt hodierna ſignificatio, quâ latiores, laxioresque caligæ Hieronymo *follicantes* vocantur.

Sap. 4. 3. *multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & ſpuria vitulamina, non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.* Tenellas vivas radices, ſtolones transplantare, *moſchevein*, & to: *enryzon phyton*, ramum propaginem teneram cum radice ſua *moſchevma*, de verbo transferendo, a *moſchos* vitulus, *vitulamen* Græci appellant, Vulgatus itaque ſibi eodem ſignificatu ex *vitulus*

ruit tamen laudatoribus, an. 1708. correctior prodiit a Theologis Argentoratenſibus, repetita de-

---

lus efformavit *vitulamen*, quod bene explicat Auguſtinus L. 2. de Doctr. Chr. C. 12. cui voci ex Græco non ſatis bene efficta, prout idem ſanctus vir obſervat, populi adeo aſſveverunt, dediſcere ut non poſſent, nec produci facilie codicem, qui illa caruiſſet. Aliqui tamen codices, quibus Bonaventura, Lyranus, Hugo, aliique uſi ſunt, aptiorem, clarioremque expreſſionem ferebant: *adulterinæ plantationes.*

Vituli ſaltitantes lætitiam ſuam oſtendunt per in comptos luſus, ex quo *vitulari* dictum eſt pro: *lætari*, & luxuriari, cumque arbores vim ſuam, & quamdam, ut ita dicam, abundantem luxuriem protendant, propagines, & novos ſurculos ex radice ſine certa regula pariendo, hujusmodi fætus primo Græcis *moſchevmata*, deinde Latinis ſimili derivatione dicta ſunt *vitulamina*, & alio modo, quaſi ſtolida e radicibus fructificatio *ſtolones*. Senſus eſt: ſpurii fætus non ſunt durabiles: ſicut propagines, vel plantæ ſolo inimico, quæ lege naturæ non ſunt illuc ordinatæ, immiſſæ pereunt, ita proles natæ ex adulterio, vel alio illegitimo commercio infelices erunt, nec talis familia ætatem feret.

Cant. 3. 9. *ferculum ſibi fecit Salomon de lignis Libani*, - - - media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem. 70. *phoréion* ponunt, quod vehiculum, lecticam, ſellam, veſtemque notare poteſt. In Hebræo *Appirjon*, ſeu aphiron, aut vehiculi celerioris eſt genus, aut thalamus. De palatio, aut throno cogitant alii. Sellam geſtatoriam, qua ſponſa in ſponſi domum deducenda erat, malunt complures: ego ex deſcriptione ejus, contextu, & radice *parah* fæcundus fuit, fructificavit, quaſi fructificandi locum, in telligo lectum genialem. Notat Hierónymus nomen meſcura, nuge & aphirjon, ſeu phoréion idem in Hebræo, quod in Latino deſignare. Homines ab antiqua latinitate imparati extemplo de Sybariticis menſis cogitant, *Ferculum* Ciceroni, & Livio non tan-

demum hæc translatio in Germania adjecto ad latus textu Hebraico. Nihil adferam de Joan.

---

tantum eſt eſca. L. 1. decad. 1. â ferendo dicitur, nempe Spolia a devictis hoſtibus erepta ſuſpenſa erant in ferculo, quod erat *laphyron*. Geſtamina, & machinas illas, quæ ferebantur in triumphali pompa, notat; tale ferculum fuit in triumpho Cæſaris, in quo ſcriptum erat: veni, vidi vici; Sveton. C. 37. *Inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum*. Medium lecti hujus, de quo in canticis ſermo, dilectiſſimæ ſuæ conthorali, quæ ipſi amatiſſima fuit inter filias Jeruſalem, deſtinavit Salomon, qui, cum uxores alias haberet de filiabus Jeruſalem, in Pharaonis Regis Ægypti filiam ſpeciali amore ferebatur, cujus nuptiæ cantico conjunctionem electi populi cum Deo deſcribendi occaſionem dedêre. Vel: pars media, & interiora hujus thalami lapillis pretioſis ornata erant; *caritate* conſtrata: id eſt: lapillis amorem ſui, & æſtimationem ſpectatori ingenerantibus. Vel: ipſi lapides *caritas* id eſt: res pretioſiſſima, Salomoni cariſſima vocantur. nec alius ſuccurrit literæ ſenſus.

Humilitas in Pſalmis plerumque non virtus moralis eſt, qua quis de ſe modeſte ſentit, ſed ſtatus abjectior, miſer, & infelix; & ita capi oportere in Cantico *Magnificat* heterodoxi obſervant, non reluctante Corn. a Lap. *quia reſpexit abjectiorem ſortem ancillæ ſuæ*, quod tamen ex Græca voce inefficaciter, & minus ſolide ſtatuunt, quia eadem vox ſæpius uſurpatur pro ipſa virtute morali Matth. 11. 29. Jac. 4. 6. 1. Petr. 5. 5. *Revereor* Vulgato eſt pudeſio, *reverentia* pudor, adjuncta ſæpius voce æquipollente *confuſio*, Pſ. 34. 26. & 68. 20. Eccli. 41. 20. *non eſt bonum omnem reverentiam* (h. e. erubeſcentiam ubique) *obſervare*; non debet homo pudefieri in bonis rebus. 1. Cor. 15. 34. ad reverentiam (confuſionem) vobis loquor, ad Hebr. 5. 7. Chriſtus exauditus eſt pro *ſua* (deeſt in Græco *ſua*) *reverentia* h. e. ob reverentiam, qua Patrem ipſe proſequebatur, pro ſua erga Patrem ſuum cæleſtem obſervantia; al. propter ſuam in ſupplicando pietatem; propter ſuam digni-

Leusdeni deſumpta ab Aria Montano N. Tti verſione, *cum me*, *cum te*, *cum vobis* ſum usque ad

---

tatem, & excellentiam. al. liberatus eſt a metu; Anglica verſio: exaudiebatur in eo, quod timebat: al. exauditus eſt a reverentia h. e. a Patre, qui eſt ſumme reverendus, Græca vox *eulabeia* valde extenſæ ſignificationis eſt. *Cremium*, a cremo, uro, eſt omne, quod aridum, & facile inflammabile: *oſſa mea ſicut cremium aruerunt* Pſ. 101. 4. aliis eſt, quod in frixorio, vel ſartagine crematur, ut caro, Græc. *phrygo* eſt torreo, vetus Pſalterium: oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt. Heb. *moked* a *jakad* uſſit, exarſit, focus, ardor, aridus, ambuſtus locus eſt, occurrens hic, & Iſa. 33. 14. Pſ. 77. 76. ædificavit ſibi *unicornium*, Græc. monokeratón, *ſanctificium ſuum in terra*, *unicornium* eſt genit. plur. ab *unicornis* animal, ſicut cornu monocerotis omnium, quæ noſcuntur, pulcerrimum eſt, ac firmiſſimum: ita templum Jeroſolymitanum in regione Judææ eſt pulcerrimum, a Deo electum Sanctuarium. Hebr. *Chemo ramim: velut excelſa*, ſed 70. legerunt *chemo reemim: ſicut monocerotes*, vel ſicut cornua unicornium: ſine dubio hæc eſt vera lectio, inquit Bellarminus. Myrrha *electa*, h. e. eximia, optima, ſponte, non per inciſionem e ſua fluens arbore, Eccleſii 24. 20. Paliurus, h. e. ſpina. Eccleſi. 24. 40. Sapientia a Deo nobis communicata ſe in varios quaſi ramos, aut velut egreſſi e Paradiſo fluvii, in varios alveos diffundit *quaſi fluvii dioryx*, dioryx (a diorytto perfodio) fovea eſt ad modum canalis ad derivandas aquas e flumine in campos. *Auditio* eſt fama, ſparſus rumor, *ab auditione mala non timebit. Quis credidit auditui noſtro?* veritati, quam a Deo audivimus, rumori de Chriſto a nobis ad audiendum ſparſo? *Cuſtodia* Act. 27. 42. bene Latinum eſt, pro hominibus reis, & vinctis apud Svet. in Domitiano. Paulus Juris conſultus: ſi cuſtodia ſe interfecerit, vel præcipitaverit, militis culpæ adſcribitur. Seneca: eadem catena cuſtodiam, & militem copulat. Rom. 12. 19. non vosmet ipſos *defendentes* h. e. ulciſcentes,

ad conſumationem ſeculi. Sane, niſi ratio peculiaris adeſſet viros iſtos excuſandi, qua indu-

cti

tes *adikuntes* injuriam inferendo tuentes. Tertull. L. 2. contra Marcio. Durum videbatur populo a Deo expectare *defenſam* (vindictam) edicendam poſtea per Prophetam: mihi *defenſam*, & ego defendam. Job. 11. 28. *defoſſus* h. e. ex foſſa erutus, de foſſa exemptus; *malitia* eſt non moralis, ſed phyſica, ærumna, calamitas, moleſtia, vitioſitas, ſufficit diei, quæ ei adnaſci ſolet, moleſtia, malum occurrens, Hier. in C. 2. Joel. „ malitiam in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, ſed afflictionem juxta illud, quod alibi legimus. (Matth. 6.) ſufficit diei malitia „ kakia non kakóſis. *Tragelaphus* non fictitius hircocervus, licet Græca vox idem ſonet, ſed mundum, proin per legem edi permiſſum animal eſt, barba, & armorum villoſitate hircum, reliquo corpore cervum referens Deut. 14. 5. ab Ariſtotele vocatur *hippelaphus*, quod, cum cervo ſit ſimilis, juba tamen equum referat, *akko* Hebr. familiare animal eſt in Arabia, Plinius ſcribit in locis ad Phaſidem fluvium inveniri, barba, & ſetarum magnitudine a cervo differre. Pſ. 72. 18. *propter dolos*, quibus nrga proximos ſuos uſi ſunt, alios dolos *poſuiſti eis*, vel in lubrico, loco fallenti poſuiſti eos, dejeciſti eos in interitum, ut vertit Hier. vel penes dolos h. e. in loco periculoſo poſuiſti eorum commorationem. *Reliquiæ* ſunt homini pacifico h. e. habet ſucceſſores, relinquit proles poſt ſe, e contra reliquiæ h. e. poſteritas impiorum peribunt. *Sagma* ſella equitantis, ephippium Lev. 15. 9. *Sanabilis* h. e. Salutaris, conducens Sap. 1. 14. ad Hebr. 9. 1. Sanctum *ſeculare* h. e non æternum, ſed tantum ad certum tempus durans. *Tineo* ſicut doceo, a tineis contabeſco, corrumpor Baruch 6. 71. Ne quando taceas a me h. e. ne quando fors non exaudias me. *Thyia* arbor vitiis arborum reſiſtens, thyina ligna non facile carie, vel putredine corruptibilia. Lingua *tertia* h. e. ſuſurro inter duos amicos diſcordiam creans, detrahens. Teſtamentum h. e. fœdus diſponere cum

ger-

cti puerilem ejuſmodi translationem pararunt, omnes ineptiarum numeros impleviſſe jure merito dicerentur.

Quar-

gentibus ſeu ethnicis Mach. 1. 1. 12. ponens in theſauris h. e. ſubterraneis hydrophylaciis abyſſos h. e. immenſam aquarum profunditatem. Sentite de Deo in bonitate h. e. bene, præclare, cum accepero tempus, ego *juſtitias* h. e. juſte, juſtiſſime judicabo, ſecundum juſtitiam. *Trieris* h. e triremis. *trico*, tricare, moras nectere, impedimenta ponere. *Cluſores* 4. Reg. 24. 14. qui gemmas artificioſe annulis includunt, vel qui in bello caſtrametandi arte valentes alios aggeribus, & clauſtris includunt, vel fabri ferrarii, vel cæmentarii vulgo murarii Hebr. *masgerim*, qui muro ſpatium claudunt. *Vermiculus* h. e. per metonym. purpureus col r. *virga directionis* h. e. ſceptrum rectitudini adminiſtrandæ, æquitati conſtituendæ deſtinatum eſt ſceptrum tui regiminis; non ſalvatur Rex *per multam virtutem* h. e. per copioſum exercitum militarem. Pſ. 48. 12. vocaverunt nomina ſua in terris ſuis: terras ſuæ ditionis de ſuo nomine appellaverunt, ut vulgo fit. Complacitior h. e. placatior, magis placatus Pſ. 34. 14. *Cartallus* caniſtrum Jer. 6. 9. Caſidile Tob. 8. 2. Cattæ h. e. feles Bar. 6. 21. Non ceperunt in ea Thren. 4. 6. h. e. eam. *Capparis* h. e. appetitus venereorum vel cibi. Dederunt caput 2. Esdr. 9. 17. h. e. ſe obfirmaverunt. cervicatus h. e. pertinax, cervicoſus. Pſ. 28. 9. vox Domini ſeu fulmen præparans h. e. ad partum accelerandum diſponens *cervos* h. e. cervas, ſicut e contra boves in Bibliis vaccæ ſunt. *Cidaris* capitis tegumentum ad ornatum, vel faſcia capiti obvoluta Arab. *dulband*, vulg. turbant. Pſ. 75. 11. cogitatio hominis confitebitur tibi h. e. irati Aſſyriorum Regis iniqua machinatio, dum una nocte eum proſternes, laudem tibi dabit, ſeu indirecte cedet eorum malitia in laudem tibi, etiam reſiduos eorum quieſcere facies, ut proin ocientur, nec tibi negotium poſſint faceſſere. Pſ. 28. 9. *vox Domini revelabit* denudabit ſilvarum *condenſa* nempe fulminis ictus.

Com-

Quarto.

Philoſophis, Juris conſultis, opificibus, nova pro ſe vocabula excogitare, aut jam inventis no-

Nn 5 vam

Communicare h. e. commaculare, commune, ſeu immundum facere. Marc. 7. 15.

Spiritus *compunctionis* h. e. non pænitentiæ, potius pertinaciæ, & perverſitatis cordis Iſa. 6. 10. & 29. 10. Rom. 11. 8. Act. 2. 37. Hebr. *thardemah*, profundus in malo ſomnus, Græc. 70. & N. T. *katanyxis*, (nyſſo, pungo, ex crebris punctionibus velut nihil ſentientes, nullum remorſum conſcientiæ) fors a *nyx* nox, quaſi de induſtria formatum *katanyſſo: obtenebro*, ex contextu &c. Pſ. 118. 96. *omnis conſummationis vidi finem* h. e. *omnis perfectionis:* nihil omni ex parte perfectum, habet limitem, & interitum, tantum tui mandati obſervatio trahit poſt ſe latiſſimum, infinitum præmium. Hebr. lechol thichla raithi ketz, rechhabah mitzvathecha meod: omnis *ſpei* potius a *thachal* apud Caſtell. Lexic. Heptagl. ſi a *chalah* perfecit, tum *perfectionis*; extra Deum omnis ſpes finita, incerta, limitata. Al. omnes anguſtias, omnia mala, & finale exitium ſum expertus, gaudium latitudinem cordis in ſolo tuo mandato obſervando inveni; Dei mandatum latum eſt cauſaliter, dum in preſſuris conſolatur, adeoque dilatat cor pîorum. *Non eſt creditus cum Deo Spiritus ejus* Pſ. 77. 8. Hebr. nææman. h. e. fidelis Deo non permanſit Spiritus ejus. *Diſcoctus* bene, ſerio excoctus; *de diſcubitu in panibus* h. e. in convivatione. *Doma* h. e. tectum. Job. 24. 10. eſurientibus tulerunt ſpicas h. e. abſtulerunt ab iis. *Gaudimonium* h. e. exaltantis ſe lætitia Bar. 4. 34. Ante langvorem humilia te. Eccli. 18. 21. h. e. antequam incipias infirmari, ſeu dum morbo prætentaris, jejunes; *yanah* humiliare ſe Hebr. eſt jejunare. *Janthinus* eſt violaceus. *Implano* h. e. decipio, *planus* impoſtor. Pſ. 11. 5. *labia noſtra a nobis ſunt*, ſeu ſtant, faciunt a nobis, pugnant pro nobis, neminem habemus timere, poſſumus libere loqui, ſicut volumus, *quis noſter Dominus eſt?* in avibus ludere h. e. aves capere, aucu-

vam, & inſolitam flexionem addere, *technicos* invehere *terminos*, uſu probare, civitate donare licet. Et minor erit Eccleſiæ poteſtas ad res fidei,

---

cupari Bar. 3. 17. magnificavit, ut faceret h. e. magnifice fecit. *Meditor* h. e. meletao gr. *gemo*, ut columba. *Occidet ſol in meridie* Amos 8. 9. in media felicitate repente miſeria ſuperveniet. *Migma* pabulum mixtum; *militia cæli* ſtellæ ordine ſuo poſitæ. *mortifico* non vexo, ſed occido, ad mortem deduco. Sapientia nomen habet theſauri Eccli. 6. 23. forte: *Sophia* nomen habet *Saphan* ſeu *tzaphan* abditi, latet, non facile eruitur. Iſai. 22. 6. *parietem nudavit* (reliquit nudum, non tegit amplius) *gladius*, h. e. tempus belli eſt. Creagra h. e. fuſcinula. *Parabolæ* h. e. ſapienter dicta apophthegmata. *Pittacium*, veſtis plicatura Joſ. 9. 5. *burdo* mulus, 4. Reg. 5. 17. juxta illud: burdonem producit equus conjunctus aſellæ, procreat & mulum junctus aſellus equæ. Diction. Hungar. reddit: talitska, al. muſicum inſtrumentum. Pſ. 67. 16. mons coagulatus, mons pinguis, ut quid ſuſpicamini montes coagulatos? vertitur ab aliis: mons celſitudinum: ut quid invidetis montes multorum collium. Hebr. *ritztsed* (theratztzedun) *mons Dei*, *mons pinguis* Hebr. *Baſchan* har gabnünnim h. e. mons ob varios vertices gibboſus (gebhina caſeus ob altitudinem ſuam, & velut gibboſitatem, inde alii *caſeatos* montes vertunt *hithgabben* Syr. & Arab. eſt coagulari) optime verteris: *montes celſitudine collium gibboſi* (*in Nominat. non in accus.*) *ut quid* (inſidioſe oſervatis Gen. 3. 15. Arab. vel potius) *invidetis monti minori hanc gloriam?* nivalia montana Baſanitidis, quid invide deſpicitis montem, quem Deus elegit in domicilium, jahvo inhabitabit eum in perpetuum. Tharg. *ritztzed* ſumit pro: exilitis, exultatis: ut quid exilitis montes gibboſi? Pſ. 115. *Ego dixi in exceſſu meo* Hebr. *be chhophzi: chhaphaz* proprie: in trepidatione, metu, dum adverſis obruerer, in angoribus conſtitutus. Alii vertunr: in feſtinatione mea, nempe præ metu, al. in præcipitatione mea. 70. in exſtaſi, ſeu exceſſu mentis: homo in metu velut ex-

ſidei, & religionis exprimendas, ut, quia e. gr. mortificare, prophetare, plasmare, Evangelizare, baptizare, ethnicis Latii incolis uſitata non fuerunt,

---

extra ſe rapitur, ſibique minus eſt præſens; in ærumnis apparet, omnem hominem eſſe *mendacem* h. e. vanum, inefficacem, inſtabilem, (ſic mendax ſæpe ſumitur Hebr.) in quo fruſtra ſpes locatur, nam ſpes talis fallit, ſolus Deus hoc ſenſu verax, quia ſibi ſemper conſtans, & omnipotens: ita *fallaces* divitiæ vocantur. Alii: ego David quando exceſſi patria fugiens a furore Saulis, & perfidia Abſolomi, dixi, inefficacem, & inconſtantem eſſe omnem hominem in proximo adjuvando. Vulgo, ſed non tam ex textu, quam ex vero dicitur, omnem hominem pronum eſſe ad mentiendum ſpectata natura corrupta, ſicut pronus eſt ad iram, amorem, odium, voluptates, ex quo non ſequitur actu omnia agere ex ira, odio, & loqui mendaciter. *Carrum*, & carruca eſt currus, cartallus eſt cavea vel caniſtrum. *Elatæ* h. e. germina palmarum, *a* brevi vox Græca Cant. 5. 11. *Conſolare* valet *ulciſci* Deut. 32. 36. Iſai. 10. 24. 2. Mach. 7. 6. Pſ. 134. 14. *in ſervis ſuis deprecabitur* h. e. Hebr. *jithnachhem* eos conſolabitur, iis ſe deprecabilem, exorabilem præſtabit; pænitebit Deum ſuper afflictione ſervorum ſuorum, adeoque eorum miſerebitur. Prov. 20. 26. incurvat Rex ſuper impios *fornicem* non domus, ſed ex Hebr. *ophan*, 70. *trochos*, curvaturam rotæ, h. e. canthum. *Nervus* eſt cippus, compedes (Hung. Kaloda, Job. 13. 27. poſuiſti in nervo pedem meum. Hebr. *beſad*, morbo impeditus pedes nequibat movere, alioquin podagra laborans. Prophetis hoc genus torturæ ab impiis Regibus erat tolerandnm 2. Paral. 16. 10. Jer. 20. 2. Genus vaſis ad abluendum ſordes, & vaſa vocatur *luter* 3. Reg. 7. 27. 4. 4. Reg. 16. 17. *Altilia* Matth. 22. 4. non aves ſunt, alites, ſed pecora *alita*, quæ ſaginavit pater ad nuptias filii ſui, ut e Græco *ſitiſta* h. e. frugibus nutrita, patet. Neceſſitas, ſicut Hung. & Germ. eſt miſeria, preſſuræ, ſtatus afflictus: *de neceſſitatibus meis erue me.* Diffamo h. e. bonam famam de ipſo

runt, propterea hæc vocabula Chriſtianæ religionis myſteriis conſecrata repudiari debeant? Anne ut Latiniores ſimus, cum Sebaſt. Caſtalione *Angelos* in *genios*, *idola* in *deaſtros*, *fidem* in *fiduciam*, *Apoſtolos*, in *legatos*, *hypocritas* in *hiſtriones*, *baptismum* in *lotionem* inſolenti kænophonia formabimus? ut etiam Gradivum, Phœbum, & Apollinem impuros illos Deos in puriſſimum veri Dei verbum invehamus?

Quan-

ipſo diſpergo. *Volo* h. e amo, delector ipſo, ex Hebr. *chhaphetz*, & Hellenismo, adeoque accuſativo jungitur 1. Sam. 18. 22. Pſ. 41. 12. & 18. 20. Matth. 27. 43. liberet nunc eum, ſi vult (amat) eum. *Puer* cultor eſt, ſive famulus (Germ. diener.) in domo Davit *pueri* ſui laudate *pueri* Dominum. *furor* ira vehementior ob atrocitatem ſcelerum, non inſania. *a*, ſeu *ab* comparativum melius verteretur *præ*. Eccli. 24. 39. *A mari abundavit cogitatio ejus, & conſilium ejus ab abyſſo magna.* h. e. Sapientiæ Dei conceptus multiplex eſt præ multitudine aquarum maris, & conſilium ejus præ abyſſo eſt immenſurabile, quis conſiliarius ejus? quis conſilia Dei comprehendat? *Oriens* h. e. Chriſtus, germen, ex verſione 70. *Anatole* Eze. 16. 7. & 17. 10. ubi additum *agru*, ut non ſol, ſed germen, planta, *tzemachh* Hebr. intelligatur, quamquam Chriſtus etiam ſol Oriens eſt ex alto, ad illuminandos, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. Pſ. 95. 7. *Afferte patriæ* h. e. familiæ nominat. plur. non Dat. ſing. *gentium Domino gloriam, & honorem.* vox eſt Græca, Hebr. *miſchpachhoth*. *Præceptum* Iſai. 11. 14. non mandatum, ſed anticipatum, ut monet Corn. a Lap. Virg. Liv. Cicero ita ſumunt, Cic. 3. Tuſc. *præceptis* h. e. antea perceptis *contentus*. Sed Lexica non ſcribimus.

Quinto.

Sæpe per tales expreſſiones, & modos loquendi Latinis inſvetos Vulgatus Interpres mirum in modum ſuam commendat fidelitatem, dum non equidem usque adeo ſuperſtitioſe, ac nonnulli modernorum, quoad tamen fieri potuit, ipſam Hebræi, & Græci ſermonis, ut in fonte reperit, ſyntaxim transponit: iverunt *emere*, *in illo tempore*, impletæ ſunt nuptiæ *diſcumbentium*, judica *nocentes me*, dominantur *eorum*, quod etiam in orationem Eccleſiæ eſt illatum: Deus, qui vivorum dominaris ſimul, & mortuorum. &c. Græcis fontibus debentur hæc omnia. *Adikeo* injuria afficio, *blatto* quaſi offendo, accuſativum habent perſonæ, uti etiam Plauto, & aliis Latinis vetuſtioribus nota. Genitivum loco Ablativi Poëtæ in præcipuis elegantiis ponunt non ſecus, ac vagantem per omnes orationis partes enallagen. *avidus pugnare*, *explorare hoſtes abiit. Abſtinet irarum*, *deſine querelarum*, *integer vitæ*, *ſceleriſque purus:* gemmulas Horatio detraxiſti, ſi hæc ſuſtuleris. *Agreſtum regnavit populorum*: *regnata populis urbs.* Etiam ſoluta oratio admittit apud Curtium: *majora omnium:* replevit ollam denariorum. Vetus interpres, ut Albericus Gentilis obſervat, quo facilius probaret, ſe translationem ſuam de Hebræo, Græcove textu probe confeciſſe, idcirco barbara nonnulla, & ſolœca intexuit, quod olim a ſummis viris factum. Lucullus in ſuis Hiſtoriis, quo eas facilius probaret Romani hominis eſſe, barbara quædam, & ſolœca ſe adſperſiſſe dicebat. Permittenda igitur eſt, & nullo modo ſolicitanda Vulgatæ lectio, nec quemquam neglectior ejus Latinitas offendere debet, cum hæc ipſa ſit

ni-

indoles Scripturarum, ſtyli elegantiam necquidquam affectare. Ipſe Spiritus S. in Fonte Græco per viros Divino lumine illuſtratos ita loqui dignatus eſt, ut ſi cum Demosthene, Luciano, Ariſtophane, aliisque cultioris Græcitatis authoribus compares, ut cælum â terra diſtare deprehendas; oportuit Scripturas non perſüaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ut ait Apoſt. 1. Cor. 12. ſed virtute Dei commendari, in quibus pedeſtris, & quotidianæ ſimilis oratio neceſſaria eſt, quæ rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet, non quæ verborum compoſitione frondeſcat; unde Hieronymus perquam belle in eos invehitur, qui non tam rem, quam verborum veneres in Scripturis conſectantur, & *ſpumantia verba trutinant*, dumque ſolos venantur floſculos, fructus colligunt nullos, *mihi* (inquit) *ſufficit ſic loqui, ut intelligar, ut de Scripturis diſputans Scripturarum imiter ſimplicitatem.* Præf. ad Paul, & Euſtoch. Dicit alibi: *propter ſimpliciores multum in dejiciendo ſermone laboravimus.* Nimirum, ut dicit Auguſtinus L. IV. de Doctr. Chr. C. 11. *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba: quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt? quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt.* Cum verbis ſtudetur, non rebus, judicante Bacone Verulamio umbræ captantur, res amittitur, & quia verba non ſunt, niſi rerum imagines, verborum ſectari venuſtatem, idem eſt, ac ſtatuam deperire anima carentem. „Res magnæ ſe ipſis ornatæ ſunt, non indigent fuco, ut amentur.

Sim-

Simplex reipſa eſt veritas, amat ſine fuco nuda proponi: Scriptura S. ſola omni ex parte veritas eſt, in qua dum elegantia quæritur, Majeſtas perditur, in qua *ornari res ipſa vetat contenta doceri.* Caſtellio (pag. 572.) dum in verſione Latina floſculos ambit, amatorculi neſcio cujus ſuam depereuntis profana blandimenta, & putidiuſculam mollitiem in Cantica infert: „Mea columbula mea columbula! oſtende mihi tuum vulticulum, fac, ut audiam tuam voculam, nam & voculam venuſtulam, & vulticulum habes lepidulum. Capite nobis vulpeculas parvas, vinearum vaſtatriculas.„ Nempe, quod judicium eſt Thuani „cum puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret, impuriſſimas manus ad ſacra tractanda adtulit; cum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.„ Non eſt Scriptura S. Coranus Muhammedanorum, ut ideo Divinam eſſe ſtatuamus, quod ſermonis venuſtatem habet humano ingenio haud imitabilem. Quapropter hanc elegantioris verſionis affectationem eleganter ludificat Melchior Canus L. 2. C. 15. *Sunt nonnulli, quibus, quoniam N. T^ti antiqua verſio parum elegans, & culta eſt, placeret maxime, ut illa ſubmota, in illius locum Latinior ſuccederet; ſcilicet artis coloribus Dei volunt ſapientiam pingere, & quaſi puellam Rhethorum floſculis exornare; at illa modeſta cum ſit, non ambit ornatum, cum ſit gravis fucum ignorat, cum virilis, mundo muliebri non capitur.* Solide arguit etiam Morinus in Exercitat. Bibl. „Quid igitur poſt 70. Interpretes, & poſt S. Hieronymum

ſe

ſe emendaturos ſperant ſcioli homunculi? quid cauſæ eſt, quod Græcæ translationi non acquieſcunt, cui acquieverunt Apoſtoli, & univerſa Eccleſia Græca, & Latina? quare non verſioni Latinæ, quam inculpatam, cum primum facta eſt, judicavit Eccleſia, judicavit etiam Synagoga, quamque inviolatam conſervavit cum Eccleſia Romana annis 1200. univerſus Occidens?

Digitized by Google



[illegible]

[illegible]